Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/romanpontifextam0003augu

ROMANUS PONTIFEX

TAMQUAM

PRIMAS ECCLESIAE,

ET

PRINCEPS CIVILIS

E MONUMENTIS OMNIUM SECULORUM

DEMONSTRATUS.

ADDITA AMPLISSIMA LITERATURA.

AUCTORE

AUGUSTINO DE ROSKOVÁNY,

EPISCOPO NITRIENSI.

Tomus III.

Monumenta et Literaturam de primatu e Seculo XVIII complectens.

NITRIAE ET COMAROMII. 1867.

TYPIS FRATRUM SIEGLER.

Conspectus.

Monumenta de Primatu. Sec. XVIII.

Mon.		Pag.
862. 863.	Eppus *Leopoliensis* G. R. de Unione 1700 . .	1
864. 865.	*Clemens XI* PP. adversus *Iansenismum* 1703. 1705	2. 4
866—867.	Eppi *Galliae* ad Papam in eodem obiecto, et Papae responsum	8. 10
868.	*Clemens XI* PP. ad Regem Galliae in eodem merito	15
869—871.	De causa Vicarii Apost. in *Hollandia* Iansenismo addicti	18—23
872.	*Clemens XI* PP. Eppo *Macaonensi* censuras infligit 1711	25
873.	Eiusdem Constitutio ‚Unigenitus' contra Iansenismum 1713	28
874—883.	Eppi *Galliae* de Constitutione ‚Unigenitus' . .	32—60
884—887.	Fac. Theol. *Duacensis, Coloniensis, Complutensis* in eodem obiecto	60. 62. 64
888. 889.	AEppi *Trevirensis* decreta in eodem merito 1715. 1717.	67. 70
890.	*Clemens XI* PP. Patriarchae *Alexandrino* 1715. .	72
891.	Idem contra *Sorbonam* in obiecto Iansenismi 1716.	76
892. 893.	Eppi *Belgii* de Constitutione ‚Unigenitus' . .	80
894.	*Clemens XI* PP. ad fideles de eadem Constitutione 1718.	83
895.	AEppus *Senonensis* pro suprema R. P. auctoritate 1719.	91
896.	*Benedictus XIII* PP. de doctrina *Augustini* et *Thomae* 1724.	92
897. 898.	Idem contra Iansenisticos Praesules in Belgio foederato	94. 96
899—904.	Conc. *Ebredunense* contra Iansenismum et huius protectorem Eppum *Senecensem* . . .	98. 100
905.	Eppi *Galliae* in suis Comitiis 1728 . . .	111
906—909.	AEppus *Parisiensis* Card. Noaillius pro Const. ‚Unigenitus'	111
910.	AEppus *Mechliniensis* contra Iansenismum 1729 .	116
911.	*Sorbona* retractat suos errores et Const. ‚Unigenitus' acceptat	119
912.	*Clemens XII* PP. Patriarchae *Alexandrino* de Unione	122

Mon.		Pag.
913.	Idem damnat decretum Eppi *Monpessulani* Iansenisticum	124
914—916.	AEppus *Mechliniensis* ad pseudo-Eppum *Ultraiectinum*	126
917.	*Clemens XII* PP. contra electionem AEppi *Ultraiectini*	139
918.	*Benedictus XIV* PP. de suprema auctoritate R. P.	141
919.	Idem contra consecrationem AEppi *Ultraiectini*	152
920.	Idem de *Italo-Graecis*	154
921. 922.	Idem de festo et patrocinio *SS. Petri et Pauli* App.	157. 160
923—928.	Idem de electione *Patriarchae Antiocheni Maronitarum*	162
929.	Idem de *Patr. Graecorum Melchitarum* .	168
930—934.	Idem contra Electores Germaniae pro iure sui Nuntii	170
935.	Eiusdem Homilia de *SS. Petro et Paulo* App.	179
936.	Idem *de IV propositionibus Gallicanis anni 1682*	185
937.	Idem damnat librum contra Const. ‚Unigenitus‘	186
938.	*Sorbona* de suprema potestate R. P. 1753. .	187
939—940.	*Benedicti XIV* PP. Encyclica ad *Missionarios Orientis*, et ad *Graecos* de Euchologio .	188. 189
941—943.	Idem et Eppi *Galliae* de Const. ‚Unigenitus‘	196. 199
944—946.	Idem de *Pallio* Maronitarum Patriarchae concesso	204
947.	Idem damnat librum contra Const. ‚Unigenitus‘	207
948—951.	*Clemens XIII* PP. Eppo *Cephaldiensi*, Eppis *Galliae*, et de *Melchitis* in Patr. Antiocheno	209. 212. 215
952.	Idem AEppo *Trevirensi* de appellatione ad Nuntium	217
953.	Eppi *Galliae* in Comitiis 1761 de R. P. .	218
954.	Vicarius Apost. G. R. *Munkácsiensis* de Unione	218
955. 956.	*Clemens XIII* PP. AEppo *Toletano* . .	230
957. 958.	Synodus *Ultraiectina* schismatica de Primatu 1763	232
959—965.	*Clemens XIII* PP. contra *Febronium* . .	234
966—974.	Praesules *Germaniae* contra Febronium .	240
975.	*Clemens XIII* PP. damnat acta Synodi Ultraiectinae	248
976. 977.	Idem AEppo *Remensi* de Actis Cleri Gallicani pro iure Ecclesiae, et Catholicis Belgii contra *Ultraiectinos*	251. 254
978.	Eppus *S. Pauli Tricastinensis* de R. P. 1770.	256

Mon.		Pag.
979.	*Clemens XIV* PP. contra asserta *Udalrici Mayr* 1773	259
980. 981.	*Pius VI* PP. contra pseudo-Eppum *Harlemensem*	262. 264
982—986.	Idem de retractatione *Febronii* 1778 . .	266
987—989.	Ulteriora acta in eodem merito 1779. ss. .	289
990.	Nuntius Belgii *de dispensatione in praecepto abstinentiae.*	296
991—993.	*Pius VI* PP. de libro *Isenbiehlii*, de acatholicis ad sinum Eccl. recipiendis, de Const. ‚Unigenitus'	298. 301. 305
994—996.	Idem de Eppo *Potentino*, de libro *Eybelii* contra Confessionem, *de religiosa tolerantia*	309. 311. 313
997.	Fac. Theol. *Parisiensis* de Primatu 1785 .	315
998.	*Pius VI* PP. damnat librum *Eybelii* de Papa	317
999—1012.	Praesules *Hetruriae* de reformationibus ecclesiasticis a M. Duce susceptis, et de auctoritate R. P.	327
1013—1016.	Iidem Praesules in *Congregatione Florentina* 1787.	342
1017—1024.	Iidem Eppi in causa Praesulis *Clusio-Pientini*	360
1025—1026.	*Pius VI* PP. *Universitati Coloniensi*, et *AEppo Pragensi*	387. 388
1027—1032.	De *iuramento fidelitatis in Anglia* 1788. ss. .	390
1033.	*Pii VI* PP. Responsio ad Electores Germaniae *de Nuntiaturis*	399
1034. 1035.	Idem in eodem merito ad *AEppum*, et *Capitulum Coloniense*	436. 443
1036.	Idem de festo *Cathedrae Petri* 1790 . .	448
1037. 1038.	AEppus *Trevirensis* recedit a *punctatione Emsana*	451
1039.	*Pius VI* PP. *de Civili Constitutione Cleri Gallicani*	454
1040—1048.	Eppi *Galliae* pro Rom. Pontifice sub Revolutione	465
1049—1051.	Acta *Card. AEppum Senonensem* concernentia 1790. s.	474
1052—1055.	*Pius VI* PP. ad Viros Ecclesiasticos, per Conventum Nationalem Galliae pro Eppatibus designatos	487. 490
1056—1061.	De *Facultatibus extraordinariis* S. Sedis in Gallia	494
1062.	*Pius VI* PP. AEppo Lugdunensi *de sacerdotibus iuratis ac intrusis*	517
1063.	Idem damnat acta et decreta *Synodi Pistoriensis*	523

Mon. Pag.

1064. Card. *Gerdilius* de Constit. dogmatica ‚Auctorem fidei' 557

1065—1067. *Pius VI* PP. de opere *Stattleri:* Demonstratio Catholica 562

1068. 1069. Eppus constitutionalis *Montis Albi* in Gallia retractat 567

1070. *Pius VI* PP. ad Catholicos Belgii contra *Ultraiectinos* 576

1071. Idem ad Praesules *Galliae* in Anglia exulantes 578

1072—1080. Declarationes S. Sedis de sic dicto *Iuramento odii Regiae potestatis* 587

Literatura Sec. XVIII.

I. *De Primatu.*

Decennium I. a. 1700—1709. Contra Primatum: *Dieterich, Paulus Antonius, Cyprian, Arnold, Usserius, Ittigius* etc.; pro Primatu: *Rassler, Bacchinius, Kopf, Pagius, Pichler, Harduinus, Kraus* etc. 603. 612

Literatura de opusculis *Freitagii*, et *Szentiványii* . . . 615

Decennium II. a. 1710—1719. Contra Primatum: *Chladenius, Götz, Kiesling, Böhmer, Rechenberg* etc.; pro Primatu: *Semery, Massuet, Sonnenberg, Mändl, Desirant, Gengell, Sollerius* etc. 619. 622

Literatura de *Iubileo protestantico 1717* 631. 644

Decennium III. a. 1720—1729. Contra Primatum: *Pfaff, Koch, Kappius, Hottinger, Lenfant, Walch* etc.; pro Primatu: *Andruzzi, Milan, Calmet, Coustant, Capellus, Malleus, Ruinart, Rajcsányi, Scheffmacher, Weislinger, Gotti* etc. . . . 646. 651

Decennium IV. a. 1730—1739. Contra Primatum: *Kortholt, Hoffmann, Ewald, Oeder, Schellhorn* etc.; pro Primatu: *Rieber, Wietrowski, Sandini, Serry, Lucinius, Missorius, Tournemine, Callenberg, Annatus* etc. 661. 665

Scripta *iubilaria protestantica a. 1730* 674

Decennium V. a. 1740—1749. Contra Primatum: *Baumgarten, Baratterius, Middleton, Heumann, Neller* etc.; pro Primatu: *Poszakowski, Quirinus, Tafuri, Fogginius, Sbaralea, Benedictus XIV,* etc. 677. 681

Controversia *I. Biner* S. I. cum *Tubingensibus* 689

Controversia *Card. Quirini* cum *Schellhornio* 690

Decennium VI. a. 1750—1759. Contra Primatum: *Cotta, Ress, Heilmann, Horix* etc.; pro Primatu: *Perzina, Mezzadri, Gautier, Kreitzen, Mamachius, Neumayr, Faure, Ligorio, Heiss, Zaccaria* etc. 693. 695

Literatura de *Magno Iubileo anni 1750* 703

Literatura de *Pallio AEppali* 707

Pag.

Literatura de *Patriarchatu Aquileiensi* 709
Literatura de *Incredulis* 710
Decennium VII. a. 1760—1769. Contra Primatum: *Taddel, Boysen, Rambach, Fidler, Le Bret* etc.; pro Primatu: *Damiani, Daude, Hoch, Hartung, Benettis, Merz, Kleiner, Bender* etc. . 713. 716
Literatura de *Febronio* 724
Literatura de *Incredulis* 731
Decennium VIII. a. 1770—1779. Contra Primatum: *Pereyra, Schade, Schröckh, Mayr, Oberhauser* etc.; pro Primatu: *Cortesius, Assemanus, Berg, Neuff, Settecolli, Rubeis, Lupoli,* etc. 732. 735
Controversia *Febroniana* 743
Literatura de *Incredulis* 750
Decennium IX. a. 1780—1789. Contra Primatum: *Curalt, Henke, Royko, Dereser, Petzek* etc.; pro Primatu: *Demarco, Kowalski, Veith, Becker, Marchetti, Santes Veronesius, Molkenbuhr, Devoti, Muzzarelli* etc. 750. 758
Controversia *Febroniana* 771
Controversia *Petri Tamburini* 774
Literatura de *Incredulis* 776
Controversia *Benedicti Stattler* 776
Decennium ultimum a. 1790—1799. Contra Primatum: *Bielke, Plank, Freykirch* etc.; pro Primatu: *Frölich, Greisinger, Feller, Recco, Ilger, Novaes, Milner* etc. 779. 783
Controversia *Febroniana* 790
Literatura de *Iansenismo* Sec. XVIII. 791
Literatura de *Ioanna Papissa* Sec. XVIII. 833. 835
Literatura de *C. Tridentino* Sec. XVIII. 838. 842
Literatura de *Ecclesia Graeca* 844. 846

II. *Pontificatus et Civile Imperium.*

Literatura ab initio Seculi usque a. 1779. *contra* Primatum: *Spanheim, Ludewig, Jäger, Göbel, Estor, La Borde, Pütter, Eybel* etc. 852
Literatura eiusdem temporis *pro* auctoritate Pontificia: *Mabillonius, Norisius, Benedictus XIV, Ickstadt, Gallade, Amort, Merz, Dürr, Moser, Ditterich* etc. . 863
Literatura ab a. 1780 usque finem seculi . . . 866
A) Liter. *de relatione Pontificatus ad Imperium et reformationibus ecclesiasticis* ab a. 1780—1799. *contra* Papam 868. 881. 891
898. 905. 914. 916
Eadem Literatura *pro* Papa 870. 888. 896
904. 910. 916. 918

	Pag.
Specialis Literatura de opusculo: *Die Reformation in Deutschland zu Ende des XVIII Jahrhunderts*	871
De opusculo: *Quid est Papa?*	872
De *itinere Pii VI PP, Vindobonensi*	877. 879
B) Literatura *de Tolerantia* ab a. 1780—1799 . .	922
Speciatim Literatura *Hungarica*	930
C) Literatura *de Ordinibus Religiosis*	939

Literatura *de Concordatis* Sec. XVIII	954
Literatura de sic dicto *Placeto Regio*	960
Literatura de relatione ad *Academias Scientiarum* . .	963
Literatura *de Nuntiaturis Apostolicis*	963
a) ab initio Seculi usque a. 1785	964
b) ab a. 1785 usque finem seculi	965
Literatura ad *Hetruriam* pertinens	985
a) libelli *Pistorienses* usque a. 1786	985
b) de *propositionibus M. Ducis reformatoriis et Synodo Pistoriensi*	988
c) de *Conventu Epporum Florentino* 1787 . . .	990
d) reliqua Literatura usque finem seculi . . .	1001
Literatura *de Libertatibus Gallicanis*	1006
A) Usque annum 1789 *pro* et *contra*	1007. 1013
B) Ab anno 1789 usque finem seculi	1020
Annus 1789. Plurimae Ephemerides . . .	1020
Annus 1790	1023. 1026
Annus 1791	1033. 1040
A. 1792—1799	1046—1054
Specialis literatura de libris *I. V. Bolgeni* S. I. . .	1054
De opusculo *Friburgensi* pro iuratis sacerdotibus . .	1056
Literatura de obiectis relationis inter Potestatem Ecclesiasticam et Civilem	1058
a) *Ecclesia et Status* ‚pro' et ‚contra'	1058. 1077
b) *De Immunitate, asylo*	1089
c) *de Iure Patronatus et primarum precum* . . .	1093
d) *de bonis ecclesiasticis*	1098

Literatura *de Societate Iesu*	1117
Pars *Historica* de literis S. Sedis, privilegiis, Regulis Ordinis etc.	1117
De *Missionibus Sacris*	1119
De *Exercitiis spiritualibus*	1123
De historia Ordinis	1124

Pag.

Pars *Polemica*, complectens opera contra Soc. I. et pro Societate . . . . . 1129—1152

Scripta ab a. 1773, quo Societas suppressa est, usque finem seculi . . . . . 1152—1167

De Controversiis: quoad *Ritus Sinenses* 1167

Quoad acta SS. Bollandiana 1173

Quoad doctrinam moralem 1175

Quoad librum: *Cura salutis* 1176

Quoad Ordinem Carmelitarum 1178

MONUMENTA DE PRIMATU.

SECULUM DECIMUMOCTAVUM.

862. 863.

Eppus Leopoliensis G. R. significat Unionem cum Eccl. Latina consummatam, simulque Primatum conspicuis verbis profitetur. A. 1700.

862. MON. *Cardinali Praefecto Congr. de Prop. Fide.* Illuxit tandem felix pro me dies, qua diu ante privatim amplexatam cum S. Rom. Ecclesia unionem publice profiteri datum est: sicut de facto contigit in festo Aug. Trinitatis coram non paucis huius potentissimae Reipublicae Proceribus in manu Emin. ac Rev. D. Card. Primatis. Placuit omnipotenti Deo ea omnia removere impedimenta, quae hucusque vota mea variis politicis rationibus distulerant, ne in claram lucem immutabilis orthodoxae religionis assertor descenderem. Id quod alta cogitatione perpendens inenarrabili laetitia spirituali exulto, Patrisque misericordiarum ineffabilem clementiam veneror, miram bonitatem commendo, sapientissimam providentiam adoro. *Inclinatus* inde *ad Christi Domini sponsam, nec non ipsius visibile Caput Petri successorem, eos mente concipio venerationis, obedientiae ac subiectionis sensus, qui bono filio in optimam matrem, fideli subdito in supremam potestatem conveniunt.* Huius interea sententiae meae aeternum duraturae tabulam hisce characteribus contentam prono vultu praebeo Eminentiae Vestrae, quam enixe rogo, ut mentis meae interpres esse dignetur apud Sanctissimum, ceterosque Emmos sacrae istius Congr. Patres etc. Varsaviae, 9. Iunii 1700.

Iosephus Szumlanski, Eppus Leopoliensis, Haliciensis, et Camenecensis.

863. *Clementi XI Papae.* Cum afflante Divino Numine unionem cum S. R. Ecclesia, dudum gravissimas ob causas private tantum, nunc vero amotis impedimentis publice sim amplexatus, eiusdemque Ecclesiae membrum idcirco vel indignum effectus, congruum est, ut una cum orbe orthodoxo de tua nunc, Beatissime Pater, ad Summi Pontificatus apicem exaltatione laetanti, et vicariam in te Christi dignitatem adoranti eos venerationis meae, submissionis et gaudii sensus sanctissimis Beatitudinis tuae pedibus pronus subiiciam. *Te igitur successorem Petri legitimum, Ecclesiae Caput, Magistrumque fidei confiteor, supremamque Tibi in Ecclesia a Deo collatam potestatem adoro:* et quia coram Principe vacuis comparere manibus indecorum, hanc meae fidei professionem, qua nil suppetit pretiosius, quam ante apostolicum tuum thronum renovare loci distantia non permittit, manu mea firmatam Sanctitati tuae praesento, obedientiae meae et submissionis irrevocabile documentum. Fac ergo, Beatissime et Supreme Pastor, ut una cum grege meo, quem ad veram Christi caulam revocare coelitus mihi elargitum, tua iugiter fovear pastorali sollicitudine, et paterna benedictione confirmer. — Leopoli in mea cathedra S. Georgii. Iosephus Szumlanski etc. — **Theiner** *Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae.* Romae. 1864. IV. 10.

864.

Clemens XI PP. Catholicis Hollandiae annunciat suspensionem AEppi Sebasteni et Vicarii Apostolici Iansenismo addicti, eosque ad pacem et unitatem cum S. Romana Ecclesia servandam hortatur, A. 1703.

MON. Illius vices licet immeriti gerentes in terris, qui transiturus ex hoc mundo ad Patrem pacem, quam nascendo nunciaverat, Ecclesiae suae velut testamento reliquit, in eam maxime curam incumbimus, ut Catholici omnes, iique praesertim, qui in seiunctis ab hac S. Sede regionibus constituti ab omni

specie mali cavere diligentius debent, remotis dissensionum fomentis ea, quae pacis sunt, studiose sectentur, quive in unitate eiusdem fidei consentiunt, concordiae quoque et caritatis vinculo coniungantur. Quamobrem turbarum ac dissensionum mala germina, quae in *Hollandicis Missionibus* iampridem exorta quotidie succrescere non sine gravi paterni nostri cordis amaritudine deprehendimus, resecare, atque etiam favente Domino prorsus eradicare cupientes, ven. fratre *Petro AEppo Sebasteno* iustis gravibusque de causis a *Vicariatus Apostolici* officio, quod obtinebat, suspenso, Provicarioque interim, donec ab eadem Sede aliter provideretur, in eius locum subrogato, nulli alteri sub provicariatus, archipresbyteratus, aut assessorum Capitulorum, ut vocant, assessoratus, seu cuiusvis alterius muneris aut officii obtentu pastores, missionarios, deservitores, aut alios quoscunque ad animarum curam sacramentorumque administrationem etiam praetextu necessitatis constituendi seu deputandi facultatem ullam competere declaravimus: et nihilominus ad abundantiorem cautelam et quatenus opus esset, omnes et singulas deputationes supradictorum officiorum nomine forsitan factas cum omnibus inde secutis prorsus irritas ac nullius roboris vel momenti esse decrevimus: Omnibus propterea clericis Missionum praefatarum apostolica auctoritate et sub excomm. ipso facto — incurrendae poena districtius inhibentes, ne in illarum spirituali regimine se ingerere quovis pacto auderent vel praesumerent. Nunc vero, ut quod paucis denunciatum est, omnibus istarum regionum catholicis plenius innotescat, nullusque amplius de pontificia voluntate nostra ambigendi supersit locus, ea de re vos omnes, dilecti filii, per praesentes literas duximus admonendos, de vestra quidem eximia pietate constantique erga Apost. Sedem obedientia plane confisi, nullam inposterum apud vos fidem inventuros paucos illos Ecclesiae simul atque Reipublicae turbatores, qui subdolis artibus falsisque narrationibus candidos animos vestros decipere, aut etiam si possent in errorem adducere conati sunt. Sinite illos, dil. filii, quia coeci sunt, atque utinam non excoecaverit illos malitia eorum! *Ostendite vos veras Christi oves esse, qui supremi in terris Pastoris ab eodem Domino constituti monitis obsequuntur et non audiunt vocem alienorum;* alieni profecto sunt, qui dum gregem Dei dividere tentant, mactare potius ac perdere, quam custodire velle

deprehenduntur. Obtendunt illi quidem exactioris disciplinae speciem, ac de rigidioris theologiae sibi fama blandiuntur: quales vero animo sensus foveant, quave mente colliment, quicunque sapiens rerum aestimator facile iudicabit, certissima illa, qua nos ad eos qui veniunt in vestimentis ovium, dignoscendos Salvator noster instruxit, adhibita regula: a fructibus eorum cognoscetis eos. Quis enim, ut cetera taceamus, tot ab iis hac in causa editos libellos videat, iurgiis, maledictis, mendaciis, calumniis, apertaque in Ap. Sedem irreverentia ac temeritate undequaque scatentes, quos magno vel ipsis heterodoxis scandalo fuisse comperimus, quin statim agnoscat, quam longe illorum auctores defensoresque a Spiritu Dei sunt, qui non est dissensionis Deus sed pacis, quam longe a sincera Christi caritate quam adeo verbis praedicant, factis destruunt, quam longe demum a verae humilitatis et obedientiae, quae ceterarum virtutum fundamenta sunt, tramite? dum *adversus ipsam beati Petri Sedem, christianorum matrem et magistram, caput attollere eiusque mandatis obviam ire, quinimo et potestatem convellere ac palam impetere non erubescunt.* Vos autem, dil. filii, non sic: sed *in accepto a maioribus vestris pietatis instituto perseverantes, quem religione profitemini sacrosanctae Romanae Ecclesiae principatum, promta, ut vere catholicos decet, obedientia comprobate.* Neque enim vobis nisi pro vestra utilitate praecipimus, nec temporalia vestra quaerimus, sed spiritualia vobis carismata comparamus. — Datum Romae die 7. April. 1703. — *Historia de rebus Eccl. Ultraiectensis.* Colon. 1725. p. 143.

865.

Clemens XI PP. confirmat Constitutiones adversus **Iansenismum** editas, A. 1705.

MON. Vineam Domini Sabaoth, quae est Catholica Ecclesia, pro commisso nobis divinitus Apostolicae servitutis munere custodire, atque excolere omni studio atque industria iugiter satagentes, ea, quae a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris ad succrescentes in illa perniciosarum novitatum vepres

radicitus evellendos prudenti salubrique consilio constituta esse noscuntur, ut quibuscunque inimici hominis molitionibus deiectis firmius semper atque exactius observentur, apostolici muniminis nostri praesidio libenter roboramus, atque alias desuper sollicitudinis et providentiae nostrae partes interponimus, sicut omnibus maturae considerationis trutina perpensis ad fidelem ac tutam orthodoxae veritatis custodiam nec non animarum pretioso Unigeniti Dei Filii D. N. I. C. sangvine redemtarum salutem expedire in Domino arbitramur. Sane postquam fel. rec. Innocentius PP. X praedecessor noster per quamdam suam desuper editam Constitutionem quinque famosas propositiones ex libro Cornelii Iansenii Eppi Iprensis, cui titulus ‚Augustinus' excerptas apostolici censura iudicii rite confixerat, rec. mem. Alexander PP. VII etiam praedecessor noster ad eiusmodi iam damnatos errores e Christifidelium mentibus prorsus abolendos, publicaeque tranquillitatis perturbatorum subtili tectas calliditate machinationes penitus evertendas, praedictam Innocentii praedecessoris Constitutionem confirmavit, novarumque declarationum accessione constabilivit. *) — Subinde vero quo omnis apostolicarum definitionum eludendarum aditus intercluderetur, memoratus Alexander praedecessor, priscum Ecclesiae morem secutus, certam edidit Formulam ab omnibus Ecclesiastici ordinis tam secularibus quam regularibus personis subscribendam per aliam suam hac in re promulgatam Constitutionem. **) — Sic equidem causa finita est: non tamen sic, ut par erat, finitus est error apostolico toties mucrone percussus. Neque enim defuere, nec adhuc desunt, homines veritati non acquiescentes, et numquam Ecclesiae contradicendi finem facientes: qui variis distinctionibus seu potius effugiis ad circumventionem erroris excogitatis Ecclesiam ipsam turbare, eamque interminatis quaestionibus, quantum in ipsis est, involvere et implicare conantur; quodque deterius est, ipsamet Apost. Sedis decreta redarguendis eorum pravis sensibus condita, ac praesertim quasdam piae mem. Clementis PP. IX die 19 Ian. 1669. ad quatuor Galliae Eppos, nec non binas Innocentii PP. XII die 6. Febr. 1694. et die 24. Nov. 1696. ad Eppos Belgii in forma Brevis literas in

*) Constitutio Alexandri VII. de a. 1656. suo loco vulgata est.
**) Constitutio haec superius occurrit.

erroris sui patrocinium advocare, temerario plane ausu non erubescunt: perinde ac si memoratus Clemens IX, qui eisdem suis literis se Innocentii X et Alexandri VII Constitutionibus supradictis firmissime inhaerere, ac a dictis quatuor Eppis veram et totalem obedientiam, adeoque formulae a praefato Alexandro editae sincere per eos subscribi voluisse declaravit, aliquam in tam gravi negotio exceptionem seu restrictionem, quam nullam prorsus se unquam admissurum fuisse protestatus fuit, re ipsa admisisset; dictus vero Innocentius XII, dum sapienter ac provide praedictas quinque propositiones ex memorato libro Iansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent ac praeseferunt, damnatas esse pronunciavit, non de ipsomet obvio sensu, quem in Iansenii libro habent, quive ab eodem Iansenio intentus ac a praefatis Innocentio X et Alexandro VII damnatus fuit, sed de alio quopiam diverso sensu cogitasset, dictasque Innocentii X et Alexandri VII Constitutiones temperare, restringere, aut alio quovis modo immutare voluisset iisdem ipsis literis, quibus eas in suo robore fuisse, et esse, seque illis firmiter inhaerere verbis apertissimis asserebat. Praeterea iidem inquieti homines sparsis undequaque scriptionibus ac libellis, exquisita ad fallendum arte compositis, non sine gravi Apost. Sedis iniuria maximoque totius Ecclesiae scandalo docere non sunt veriti: ad obedientiam praefatis apostolicis constitutionibus debitam non requiri, ut quis praedicti Ianseniani libri sensum in antedictis quinque propositionibus damnatum interius ut haereticum damnet, sed satis esse, si ea de re obsequiosum, ut ipsi vocant, silentium teneatur. Quae quidem assertio quam absurda sit, et animabus fidelium perniciosa, satis apparet, dum fallacis huius doctrinae pallio non deponitur error, sed absconditur; vulnus tegitur, non curatur; Ecclesiae illuditur, non paretur; et lata demum filiis inobedientiae via sternitur ad fovendam silentio haeresim; dum ipsam Iansenii doctrinam, quam ab Apost. Sede damnatam Ecclesia universalis exhorruit, adhuc interius abiicere et corde improbare detrectant. Quin etiam eo impudentiae nonnullos devenisse compertum est, ut veluti naturalis honestatis, nedum christianae sinceritatis obliti asserere non dubitaverint, praefatae formulae a memorato Alexandro praedecessore praescriptae subscribi licite posse etiam ab iis, qui interius non iudicant, praedicto Iansenii

libro doctrinam haereticam contineri. Quasivero contra quam scriptum est: ‚qui loquitur veritatem in corde suo', et: ‚qui iurat proximo suo et non decipit', huiusmodi erroris sectatoribus liceat Ecclesiam ipsam iureiurando decipere, simulque Apost. Sedis providentiam fallere: dum eiusdem formulae conceptis verbis loquuntur, quod Ecclesia loquitur, quod tamen sentit ipsa, non sentiunt, seque parere Constitutionibus apostolicis profitentur, quibus animo contradicunt.

Hinc est, quod nos ad opportunum et efficax tam exitiali morbo, qui ut cancer serpit, et quotidie in deterius vergit, remedium adhibendum, non minus demandatae nobis omnium Ecclesiarum sollicitudinis debito, quam plurimorum ven. fratrum nostrorum diversarum partium ac praesertim Regni Galliarum Epporum zelo ac precibus excitati, ne huiusmodi pravi homines catholicae Ecclesiae pacem subvertere impune pergant, et simplicium ac pusillorum mentibus imponere, docentes quae non oportet, neve ullus apud eos quoque, qui bona, ut aiunt, fide ac falsis rumoribus decipi se fortasse patiuntur, de mente ac sententia Apost. Sedis amplius ambigendi supersit locus: divino prius tam privatis nostris quam publice indictis precibus implorato praesidio ac re mature discussa de nonnullorum ven. fr. nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, auditisque complurium in S. Theologia Magistrorum suffragiis, primo quidem praeinsertas Innocentii X et Alexandri VII Praedecessorum Constitutiones, omniaque et singula in eis contenta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, approbamus, et innovamus. Ac insuper, ut quaevis in posterum erroris occasio penitus praecidatur, atque omnes Catholicae Ecclesiae filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum, nam et impii in tenebris conticescunt, sed et interius obsequendo, quae vera est orthodoxi hominis obedientia, condiscant, hac nostra perpetuo valitura constitutione obedientiae, quae praeinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri, sed damnatum in quinque praefatis propositionibus Ianseniani libri sensum, quem illarum verba praeseferunt, ab omnibus Christifidelibus ut haereticum non ore solum sed et corde reiici ac damnari debere, nec alia mente, animo aut credulitate supradictae formulae subscribi licite posse: ita, ut qui secus aut contra quoad haec omnia et singula senserint, tenuerint, praedicaverint, verbo vel scripto

docuerint, aut asseruerint, tamquam praefatarum Apostolicarum Constitutionum transgressores omnibus et singulis illarum censuris, et poenis omnino subiaceant, eadem auctoritate apostolica decernimus, declaramus, statuimus, et ordinamus. — Datum Romae a. 1705. decimoseptimo Kal. Augusti. — **Bullarium** *edit. Luxemb.* X. 145.

866.

Eppi Galliae ad Clementem XI PP. A. 1705. scribentes, decisioni eiusdem quoad Iansenismum promte obsequuntur.

MON. Quantum nobis metuendum videbatur, ne quae sopitae credebantur circa Iansenismum contentiones, acrius reviviscerent, tantum nunc Sanctitati Vestrae gratulamur, tumultus, qui recens apud nos inquietorum hominum contumacia fuerant excitati, ipsius prudentia simul et auctoritate fuisse compressos, firmatamque in posterum Apost. Sedis iudicio Ecclesiarum pacem ac concordiam. Nonnullis quidem scriptis Summorum Pontificum constitutionibus auctoritatem detrahere, Ianseniique librum adversus Ecclesiae decreta pertinaciter tueri paucis abhinc annis tentaverunt eiusdem Iansenii sectatores: cum statim pro eppali munere libellos, qui in dioecesi Parisiensi de industria sparsi undequaque fuerant, iusta censura proscripsit Emin. APraesul, applaudentibus aequissimae damnationi universis Galliarum Eppis, quorum in colenda Apost. Sede singulare studium atque in profligandis profanis novitatibus indefessus labor semper emicuit. Verum agebatur de vindicando a pravis et alienis expositionibus genuino sensu Constitutionum Apost. Innocentii X et Alexandri VII, quas solemni et a maioribus accepto more Clerus Gallicanus atque ad eius exemplum universa recepit Ecclesia. Aequum igitur erat, et Ecclesiae inprimis utile, ut post damnatam ab Apost. Sede in eiusmodi contentionum exordio Iansenianam haeresim omnes etiam cavillationes in erroris patrocinium excogitatae eiusdem Sedis iudicio prorsus amputarentur, et ita Constitutionibus Apost. sua constaret auctoritas, atque in poste-

rum, quod optabat Apostolus, idipsum dicerent omnes, essentque perfecti in eodem sensu et eadem sententia. Hunc igitur tamdiu optatum pastoralis vigilantiae fructum certo nunc sperare licet ex edita Constitutione, quam pro singulari erga Sedem Apost. obsequio, pro eximio in tuenda tum veritate, tum Ecclesiarum pace studio Christ. Rex noster a Sanctitate Vestra efflagitavit. Hanc ab Ill. AEppo Eppo Imolensi Nuntio Apost. Maiestati Suae traditam ad nos in generalibus Cleri Gallicani comitiis in unum coactos, antequam in Galliis executioni demandaretur, transmitti voluit. *Definitionem* itaque *Beatitudinis Vestrae debita observantia colentes, quodque scribebant olim ad beatum Leonem Galliarum Eppi, exultantes in ea, ita nos semper ex paterna traditione tenuisse, ut Apostolatus vester exposuit, iure laetati sumus. Et, ut quondam quartae Synodi Patres Magni Leonis epistolam excepere, uno spiritu, una conspiratione, una concordia Constitutionem Sanctitatis Vestrae ea, qua par est, reverentia suscepimus, communique consilio promulgandam et executioni demandandam in Ecclesiis et Dioecesibus nostris decrevimus: atque omnium fuit sententia, sedulo cavendum, nequis pastorali nostrae sollicitudini commissus impune contraria docere, scribere, aut loqui praesumat.* Sed tantae auctoritati, tamque maturo iudicio obtemperaturos omnes speramus: futurumque, quod olim in Galliis, post beati Leonis epistolam accidit, ut prava persvasio participes non inveniat, aut inventos amittat. Erit haec propria vestri Pontificatus laus et gloria, firmata nimirum et constabilita pax, quam Eusebius Mediolanensis Eppus consummati certaminis coronam appellabat, quamque quiete perpetua retenturos, ut aiebat, ultro confidimus et optamus. Quis autem (liceat enim rursus illorum verbis uti, quorum erga Sedem Apost. perpetuum obsequium velut haereditario iure nobis vindicamus) Apostolatui Vestro pro hoc tanto munere dignas aestimat gratias posse persolvi? quod nos ante oculos habentes non desinamus Deo gratias agere, et supplicare gratulantes, quod tantae sanctitatis, tantaeque doctrinae Apostolicae Sedi Antistitem dederit, petentes, ut datum concessumque munus Pontificii vestri longissima ad aedificationem Ecclesiarum suarum aetate servet, ac tueatur. — **D' Argentrée** *Coll. Iudic. de novis erroribus.* Paris. 1736. III. 2. p. 452.

867.

Clemens XI ad Eppos Galliae de eo: quod constitutiones Sedis Apostolicae in obiecto Iansenismi recentius editae ab Eppis examinari haud possint, sed simpliciter acceptari debeant. Potissimum Gallicanae Ecclesiae canones citat Summus Pontifex pro hac sententia. A. 1706.

MON. Gratulationes vestras, quibus editam nuper a nobis pro comprimenda inquietorum hominum contumacia Constitutionem excepistis, ex datis ad nos literis vestris magna quidem animi voluptate cognovimus, novam inde fiduciam concipientes, non inanem fuisse laborem nostrum, vosque pro pastoralis vestri muneris debito curaturos, ut extinctis prorsus supremo Apost. Sedis iudicio Ianseniani erroris reliquiis, idipsum tandem sapiant omnes, sintque perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. Verum uberem adeo gaudii nostri materiam turbavit admodum nonnullarum Epistolarum aliarumve scriptionum palam editarum delata ad apostolatum nostrum notitia, quibus nihil magis obtendi atque adstrui videtur, quam ut summa dictae Sedis auctoritas multifariam impetatur, perinde ac si nullum hodie episcopali zelo argumentum dignius occurrat, quam beati Petri Sedis potestatem attenuare, unde ipse Eppatus, et tota auctoritas nominis huius emersit. (Innoc. I. ad C. Carthag. a. 417.) Quodque mirandum magis, quin et deplorandum acerbius nobis fuit, tentari haec vidimus eo ipso tempore, quo exstirpandis errorum radicibns, quibus Ecclesias vestras infici sentiebatis, imploratum a vobis potestatem vestram plane imparem expertis et ab ipso christianissimo et religiosissimo Rege instantius expetitum Primae Sedis brachium et auxilium paterna, qua vos ecclesiasque vestras caritate complectimur, libentissime impendebamus. Agnovimus in hoc sane consvetas nequissimorum quorumdam hominum molitiones, qui dum Ianseniauum virus, quod corde reti-

nent, poenarum metu proferre non audeant, Romanae Sedi, a qua comprimi se maxime sentiunt, occultum veluti bellum indicere conantur, ac per importunas quaestiones in catholicae unitatis perniciem dissensionum semina spargere. Vos autem, ven. fratres, quorum muneris erat inquietos corripere, nimis dolendum est, eorumdem potius suggestionibus cedere, Ecclesiaeque turbatoribus non satis advertentes manum praestare. Quis enim vos constituit iudices super nos? numquid inferiorum est de superioris auctoritate decernere? eiusque iudicia examinare? Pace vestra dictum sit, ven. fratres, intoleranda plane res est, paucos Eppos, et illarum potissimum Ecclesiarum, quarum privilegia et decora nonnisi Romani Pontificis favore ac beneficio constant, adversus sui nominis et honoris auctorem caput attollere, ac primae Sedis iura corradere, quae non humana, sed divina auctoritate nituntur. Interrogate maiores vestros, et dicent vobis, non esse particularium Antistitum Apost. Sedis decreta discutere, sed implere; *) et quandoquidem Epporum Galliae S. Leoni M. de consensione fidei gratulantium verba producitis, ab iisdem utique discere poteratis, quae vestri similium, quos propterea imitari non pudeat, Antistitum in recipiendis Apost. Sedis definitionibus partes revera sint: ‚apostolatus vestri, inquiunt, scripta ita ut symbolum fidei quisquis redemtionis sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit, et tenaci, quo ad confundendos haereticorum errores paratior sit, memoriae commendavit.‘ (Epist. Epp. Gall. ad Leon. M.) Longe ergo olim aberant praestantissimi Galliarum Eppi ab arrogando sibi iure discutiendi Apost. Sedis Constitutiones, quas ut ipsum fidei symbolum recipiebant, nec multum temporis aut sedulitatis impendendum censebant, ut de illarum executione deliberarent, sed satis sibi esse arbitrabantur, si earum tenorem ad confundendos haereticos memoriae commendarent; docebantque insuper, quod vos maxime animadvertere oportet, Romani Pontificis definitiones non ex ipsorum fide diiudicandas, sed potius suam ideo firmam ratamque agno-

*) ‚Nos (Eppi), qui s. canones et decreta Sedis Rom. Pontificum sub ipsius Apostolicae Petrae iudicio exequimur, nihil aliud, quam iuste iudicantium fautores et iustorum iudiciorum executores obedientiam S. Spiritui praestamus, qui per eos locutus est, et Sedi Apostolicae, a qua rivus religionis et ecclesiasticae ordinationis et canonicae iudicationis profluxit.‘ (Hincmar. Rem.)

scebant, quod definitioni Romani Pontificis consentiret. Audite illos S. Leoni ita subdentes: ‚Doctrinae post Deum vestrae debet quisque fidelis, ut constanter teneat, quod credebat, debet etiam infidelis, ut a perfidia sua, agnita veritate, discedat, et apostolicae institutionis luce perfusus erroris sui tenebras derelinquat.‘ Haec est patrum fides, haec maiorum traditio, haec constans veterum Gallicarum, sicut et ceterarum totius orbis christiani Ecclesiarum regula, quae quorumlibet demum novis humanorum ingeniorum adinventionibus oppugnari potest, labefactari omnino non potest.

Neque vos ipsos, ven. fratres, praeclara vestra aut sacrarum literarum peritia aut in evolvendis priscis Ecclesiae monumentis studium ac diligentia ignorare patitur, quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quod nimirum Sedes beati Petri Apostoli de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquam liceat de eius iudicare iudicio. Profecto si vel ipsam apostolicae nostrae constitutionis formam et quidem non a nobis recens adinventam, sed a praedecessoribus nostris longa seculorum serie usurpatam observare placuisset, qua omnibus AEppis et Eppis constitutionis eiusdem executionem et observantiam integram auctoritate apostolica praecipimus, committimus et mandamus, edoceri vel ea satis poteratis, nos in hac causa non vestrum consilium exposcere, non rogare suffragia, non expectare sententiam, sed obedientiam iniungere, obedientiam scilicet illam, quam beato Petro apostolorum Principi, sanctaeque Romanae Ecclesiae ac nobis nostrisque apostolicis decretis atque mandatis in ipso sacrae vestrae inaugurationis limine solemni iurciurando polliciti estis. Aegre quidem, ven. fratres, in hoc inviso argumento versamur; memores enim tenuitatis nostrae, non ut dominantes in Cleris, apparere affectamus, sed subditi omni humanae creaturae propter Deum esse cuperemus, atque utinam datum nobis esset humiliori loco consistere. At vero cum neutiquam privatam nostram, sed apostolicae beati Petri Sedis, in qua non immeriti solum, sed et inviti divino sic disponente iudicio praesidemus, causam agamus, postquam diu multumque studio pacis et unitatis amore tacuimus, pluraque perperam adversus eiusdem Apost. Sedis iura dignitatemque gesta caritate Christi, quae patiens est, et paterna prorsus indulgentia toleravimus, dum inordinato pravoque processu impunitarum transgressionum quotidie augentur excessus,

et crebrescunt culpae, quae toleratae sunt studio fidei reparandae, et amore concordiae, amplius dissimulare nobis aut silere non licet; locum nempe Unigeniti Filii Dei ac Salvatoris nostri Iesu Christi, quem indigni tenemus in terris, ultra negligere nec possumus, nec debemus. Videmus enim, ven. fratres, quod non sine intimo paterni cordis nostri moerore loqui compellimur, plurima in dies ab iis, qui se catholicos profitentur, palam scribi minuendis convellendisque huius S. Sedis iuribus, ea profecto, ut minimum dicamus, libertate ac licentia, quae nonnisi heterodoxis Ecclesiae hostibus gaudio, orthodoxis vero piisque scandalo ac luctui, nemini certe fructui ac utilitati esse possint. Iis porro, vel ipsa quandoque nonnullorum Epporum scripta consentire, nimis deploranda nobisque minime ferenda res est: quasivero eadem apostolica iudicia pro sancienda regula fidei a Summis Pontificibus lata, quae paucos ante annos divina aeque ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti omnis Gallicana Ecclesia datis ad praedecessores nostros literis palam professa est, (Ep. 30 Epporum Gall. ad Innoc. X a. 1653.) modo fere infirma debeant ac veluti nutantia reputari, nisi superveniente vestro paucorum scilicet Epporum iudicio fulciantur. Currebatis bene, ven. fratres, et praeclara maiorum vestrorum sequuti vestigia ad Apost. Sedem tamquam ad fidei arcem, totius disciplinae metropolim, et unitatis catholicae centrum, quo omnium Ecclesiarum lineas collimare necesse est, ne alio distortae ruinam inveniant, et ad beati Petri fidem numquam deficientem, qua haereticorum errores peremtorio decreto prostrantur, fidenter non minus quam humiliter confugiebatis. Quare ergo tam cito transferimini pene in aliud evangelium, acsi fidei arcem et disciplinae metropolim ut minus tutam explorare tentetis, lineasque vestras non ad unitatis catholicae centrum deducere, sed potius centrum ad lineas vestras exigere velle videamini, ac demum beati Petri fidem numquam deficientem agnoscere erubescatis? Videte, quaeso, et in conspectu superni Pastoris, qui nos omnes in veritate sua iudicaturus est, sollicita mente perpendite, num illud sit, quod vestri muneris, quin et honoris esse profitemini, et in quo Gallos semper potiores fuisse gloriamini: Sedem scilicet Apostolicam colere, an potius laedere; num S. Romanae Ecclesiae iura, honores, privilegia, et auctoritatem conservare, defendere, augere ac promovere, quod praevio con-

secrationi vestrae iuramento pariter spopondistis, an potius eadem iura convellere, honores imminuere, privilegia et auctoritatem velut in dubium revocare. Et quidem cum, ut Magnus olim fidenter aiebat Leo, praeter illam Petram, quam Dominus in fundamento posuit, stabilis esse nequeat ulla constructio, videte, ven. fratres, ne ista porro causa sit, cur post tot annorum curricula numquam in Ecclesiis vestris pax vera fuerit, nec unquam futura sit, nisi, ut vos ipsi non ita pridem loquebamini, profligandis erroribus Romanae Sedis invalescat auctoritas, et clara firmaque de rebus ad catholicam fidem pertinentibus prolata sententia caliginem omnem discutiat, animos fluctuantes componat, dissidia prohibeat, Ecclesiae tranquillitatem, splendoremque restituat. Tum demum unanimes idipsum sentietis et non erunt in vobis schismata, cum primae Sedi, unde sacerdotalis unitas exorta est, humili adhaesione consentietis; tunc a subditis vobis ovibus integram obedientiam exigetis, cum eam Romanae Ecclesiae, cui subiectos vos esse cognoscitis, pleno animo praestiteritis. Maneat ergo, ven. fratres, suus eppali ordini honor ac dignitas: sed quos posuerunt patres nostri terminos non excedat; Romanam Ecclesiam, Ecclesiarum omnium matrem ac magistram nulli inferiores Antistites iudicare aut docere praesumant, aut post eius iudicare iudicium: sed quae Romanus Pontifex (veteres vobis Gallicanos canones recitamus) secundum suum sacrum ministerium auctoritate apostolica decreverit, in summa veneratione ab omnibus suscipiantur, et debita illi obedientia in omnibus conservetur, et maxime ab his, (ut olim Gallus Antistes Hincmarus, et quidem non ignavus episcopalis amplificator iuris admonuit,) qui in illis regionibus habitant, in quibus divina gratia per eius praedicationem omnes in fide genuit, et catholico lacte nutrivit.

Non ut confundamus vos, haec scribimus, sed pro pastorali nostra sollicitudine, quam vobis debemus impendere, ut fratres et filios carissimos admonemus, rogamus, et obsecramus in Domino Iesu, ne effusa nimis de apostolica Sede, amantissima parente vestra, unde vobis religionis propitio Christo fons et origo manavit, eiusque Constitutionibus et decretis scribendi iudicandive licentia ceteris per universam Dei Ecclesiam offendiculo sitis; dispensatio enim nobis credita est, et ad nostrum tendit reatum, si contra paternarum regulas sanctionum b. Petri, eiusque Sedis causam deseramus; quoniam si negligenter ea, quae

male usurpantur, omittimus, excessus viam aliis aperimus. Nemo ergo vos seducat inanibus verbis, aut falsa vobis protendendae magis auctoritatis vestrae promissione blandiatur. Discamus omnes non altum sapere, sed timere, cum scriptum sit: rectorem te posuerunt, noli extolli; cumque admonente Domino studere debeamus, ut qui maior est in nobis, fiat sicut minor, pudeat, ut qui minores sunt, maiori se aequare, quin et praeferre quodammodo velle videantur. Caritatem sectemur, sine qua nihil sumus, quae non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, et multo minus, quae sua non sunt, tentare praesumit. Maneat dispositio veritatis ipso Christi verbo firmata, quod etiamsi coelum et terra transierint, praeterire non potest, ut scilicet b. Apostolus Petrus, cuius adhuc in sua Sede vivit potestas, et excellit auctoritas, et cuius etiam dignitas in indigno haerede non deficit, confirmare debeat fratres suos, non ipse a fratribus confirmari. *) Unitatem demum catholicae Ecclesiae reiectis variis et inutilibus contentionibus, quae magis quaestionem praestant, quam aedificationem Dei, firmiter custodiamus; unitatem scilicet illam, quae, ut a maioribus nostris accepimus, in eo potissimum sita esse dignoscitur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint, multique pastores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus. (S. Leo.)

868.

Idem PP. ad Regem Galliae eodem in merito.

MON. Quae sub nomine postremi Conventus Cleri Gallicani typis vulgata sunt, si nihil addidissent ad ea, quae aliquot ante annos in huius Apost. Sedis offensionem acta fuere, rem forte hanc etsi per se satis odiosam et sane parum excusabilem

*) ‚A te emendari Ecclesiam Romanam nihil opus erat; nam illa — potestatem a Christo accepit regendi alias et gubernandi et corrigendi, non ut ipsa confirmetur ab aliis; et tu, inquit Salvator ad Petrum, aliquando conversus confirma fratres tuos; non dixit: Confirmare a fratribus tuis, sed confirma.‘ (Iosephus Eppus Metonensis ad Marcum Eugenium Ephesinum Metr.)

dissimulare tamen potuissemus, illius exemplum imitati, qui aiebat: Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus. Verum cum in negotio editae a nobis Maiestate etiam Sua rogante, ad eliminandas Ianseniani erroris reliquias Constitutionis ita egerimus, ut nihil in ea occurreret, quod vel delicatioribus Gallicanorum usuum zelatoribus displicere merito posset, nihil aequius profecto expectare nos posse putabamus, quam ut in Cleri Comitiis pari saltem cautione ac moderatione erga hanc S. Sedem ageretur, eo praesertim tempore, quo maiore opus erat tum inter Caput et membra tum inter Sacerdotium et Imperium concordia. Quamvis autem minime dubitemus, eam revera fuisse omnium, aut plerorumque saltem qui aderant Epporum mentem, Maiestate Sua certe idipsum intendente, tamen necesse est obreptum illis fuisse quorumdam callidorum hominum molitionibus, qui hanc utriusque Potestatis concordiam exitio sibi esse dudum experti ad eam quodammodo labefactandam zizaniorum semina spargere clanculum studuerunt: quod utique nimium illis e sententia cessit; namque hactenus ex huiusce Conventus actis perinde conservata esse videntur, ac si non tam de recipienda praefata Constitutione nostra quam de Sedis Apost. auctoritate circumscribenda vel potius deprimenda cogitatum esset. Neque vero hic de ea solum causa agimus, quam nonnulli propriam ac veluti privatam huius S. Sedis esse volunt, (quamquam vix ulla Romanae Sedis causa peculiaris esse possit, quae non statim ad universam Ecclesiam, cuius illa Caput et mater et magistra est, pertinere dicenda sit) sed usurpatam nuper doctrinarum novitatem insectamur, brevi nisi reprimatur processuram usque ad integram Constitutionum Apostolicarum ipsiusque adeo Catholicae fidei subversionem, ac Regiarum Maiestatis Tuae sanctionum elusionem, ad Iansenismi pariter et Quietismi imo et cuiuscunque posthac haeresis impunitatem et triumphum. Quae omnia quoniam Maiestati tuae dissimulata fuisse intelligimus, ne a nobis per quamdam exaggerationem dicta esse videantur, ex dil. filio nostro Tussano S. R. E. Cardinali Iansonio, nobis hac de re paucis ante huius ab Urbe discessum diebus disserenti, pluribus confirmavimus, et per ven. fr. Augustinum AEppum Amaniensem Nuncium apud Te nostrum Maiestati tuae tum voce tum etiam scripto pro rei gravitate modo explicari mandavimus, ut plane intelligas, quam longe a veteri probataque Ecclesiae Gallicanae

doctrina atque ab ipsa agendi ratione, quam in recipiendis debitaque obedientia exequendis Innocentii X et Alexandri VII praedecessorum nostrorum Constitutionibus ipsimet Galliae Antistites iniere, postremus coetus iste discesserit. Quamobrem absque pastoralis muneris nostri negligentia omittere diutius non potuimus, quin eas, quas dudum de perperam in eodem coetu assertis actisque conceperamus, querelas ad ven. fratres AEppos, Eppos, aliosque Ecclesiasticos viros, qui inibi tunc congregati fuerant, deferri curaremus, eosdem apostolica auctoritate, quam Deo auctore licet indigni gerimus, et Deo adiuvante ad ultimum usque vitae spiritum constantissime sustinebimus, sedulo admonentes, ut tradita sibi in Ecclesia sollicitudinis parte contenti plenitudinem potestatis huic uni beati Petri Cathedrae divinitus attributam usurpare non audeant, et eiusdem de catholica fide decreta venerari et exequi discant, non discutere aut iudicare praesumant. Ceterum in hac expostulandi necessitate, (cui nos nonnisi coactos cedere debuisse facile ex ipsa diuturni temporis mora intelliget Maiestas sua) hoc nobis solatio est, quod sciamus huiusmodi querelas in aliquos duntaxat, nequaquam vero in universum Cleri Gallicani corpus recidere; nam praeterquam quod plures Regni provinciae, sicut nobis innotuit, suis ad Comitia delegatis nullam de rebus dogmaticis decernendi potestatem fecerant, nullumque procuratores absentium Epporum, qui magno satis in numero erant, super hisce rebus suffragium tulerant, publica insuper constantique fama percepimus, clari nominis Eppos non defuisse, qui magnopere obstiterunt, ne in Acta referrentur ea, quae perniciosam novitatem continere adeoque nobis ingrata fore satis superque cognoscerent. Quemadmodum igitur illa, quae minus legitime et contra veterem sanamque atque etiam in Gallia custoditam maiorum doctrinam gesta sunt, et nonnisi Iansenianae ceterarumque haeresum novitatibus in tuto ponendis proficere possunt, datis ad eosdem Eppos literis improbavimus, ita ex meliori eorum consilio et Maiestatis tuae potissimum, quae tantam in rescecandis erroribus Ecclesiaeque pace concilianda sibi laudem promeruit, zelo emendanda prorsus fore confidimus; neque enim nostram, dum antiquos custodiri fines volumus, sed fidei et ecclesiae quin et ipsius regni tui causam agimus. — *Examen du quatrieme article de 1682.* p. 166. ss.

869.

Damnatio libellorum, qui adversus decretum de removendo AEppo Sebasteno a Vicariatu Hollandico in lucem prodiere, A. 1707.

MON. Cum, sicut nobis innotuit, obtentu tam defendendae causae ven. fratris *Petri Coddaei* AEppi Sebasteni, quem nos dudum ab Apostolico Hollandiae illique foederatarum provinciarum Vicariatu, nostro desuper die 3. April. 1704. edito decreto removendum duximus, quam tuendarum quarumdam eiusdem Petri AEppi scriptionum, quas eodem decreto damnavimus, et prohibuimus, quamplurima inquietorum hominum et publicae tranquillitati adversantium opera in lucem prodierint, et in dies prodeant libelli, quorum evulgatione exortae hactenus inter catholicos illarum partium turbae atque dissidia foventur, imo et pravae doctrinae semina ad simplicium subversionem non sine maximo orthodoxae fidei detrimento diffunduntur: nos, dum de aliis tam gravi morbo in animarum nobis ab Altissimo commissarum perniciem vergenti opportune adhibendis remediis sedulo cogitamus, aliquos interea ex iisdem libellis, qui ad Apostolatus nostri notitiam pervenerunt, latino, gallico, et belgico idiomate typis impressos ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sede Apost. specialiter deputatis examinandos commisimus, quorum tituli sunt infrascripti, videlicet:

1. Apologia pro Clero Ecclesiae Batavorum Romano-Catholicae, seu rationes, ob quas Clerus censuit in locum RR. AEppi Sebasteni non esse illico recipiendum D. Theodorum Cokkium. Per *Ioannem Palaecpistum*. Delphis. 1702.

2. Assertio iuris Ecclesiae Metrop. Rom. Catholicae adversus quosdam, qui eam ad instar Ecclesiarum per infidelium persecutiones destructarum iure pristino penitus excidisse existimant. Per I. C. E. I. V. Licent. eiusdem Ecclesiae Canonicum. Delphis. 1703.

3. Imago Pontificiae dignitatis penicillo SS. Scripturarum ac Traditionis native delineata: ubi quid Pontifici Romano competat, vel non competat, collectis ex ecclesiastica supellectile documentis luculenter ac compendio demonstratur. Auctore *Desiderio Palaeophilo.* Constantiae. 1704.

4. Cleri Catholici per Foederatum Belgium, et AEppi Sebasteni Religio vindicata contra libellum Memorialem de statu et progressu Iansenismi in Hollandia. Ioannis Clerici in S. Augustinum censura refellitur. Scripta varia ad rem pertinentia ad calcem appenduntur. Auctore *Christiano Philireno* Presbytero S. T. Professore. Traiecti. 1703.

5. Motivum iuris pro Capitulo Cathedrali Harlemensi. Harlemi. 1703.

6. Refutatio responsi ad libellum, cui titulus: Motivum iuris etc. sive elucidatio ulterior iurium eiusdem Capituli. Harlemi 1703.

7. Epistola Petri Coddaei AEppi Sebasteni ad Catholicos incolas Foederati Belgii de suo ad Urbem itinere, ac de muneris sui administrandi interdictione. Traiecti. 1704.

8. Epistola secunda Petri Coddaei AEppi Sebasteni ad catholicos incolas foederati Belgii. Traiecti. 1704.

9. Even redige Samenspraek ophot Veruvyzen Van Onsen Saligmaker Iesus Christus, en op de Zaek Vanden Arschbischop van Sebasten.

10. Xenicum Chronographicum, sive selecta innocentiae per invidiam calumniamve oppressae exempla Ill. ac RR. D. Petro Coddaeo AEppo Scb. Pro strenua oblata cordis et animi sinceritate. 1705.

11. Lettre de M. N. a un Seigneur d' Angleterre sur la demande s' il est bon d' employer les PP. Iesuites dans une Mission? Qu'on a trouve a propos de donner derechef an public entrant qu' elle fournit de la lumiere dans l' affaire de Mons. de Sebaste, 1686. 3. Fevr.

12. Klagende Merkuur Oppedragen aan de Heer Franc. Fairlemus Th. Dr. Door Henrick Spoor Ph. et Med. Dr. Utrecht. 1703.

13. Lettre d' un Homme de qualite pour servir de response a une autre Luy addressee par Mons. l' Internonce Apostolique avec la Bulle qui a pour Titre, datu a Rome le 7. Avril 1703.

14. *Adeodatus Po.* Compresbyteris de clero per Foedera-

tum Belgium, D. Theodorum Cokkium non recipientibus S. P. D. Delphis. 1703.

15. Responsio *Henrici Spoor* ad epistolam sibi scriptam a D. Internuntio Bruxellensi edita latino et belgico idiomate. 1703.

16. Lamenta et querelae Sponsae Sebastenae per Clementem XI viduatae, ad eundem pro sponso suo.

17. *Cato Uticensis* redivivus ad amplissimos ADiocecseos Ultraiectensis, et Dioeceseos Harlemensis Capitulares viros. Pro aris et focis.

18. *Gisberti Amstelii* expostulatio altera adversus Loyolitas, foedos societatis Iesu desertores. Coloniae. 1704.

19. Collyrium Theodoro de Cock dono missum per M. M. A. P. C. cordis amicitia. 1704.

20. Declaratio et responsiones ab AEppo Sebasteno, cum in Urbe esset, EE. DD. Cardinalibus tradita et iam orbi pandita christiano. 1704.

21. Avis sinceres aux Catholiques des Provinces unies sur le Dearet de l' Inquisition de Rome contre M. l' Archeveque de Sebaste Vicaire Apost. avec plusieur Pieces, qui ont rapport a son affaire. 1704.

22. Reflexions succintes sur la lettre d' un Catholique Romain un de ses Amis d' Italie touchant l'etat present des Catholiques Romains en Hollande, 7. Nov. 1704.

23. Literae ad AEppum Sebastenum nomine S. Congr. de Prop. Fide 25. Aug. 1703. ut fertur, scriptae, ab inquietis quibusdam hodie in lucem editae, notis vero brevibus illustratae per *Ianum Parrhasium*. Amsterodami. 1704.

24. Diotrephes, sive Spiritus et opera Theodori Cockii accurate descripta, et iustificando Clero cum in Vicarium Apost. non recipienti in lucem data, ab *Eugenio Clario* Theologo. Lugduni. 1704.

25. Iesuitarum aliorumque Romanae Curiae adulantium de Summi Pontificis auctoritate commenta, Regnis Regibusque infesta, ac specialiter supremis praepotentibusque Foederati Belgii Ordinibus periculosa: fideliter proposita per ICtum Batavum Ecclesiae et Patriae amantem. Amsterodami. 1704.

26. Notae breves in Epistolam ad Catholicos Hollandiae, quae sub nomine Pontificis Clementis XI circumfertur, per ICtum Batavum.

27. Notae in decretum, quod sub Inquisitionis nomine circumfertur, contra AEppum Sebastenum. Per *Ianum Parrhasium.*

28. Disquisitio theologica de potestate, ac iurisdictione, quibus in Foederati Belgii provinciis etiamnum fruitur AEppus Sebastenus, ablato licet Vicariatu Apostolico, numquam antehac typis edita.

29. Zedelyke Ovveruveginge van het Decreet der Roomse Inquisitie, des Iaars 1704. 3. April. Tegens de ver Klaringe en Verantvvoorainge des Aarschsbisschops Van Sebasten. Rotterdam. 1704. Id est: modesta consideratio Decreti Romanae Inquisitionis a. 1704. —

30. Pacifica admonitio super certam epistolam nomen ferentem Clementis XI.

31. Denunciatio apologetica Petri Coddaci AEppi Sebasteni sinceris solidisque documentis firmata, quam circa praecipua causae suae capita evulgandam duxit. Traiecti. 1706.

Auditis itaque memoratorum Cardinalium, qui relatas sibi super iisdem libellis plurium in S. Theologia Magistrorum censuras diligenter perpenderunt, sententiis, creditum nobis a Domino pastoralis curae atque vigilantiae munus, quantum nobis ex alto conceditur, salubriter exequi cupientes, de eorumdem Cardinalium consilio, ac etiam motu proprio — non modo omnes et singulos supradictos libellos, utpote multa falsa, calumniosa, Ap. Sedi eiusque ministris iniuriosa, piarum aurium offensiva, scandalosa, temeraria, erronea, atque in apertum schisma tendentia continentes; verum etiam omnes et quoscunque alios libros, libellos, epistolas, et alia quaevis opera seu opuscula directe vel indirecte adversus praefatum nostrum decretum remotionis supradicti Petri AEppi, nec non damnationis memoratarum eius scriptionum quocunque idiomate hactenus edita, et si quae in posterum edi contigerit, tenore praesentium damnamus et reprobamus. — Datum Romae die 4. Oct. 1707. — **Bullarium** *edit. Luxemb.* X. 187.

870.

Card. AEppus Parisiensis Clementi XI PP. declarat: Clerum Galliae Constitutionibus dogmaticis S. Sedis plenum exhibere obsequium, A. 1711.

MON. Cum intimo doloris sensu accepi, modum illum, quem Clerus noster Gallicanus in Comitiis habitis a. 1705. tenuit occasione Constitutionis a Sanctitate Vestra editae adversus Iansenianum errorem, quae incipit ‚Vineam Domini Sabaoth', visum fuisse eidem Sanctitati Vestrae diversum ab eo, quem olim Maiores nostri occasione Constitutionum a Summis Pontificibus Innocentio X et Alexandro VII eadem in re editarum tenuerunt, adeoque praefatam Sanctitatis Vestrae Constitutionem non ea, qua par est, obedientia ac veneratione ab eodem Clero acceptam fuisse. Quod sane cum a mente ipsius Cleri prorsus alienum fuerit, officii mei et aequitatis esse duxi, Beatitudini Vestrae, quid rei esset, aperire, maxime cum iis Comitiis praefuerim, eaque de causa votorum omnium particeps, ac praecipuus testis extiterim. Testor igitur *primo*, in Comitiis praedictis Clerum nostrum vere in animo habuisse Sanctitatis Vestrae constitutionem eodem prorsus obsequio, eadem obedientia accipere et amplecti, qua maiores nostri omnes Sanctitatis Vestrae praedecessorum bullas adversus Iansenium acceperunt, et amplexi sunt. *Secundo*, cum Clerus dixit ‚Constitutiones Summorum Pontificum a corpore Epporum acceptatas totam Ecclesiam obligare', mens eius non fuit, necessariam esse eiusmodi acceptationis solemnitatem, ad hoc, ut illae tamquam regulae credendi et loquendi ab omnibus Catholicis haberi debeant: licet aliquando ista solemnitas non mediocris esse possit utilitatis, ubi natus est error: ultima enim Iansenistarum munimenta penitus convellere, ipsisque effugium omne in nostris partibus principio ab ipsis concepto intercludere operae pretium duxit. *Tertio*, non sibi arrogavit Clerus, ut sanctiones Pontificias examini suo iudicandas subiiceret, sed in ipsis, quod olim scribebant Leoni M. Eppi Gallicani. gaudens et

exultans fidei suae sensum recognovit, et ita se semper tenuisse, ut vester apostolatus exposuit, iure laetatus est. *Quarto,* certum illi fuit, Pontificiis decretis adversus Iansenium nihil deesse, ut universam Ecclesiam obligent, et circa illa nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse. Idem et de Apostolicis adversus Bajum, Molinosum, et librum vulgo dictum ‚Maximes de Saints' definitionibus professurum fuisse Clerum existimo, si de illis actum fuisset. Quae cum ita se habeant, et genuinam nostrorum Epporum sententiam explicent, Sanctitatem Vestram enixe precor, ita de Ecclesia Gallicana sentiat, ut illam credat, qualem scripsit Innocentio II S. Bernardus: fortem in fide, pacificam in unitate, devotam in obedientia vestra, promtam ad servitium. Sic etiam hodie omnes affecti sunt Eppi nostri, ego vero debitae apostolatui vestro obedientiae primus omnium faciam satis. Apostolicae Sedi quanta debeam, monebunt me semper Religio, gratus animus, et insita erga Romanam Ecclesiam reverentia; neque necessarius erit ad confirmandam omnimodam hanc meam observantiam aspectus purpurae illius, qua honestor. — Parisiis 28. Iun. 1711. L. A. Card. de Noailles. — **Viva** *Quesnellianae theses.* Beneventi. 1721. —

871.

Decretum S. Congr. Officii circa obitum Iansenistici **AEppi Sebasteni,** in contumacia et inobedientia erga decreta S. Sedis Apost. decedentis, A. 1711.

MON. In Congregatione generali S. Rom. et universalis Inquisitionis habita in Conventu S. Mariae supra Minervam coram Emin. et RR. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem generalibus Inquisitoribus a S. Sede Ap. specialiter deputatis: Lectis literis D. Nuntii Apostolici Coloniensis referentis D. *Petrum Coddeum* AEppum Sebastenum in Hollandia gravi morbo detineri non sine imminenti vitae periculo, seque ad tollendum, si fieri posset, publicum scandalum, quod ex notoria et diuturna eiusdem AEppi inobedientia

tot decretis apostolicis exortum crescebat in dies, transmisisse in Hollandiam Alexandrum Borgiam Auditorem suum una cum paternis literis, eundem ad veram et catholico AEppo dignam resipiscentiam adhortantibus, et nihilominus ipsum in sua contumacia perstitisse; ac propterea petentis eiusdem S. Congregationis mandata, quid sibi agendum esset, quatenus praefatus AEppus, quod Deus avertat, in eadem damnabili pertinacia moreretur? eadem S. Congregatio re mature discussa die 30. Dec. 1710 censuit: *eidem AEppo, quatenus sine debita poenitentia decesserit, aut decedat, deneganda esse a Christifidelibus solita suffragia tamquam notorie inobedienti, et refractario Constitutionibus et decretis Apostolicis, et privandum esse ecclesiastica sepultura, eaque de re per eundem D. Nuntium Coloniensem admonendos esse omnes catholicos in Hollandiae partibus constitutos.* Quod quidem decretum a R. P. D. Assessore S. Officii SSmo Dno nro D. Clementi div. prov. Papae XI eadem die in solita audientia relatum Sanctitas Sua approbavit et executioni demandari iussit. Cum vero postmodum aliis eiusdem D. Nuntii et pluribus aliorum literis S. Congregationi nunciatus fuerit infelix ac undequaque deplorabilis eiusdem AEppi obitus absque ullo poenitentiae de praefata publica inobedientia signo, imo cum repetita novis et enixis supradicti Auditoris adhortationibus repugnantia atque obfirmatione praesertim in deneganda debita subiectione decretis apostolicis, ac subscriptione novissimae constitutionis SS. D. nostri, quae incipit ‚Vineam Domini' adversus Iansenianam haeresim: eadem S. Congregatio die 14. Ianuar. 1711 re iterum mature discussa quamvis non sine maximo omnium Emin. Patrum dolore censuit supradictum decretum die 30. Dec. 1710. editum esse exequendum, et per eundem D. Nuntium non tam ad damnandam defuncti memoriam, quam ad aliorum contumacium ac refractariorum exemplum, et admonitionem, ut tremendi iudicii Dei memores saluti animarum suarum opportune consulant, omnibus per Hollandiam catholicis significandum esse. Quae omnia et singula — Sanctitas Sua — approbavit et executioni demandari iussit. — *Historia de rebus Eccl. Ultrajectensis* p. 165.

872.

Clemens XI PP. Eppo **Macaonensi** censuras infligit, quod Delegatum ac Commissarium Sedis Apostolicae irreverenter et contumeliose tractaverit, A. 1711.

MON. Ad apostolatus nostri notitiam non sine gravissima animi nostri molestia pervenit, quod ven. frater *Ioannes de Gazal Eppus Macaonensis*, tametsi alias, nempe statim ac ad illius manus devenerant quaedam nostrae in simili forma Brevis literae, quibus ei significaveramus, nos in illas partes ablegasse dil. fil. nostrum Carolum Thomam S. R. E. Cardinalem de Tournon tunc Patriarcham Antiochenum, eique munus nostri et Ap. Sedis *Commissarii ac Visitatoris Generalis* in Sinarum et aliis Indiarum Orientalium Regnis — demandasse, ipse Ioannes Eppus debita reverentia atque obedientia, ut par erat, eiusdem Caroli Thomae Cardinalis — iurisdictionem absque ulla mora agnovisset, quinimo id ipsum per suum Edictum publice affixum et promulgatum toto literarum nostrarum tenore inserto palam declarasset, nihilominus postea tam acriter atque impudenter ipsius Cardinalis — auctoritatem, potestatem ac dignitatem, adeoque etiam *nostra et dictae Sedis iura impetere ausus fuit*, ut non modo per aliud suum Edictum — dicto Cardinali cuiusvis iurisdictionis exercitium in sua dioecesi Macaonensi interdixerit omnemque ei a suis subditis obedientiae actum exhiberi prohibuerit, verum etiam eius nomine a quodam Laurentio Gomez asserto illius Vicario Generali adversus dil. filium Constantinum Priorem aliosque Fratres Conventus — Ord. Eremitarum S. Augustini eo, quod ipsum Cardinalem honorifice excepissent, ad interdicti aliasque poenas et censuras eccles. non minus nulliter quam iniuste deventum fuerit. Ad haec idem Ioannes Eppus eo te meritatis processit, *ut minime attendens ad petram, unde excisus fuerat,* quascunque censuras a praedicto Carolo Thoma Cardinale latas pro irritis et nullis habendas esse publice decla-

raverit, imo etiam contra ipsum Cardinalem inverso sane poenarum per canonicas sanctiones irrogatarum usu maioris excomm. sententiam promulgare non erubuerit, ita *plane apostolicae iurisdictionis hostis et eversor factus, qui illius custos et vindex praecipuus esse debuisset.* Praeterea adeo se immemorem ostendit venerabilis dignitatis suae characteris, ac inviolabilis religionis illius iurisiurandi, quo se Deo, nobis, et Ecclesiae in suscipiendo consecrationis munere obstrinxerat, ut ministris ac officialibus laicis earumdem partium duriora quaeque adversus dignitatem imo etiam personam praefati Cardinalis molientibus se sociaverit, ac pene dux eorum, qui Christum Domini sacrilego ac detestabili ausu multifariam vexarunt, fieri non formidaverit, aliaque plura adversus eiusdem Cardinalis, imo potius nostram et Sedis praefatae auctoritatem ac iurisdictionem attentare praesumserit. Innotuit pariter nobis, quod praemissis attentis dictus Cardinalis, tametsi tunc temporis in praefata civitate Macaonensi non quidem a paganis sed ab officialibus et ministris christianis, nulla sacri characteris, nulla eccles. sanctionum, nulla denique iuris gentium, quod apud barbaras quoque nationes sacrosanctum et inviolabile est, habita ratione multorum militum diurna nocturnaque custodia ut captivus detineretur, — nihilominus inter affectae valetudinis ac tot aliarum tribulationum, quas perferebat, incommoda, crescens quotidie magis in caritate Christi, invictoque animo illius causam agens, postquam praecipuos eiusmodi sacrilegorum excessuum — auctores ac vere iniquitatis filios canonicae severitatis mucrone percusserat, illosque affixis publice contra eos schedulis maioris excomm. poenam incurrisse pronunciaverat: inter alia, ad quae, ut sua quinimo nostra et eiusdem Sedis iura fortiter tueretur, imperterrito animo devenit, omnia et singula per Curiam Eppalem Macaonensem contra ipsum eiusque iurisdictionem gesta, utpote impedientia exercitium muneris sibi a nobis commissi, nec non eccles. libertatis et apost. auctoritatis summopere laesiva circumscripsit, annullavit, revocavit, ac uti nulliter, attentate temere, et audacter facta declaravit. Sententiam insuper assert interdicti in Fratres et Ecclesiam Ord. Eremit. S. Aug. latam nec non quascunque citationes, mandata etc. revocari, aboleri deleri - - mandavit; ipsum vero Ioannem Eppum propter praemissa censuras omnes a s. canonibus — inflictas damnabiliter

incurrisse, illumque pro excommunicato et a fidelium consortio segregato et vitando haberi et habendum esse similiter declaravit. Post haec cum accepisset, *in eadem Civitate Macaonensi non semel adversus Pontificiae potestatis iura et eccles. libertatem convenisse in unum atque in tenebrarum consilia* non modo ministros et officiales laicos sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis et habentes fiduciam in umbra Aegypti, sed etiam eos, qui ceteris lucis exempla praebere atque utpote de altari viventes vel religioso strictioris vitae et obedientiae instituto addicti apostolicam auctoritatem praecipue excolere debuissent, turpiter conspirasse: omnia et singula in eiusmodi conventibus seu potius conciliabulis decreta et statuta, quae Sedis Ap. et eccles. immunitatis iura quovismodo laedere poterant, uti nulla, irrita et invalida — decrevit. — — Cum autem ea omnia, quae adversus praefatum Carolum Thomam Cardinalem decreta, gesta atque attentata fuerunt, quaeque profecto nonnisi summo omnium Christifidelium horrore ac moerore audiri possunt, intolerabilem prorsus eccles. immunitatis Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutae, debitaeque huic S. Sedi obedientiae violationem imo potius eversionem importent, adeoque *Romanum Pontificem in suprema dictae Sedis specula cum potestatis plenitudine ab Altissimo collocatum,* ad quem inprimis pertinent damna et offensae, quae Christis Domini inferuntur, in tanta et tam gravi divini omnis atque humani iuris perturbatione otiosum ac desidem esse minime patiantur: hinc est, quod nos, qui ex commissi nobis coelitus Pastoralis officii debito quorumcunque eidem Apost. Sedi, sanctaeque Dei Ecclesiae competentium iurium nec non quarumvis eccles. personarum — libertatis ac dignitatis assertores in terris ac vindices a Domino constituti sumus, tametsi dictus Cardinalis ea omnia, quae ad ipsius munus pertinebant, quaeque proinde firma semper et salva esse volumus, strenue ac fideliter implere non praetermiserit: nihilominus Pontificii etiam iudicii nostri accessione eccles. iurisdictionis indemnitati uberius consulere, nostraque ac dictae Sedis iura sarta, tecta, atque illibata cuixius tueri et conservare cupientes, — motu proprio et de apost. potestatis plenitudine praefata omnia decreta, etc. tam a Ioanne Eppo et Laurentio Gomez eius asserto Vicario Generali, quam ab officialibus et ministris — adversus personam seu dignitatem supradicti Cardinalis seu alias in prae-

iudicium libertatis, immunitatis et iurisdictionis eccl. atque auctoritatis apostolicae — edita, — penitus et omnino nulla, irrita, invalida, iniqua, iniusta, damnata, reprobata, inania, temeraria, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, ac de facto praesumta, nulliusque roboris et momenti esse — declaramus. — Firmas praeterea ac salvas esse volumus atque decernimus quascunque Censuras et poenas eccles. sive a iure sive a praefato Cardinale latas et promulgatas, quas praefati — propter praemissa quovis modo incurrerunt. — Datum Romae die 15. Mart. 1711. — **Bullarium** *S. Congr. de Prop. Fide.* Romae. 1839. I. 287.

873.

Clemens XI PP. damnat 101 propositiones e libris **Paschasii Quesnelli** depromtas, A. 1713.

MON. Unigenitus Dei Filius pro nostra et totius mundi salute filius hominis factus, dum discipulos suos doctrina veritatis instrueret, universamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, praesentia disponens et futura prospiciens, praeclaro ac saluberrimo documento nos admonuit: ut attenderemus a falsis prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, quorum nomine potissimum demonstrantur magistri illi mendaces, et in deceptione illusores, qui splendida pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine sanctitatis; utque facilius incautis obrepant, quasi deponentes lupinam pellem, et sese divinae legis sententiis velut quibusdam ovium velleribus obvolventes, S. Scripturarum adeoque etiam ipsius Novi Testamenti verbis, quae multipliciter in suam aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui scilicet, a quo progeniti sunt, mendacii parentis exemplo ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum praetendatur auctoritas. His nos vere divinis monitis instructi, ubi primum non sine intima cordis no-

stri amaritudine accepimus, librum quemdam gallico idiomate olim impressum et in plures tomos distributum sub titulo: ‚Le Nouveau Testament en Francois, avec des reflexions morales sur chaque verset etc. Paris. 1699.' Aliter vero: ‚Abrege de la morale de l' Evangile, des Actes des Apostres, des Epistres de S. Paul, des Epistres Catholiques, et de l' Apocalypse, ou pensees chretiennes sur le Texte de ces Livres sacrez etc. Paris. 1693. 1694.' tametsi alias a nobis damnatum, ac revera catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscentem, adhuc tamen tamquam ab omni errore immunem a pluribus haberi, Christifidelium manibus passim obtrudi, ac nonnullorum nova semper tentantium consilio et opera studiose nimis quaquaversum disseminari, etiam latine redditum, ut perniciosae institutionis contagium, si fieri possit, pertranseat de gente in gentem, et de regno ad populum alterum: versutis huiusmodi seductionibus atque fallaciis creditum nobis Dominicum gregem in viam perditionis sensim abduci summopere doluimus; adeoque pastoralis non minus curae nostrae stimulis, quam frequentibus orthodoxae fidei zelatorum querelis, maxime vero complurium vener. fratrum, praesertim Galliae Epporum literis ac precibus excitati, gliscenti morbo, qui etiam aliquando posset in deteriora quaeque proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus. Et quidem ad ipsam ingruentis mali causam providae nostrae considerationis intuitum convertentes, perspicue novimus summam huiusmodi libri perniciem ideo potissimum progredi, et invalescere, quod eadem intus lateat, et velut improba sanies nonnisi secto ulcere foras erumpat, cum liber ipse primo aspectu legentes specie quadam pietatis illiciat; molliti enim sunt sermones eius super oleum: sed ipsi sunt iacula, et quidem intento arcu ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut salubrius praestari a nobis posse arbitrati sumus, quam si fallacem libri doctrinam generatim solummodo a nobis hactenus indicatam pluribus singillatim ex eo excerptis propositionibus distinctius et apertius explicaremus, atque universis Christifidelibus noxia zizaniorum semina e medio tritici, quo tegebantur, educta velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis et quasi in propatulo positis non uno quidem aut altero sed plurimis gravissimisque tum pridem damnatis tum etiam nove adinventis er-

roribus plane confidimus, benedicente Domino fore, ut omnes tandem apertae iam manifestaeque veritati cedere compellantur. Id ipsum maxime e re Catholica futurum, sedandis praesertim in florentissimo Galliae regno exortis ingeniorum varie opinantium iamque in acerbiores scissuras protendentium dissidiis apprime proficuum, conscientiarum denique tranquillitati perutile, et propemodum necessarium non modo praefati Eppi sed et ipse inprimis carissimus in Christo filius noster Ludovicus Rex Francorum Christianissimus, cuius eximium in tuenda Catholicae fidei puritate, exstirpandisque erroribus zelum satis laudare non possumus, saepius nobis est contestatus, repetitis propterea vere piis et Christianissimo Rege dignis officiis atque ardentibus votis a nobis efflagitans, ut instanti animarum necessitati prolata quantocius Apostolici censura iudicii consuleremus. Hinc adspirante Domino eiusque coelesti ope confisi, salutare opus sedulo diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, adgressi sumus, ac plurimas ex praedicto libro iuxta supra recensitas respective editiones fideliter extractas, et tum gallico tum latino idiomate expressas propositiones a compluribus in S. Theologia Magistris, primo quidem coram duobus ex ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus accurate discuti, deinde vero coram nobis adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio quam maxima diligentia ac maturitate, singularum insuper propositionum cum ipsomet libri textu exactissime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus expendi et examinari mandavimus. *(Sequuntur 101 propositiones.)* — Auditis itaque tum voce tum scripto nobis exhibitis praefatorum Cardinalium aliorumque Theologorum suffragiis, divinique inprimis luminis, privatis ad eum finem publicisque etiam indictis precibus, implorato praesidio, omnes et singulas propositiones praeinsertas tamquam falsas et captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiae et eius praxi iniuriosas, neque in Ecclesiam solum sed etiam in Potestates seculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de haeresi, ac haeresim ipsam sapientes, nec non haereticis et haeresibus ac etiam schismati faventes, erroneas, haeresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam haereticas, variasque haereses et potissimum illas, quae in famosis Iansenii propositionibus, et quidem in eo sensu, in quo hae damnatae fuerunt, acceptis continentur, manifeste inno-

vantes, hac nostra perpetuo valitura constitutione declaramus, damnamus, et reprobamus. Mandantes omnibus utriusque sexus Christifidelibus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, praedicare aliter praesumant, quam in hac eadem nostra Constitutione continetur, ita, ut quicunque illas — docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam disputative tractaverit, nisi forsan impugnando, ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes a iure statutis poenis ipso facto absque alia declaratione subiaceat. Ceterum per expressam praefatarum propositionum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus: cum praesertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus propositiones illis, quae damnatae fuerunt, consimiles, et affines, iisdemque erroribus imbutas; nec sane paucas sub imaginario quodam veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam et pervicaciam nutrientes, easque falso christianae patientiae nomine praedicantes: quas propterea singulatim recensere et nimis longum esse duximus, et minime necessarium; ac demum, quod intolerabilius est sacrum ipsum Novi Test. textum damnabiliter vitiatum compererimus, et alteri dudum reprobatae versioni gallicae Montensi in multis conformem, a vulgata vero editione, quae tot seculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, et aberrantem, pluriesque in alienos exoticos ac saepe noxios sensus non sine maxima perversitate detortum. Eundem propterea librum, utpote per dulces sermones et benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piae institutionis imagine seducendis innocentium cordibus longe accomodatum — auctoritate apostolica tenore praesentium iterum prohibemus, ac similiter damnamus, quemadmodum etiam alios omnes et singulos in eius defensionem tam scripto quam typis editos, seu forsan (quod Deus avertat) edendos libros seu libellos, eorumque lectionem — et usum omnibus — sub poena excommun. per contrafacientes ipso facto incurrenda prohibemus pariter et interdicimus. — Datum Romae a. 1713. sexto idus Septembris.

874. 875.

Eppi Galliae ad Clementem XI PP. de Constitutione ‚Unigenitus,' A. 1714.

874. MON. Quod olim uni antecessorum tuorum Pontifici excellentissimo scribebat unus ex antecessoribus nostris doctrina et pietate conspicuus, polliceri se securum de totius Galliae devotione super statu fidei captare Sedis Apost. sententiam, (Avitus Ep. Vienn.) idem nos ultro hodie Sanctitati Vestrae pollicemur ac renovamus obsequium. Hoc nos officio defungi et praesens conditio temporum postulat, et inprimis edita a te nuper tanto studio ac labore solemnis ac praeclara Constitutio adversus librum ‚Considerationum moralium in Novum Testamentum,' gallice inscriptum ‚Reflexions morales etc.' Ea ubi primum Regi oblata fuit, ut est ipsius in catholicae fidei defensionem semper intentus et erectus animus, Regiis literis iussit, ut quotquot erant Parisiis Eppi cum aliis, qui illuc deinceps essent accessuri, convenirent, ut collatis inter se consiliis ea qua par est reverentia de eadem Constitutione acceptanda sollicitius agerent: atque haec Comitia illico, prout rei gravitas postulabat, frequentiori Praesulum conventu hac in urbe habita sunt. In iis *nos maiorum nostrorum exempla secuti, atque eodem quo illi in Apost. Sedem studio flagrantes, Sanctitatis Vestrae postremam Constitutionem consimili obsequio ac veneratione amplexi sumus. Neque vero deinceps officio nostro deerimus, ut ab omnibus, quos divina providentia curae nostrae commisit, pari animo ac fide excipiatur.* Istud autem ut certius assequeremur, in iisdem nostris Comitiis decrevimus edere pastoralis documenti communem quamdam formulam. Haec enim ratio et utilior et expeditior nobis visa est, ut non modo evellantur et profligentur errores iusta censura non ita pridem notati, sed ut etiam de iisdem propositionibus, quae illos continent, disputandi ac litigandi rixarum ac novitatum avidis animis omnis tollatur occasio. Erit igitur pastoralis isthaec institutio velut praesidii ac munimenti loco a nobis posita adversus alienas a vero sensu Pontificiae

Constitutionis interpretationes, quibus magnos et uberes, quos omnis Ecclesia certo sperat, imo iam percipit ex Apostolico decreto fructus interturbare vel pessumdare iniqui homines irrito conatu moliuntur. Nobis quoque cura ac studium fuit generalibus literis adhortari reliquos huius regni AEppos et Eppos, ut pastorale a nobis editum documentum velint adsciscere, illudque in sua quisque dioecesi iure suo promulgare. *Omnino* enim *aequum, imo et necessarium videtur, ut qui eadem plane sentiunt, et in unam eandemque Romanae Ecclesiae fidem individuo inter se vinculo concordes cohaerescunt, eadem ipsi palam et loquantur et dicant.* Certe, beatissime Pater, doctrinam novatorum huius temporis Sanctitas Vestra apertissime robustissimeque profligavit, tanta in eorum detegendis erroribus adhibita diligentia, quantam illi in occultandis aut clanculum disseminandis astutiam impenderant; abusi iidem insuper divinarum scripturarum sanctorumque Patrum sententiis venenum ibi propinarunt, ubi christianae plebis simplicitas sperabat se sincero divini verbi pabulo esse reficiendam. Quid superest, beatissime Pater, nisi ut Domino ac Deo nostro non desinamus gratias agere et pariter supplicare; gratulantes quod tantae sanctitatis, tantae fidei, tantaeque doctrinae Apostolicae Sedi, unde Religionis nostrae propitio Christo fons et origo manavit, Antistitem Clementem dederit, petentes etiam, ut datum concessumque munus Pontificii vestri longissima ad aedificationem Ecclesiarum suarum aetate custodiat. Nos autem etsi impares meritis, pari tamen fide parati sumus confortante Domino cum Beatitudine Vestra pro veritate fidei animas nostras ponere. Ita nos de fide catholica et de studio erga S. Sedem cum maioribus nostris sentire palam ac publice profitemur. — Parisiis, Nonis Februarii 1714.

875. *Responsum Clementis XI PP.* Ex literis vestris Nonis Febr. mox elapsi ad nos datis libenter accepimus, omni vos erga hanc S. Sedem obsequio ac veneratione maiorum vestrorum vestigiis inhaerentes editam nuper a nobis Apost. Constitutionem suscepisse, summoque etiam gaudio amplexos fuisse, nec minori studio ac diligentia pro muneris vestri debito curaturos, ut ab omnibus regimini vestro commissis pari animo ac fide inviolate servetur. Eam proinde constantem vigilantiam, quam pro eradicandis ex agro Dominico damnatis erroribus tam alacriter spondetis; illum itidem indefessum zelum, quo pro sanae doctrinae

veritate custodienda eximie flagratis; illam denique fidem, qua sacrosanctae Romanae Ecclesiae indivulso inter vos vinculo cohaeretis, plurimum commendantes, quod, sicut causa poscebat, fiduciam nostram, quam de vobis habemus in Domino, fideliter atque obedienter auxistis, multa exultatione gaudemus. Dissimulare quidem non possumus, molestum nobis initio accidisse, quod rationabilis obsequii vestri erga praedictam Constitutionem praeclarum adeo testimonium, longius plane quam par erat protraxeritis, cum praesertim crescentia isthic in dies perniciosarum novitatum germina celeriorem apostolici nostri iudicii executionem postulare viderentur. Verum omnem prorsus molestiam deposuimus, ubi rescivimus cunctationem vestram, quemadmodum vos palam ac saepius professi fuistis, non quidem animo subiiciendi examini aut iudicio vestro decreta nostra, sed studio duntaxat conciliandae eccles. pacis, et lucrandi, si fieri posset, nonnullos ex fratribus vestris in spiritu mansvetudinis et diligentia caritatis, esse tribuendam. Atque utinam reipsa id assequi licuisset! Non enim nos, non Gallia, non Ecclesia ingemisceret, paucos ex vobis a reliquo coetu divulsos, debitae nobis obedientiae, sub inani praetextu quaerendi novas declarationes, interminatis intendendo quaestionibus, moras interponere: quod utique sine maximo paterni cordis nostri dolore referre non possumus. Quam tamen vos ea in re adhibendam putastis, utpote fraternitatis amatores, sedulitatem, patientiam, et longanimitatem, ultro laudamus; nec sane diffidimus id, quod tam enixe optastis, vos tandem assecuturos esse, illosque, qui contradixerunt, ad cor redituros, constanti praesertim cariss. in Christo filii nostri Regis Christianissimi religione ac zelo opitulante, pro tuenda vestris in regionibus illibatae fidei unitate, quae sub una beati Petri cathedra firmiter coalescit: quamque nos modis omnibus et integram servare parati sumus, et vel in minimo labefactari pro commissa nobis divinitus omnium ecclesiarum sollicitudine pati omnino non possumus. Floreat ergo, novisque in dies feliciter proficiat incrementis per amplissimum Galliae regnum, quam tanto studio ac labore detectis et apertissime profligatis erroribus, aspirante Domino elucidatam universis nuper Christifidelibus annunciavimus, sanctae Romanae Ecclesiae fides; vobisque pro omnimoda exactaque prorsus apostolicae nostrae constitutionis executione nobiscum strenue adlaborantibus humilis Christi

grex pascua salutis expectans doctrinis variis et peregrinis amplius non dispergatur, sed in caulam Domini congregatus e cathedra unitatis doctrinam suscipiat veritatis. Interea nos, dum testata nobis devotionis vestrae consilia libenter amplectimur, et saniora a dissidentibus fratribus praestolamur, Deum patientiae et solatii iugiter orare non desistemus, det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum, ut unanimes uno ore honorificetis Deum, cuius nomine vobis omnibus apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae die 17 Mart. 1714. — **Harduini** *Concil.* XI. 1643. 1653.

876—883.

E literis pastoralibus **Praesulum Galliae** pro Constitutione ‚Unigenitus' editis egregia deducuntur testimonia de suprema Rom. Pontificis in Ecclesia potestate.

876. MON. **AEppus Cameracensis** (Fenelon) *a. 1714.* — 6. Dum S. Augustinus formidandam Pelagii factionem ita alloquebatur: quibusnam verbis Zosimus Pont. Max. ad numerosos Africanorum Epporum coetus scribebat? ‚Quamvis, inquiebat, *Patrum traditio tantam Sedi Apost. auctoritatem tribuerit, ut nullus de ipsius iudicio disputare audeat:* — id vos certe non ignoratis, fratres carissimi, nec idem vos, cum sitis Eppi, latere debet. Licet, inquam, *tantam nos auctoritatem habeamus, ut nullus iudicium nostrum retractare possit,* tamen nil hac in re statuere voluimus, quod per epistolas nostras vobis libenter non communicaverimus, cupientes in eo fraternitatibus vestris dare specimina etc.' Quibus non igitur anathematibus Quesnellum ipsiusque sectatores onerasset Pontifex iste, si illos sic loquentes audisset: ‚Constitutio (pontificia) veram fidem funditus evertit ac pessumdat. An falsas admittemus definitiones? haeresesne procreabimus, ne schisma exoriatur? anne veritatem, id est, Iesum Christum ipsum delebimus? — Cum decisiones Summi Pontificis acceptare nolemus, neque ius neque potestatem habet ille

nos ad eas acceptandas adigendi.' — Eo nixus doctrinae capite (iudicia R. P. a nemine retractari posse) *S. Hormisdas* R. P. suae potestatis limites transilire non arbitrabatur, cum schismaticos, ut ad Ecclesiae communionem admitterentur, atque alios etiam Eppos ne excepto quidem CPno, ut de illorum orthodoxia sibi constaret, subscribere cogebat huic formulario: ‚Prima salus est, rectae fidei regulam custodire etc. *)' Avertat Deus, ut actus tam solemnis, cui Eppi schismatici subscribere tenebantur, ut ad Ecclesiae unitatem redirent, unquam habeatur tamquam inanis sermo et otiosus, aut adulatorie prolatus, qui nil ratum fixum ac serium significet. Hic agitur de ipsa Filii Dei pollicitatione *Petro* facta, cuius veritas seculorum omnium eventibus comprobatur: *Catholicam* nimirum *Religionem in Sede Apostolica integram et illibatam servari; hanc* nimirum *Ecclesiam*, ut Bossuetius Meldensis Eppus mox declarabit, *semper esse virginem*, *Petrum in sua cathedra semper locuturum esse*, *ac fidem Romanam semper futuram Ecclesiae fidem.* In eo pariter actu tam solemni nitide declaratur, integram et plenam christianae religionis soliditatem tunc teneri, quando Sedis Ap. communio possidetur, nec aliquod esse discrimen inter eos, qui Ecclesiae Catholicae communione carent, et eos, qui in omnibus non consentiunt Sedi Apostolicae. Itaque fidei Romanae, quae traditionis communis est centrum, qui contradicit, ille Ecclesiae universalis fidei contradicit. E contra nil in fide periclitatur, qui doctrinae huius Ecclesiae, quae semper est virgo, adhaeret. Haec promissio, quae in fidei professione fiebat, nimirum in omnibus consentiendi Sedis Ap. doctrinae, licet generalis et absoluta, nil temerarium habet, nil immoderatum respectu etiam ipsorum Epporum, a quibus subsignari illa debet, cum ad Ecclesiae unitatem admittuntur. Cavete igitur, fratres carissimi, illos auscultetis, qui contendere audebunt, Papae Hormisdae formularium a mille iam et 200 annis confectum, ut schismati Acaciano mederetur, non fuisse nisi temporaneam Romanae Sedis usurpationem. Haec fidei definitio pro unitate decretoria post trecentos et amplius annos ab Hadriano 2. ad schisma Photii terminandum renovata fuit, atque in octavo Concilio oec. universim approbata. In hoc Concilio declaratur, *catholicam doctrinam illabatam semper in*

*) Vid. Mon. 368.

Apostolica Sede servatam fuisse. In eo pariter quilibet Eppus pollicetur, se numquam a Sedis Ap. fide ac doctrina recessurum, sed in omnibus huiusce Sedis Pontificum definitiones secuturum. — Nonnisi sub hac lege Eppi ad sanctam unitatem revertebantur, nonnisi hoc pretio catholici censebantur. Sine hac subscriptione nullus in concilio octavo generali admittebatur. — 7. Neminem latet, D. *Bossuetium* Meldensem Eppum in coetu Cleri Gallicani a. 1682. calamum ad delineandas quatuor celebres propositiones strinxisse. Unde nullus aequitate pollens illum tamquam adulationis in Romanam Ecclesiam suspectum recusare potest. Haec ipsa sunt verba, quae in pleno illo coetu protulit: ‚Nec quisquam dicat etc.*)' — En illud oraculum seculorum omnium veneratione conservatum! *Universalis Ecclesiae* nimirum *traditionem in hac Ecclesia principali* (Romana) *ab omnibus ubique terrarum fidelibus inveniri ac conservari.* Traditio perinde ac sangvis, qui vivi corporis membra omnia vegetat, a centro ad extremitates et ab extremitatibus ad centrum indesinenter permeat. Haec vivificantis spiritus circulatio abrumpi non potest, quin vita ipsa magni huiusce corporis (Ecclesiae) abrumpatur. Inde fit, ut aliae omnes Ecclesiae cum ista Romana convenire debeant. Hac ratione haereticos omnes confundimus. Quicunque cum hac Ecclesia principali non concordat, sine ulla discussione confunditur, novitatis convincitur, ab immobili recedit centro, ad quod omnes lineae confluere debent, ut fidei unitas servetur. En brevis et mirifica controversia! en praciudicium simplex, facile, ac omnibus ingeniis pervium! quo in una eademque fide constituantur. At vero quid insulsum magis magisque impium foret, quam si diceretur, omnes Ecclesias ad hanc (Romanam) convenire debere hoc posito, quod veritates plures religioni necessarias ista Ecclesia damnasset, atque veram fidem funditus evertisset? Si ita esset, ceterae Ecclesiae nedum cum illa convenire, illam oppugnare deberent, ut illa invita fidem, quam propriis manibus depressisset, exsuscitarent. Si ita esset, nedum illius Ecclesiae principalis auctoritate confundi possent omnes haeretici, ipsa illa Ecclesia confundi, emendari, et ad palinodiam revocari deberet, siquidem Iesu Christi aedificium illa funditus evertisset. Illa Ecclesia nedum haereses non agnosceret, sem-

*) Vid. Mon. 835.

perque virgo esset, haeresi patrocinaretur, ac nonnisi sponsa ob suam corruptelam repudiata foret. Fides Romana iam non esset Ecclesiae fides. Petrus iam in suis successoribus non viveret. Petrus in sua cathedra iam non doceret. Veritatem illa proculcasset, id est, ipsum Iesum Christum. — 8. Verendum nobis non est, fratres carissimi, ne ulterius procedamus id sequendo, quod Ecclesia Gallicana suis in actibus maxime solemnibus ab annis 60 et amplius declaravit. *Fides Petri, quae numquam deficit,* aiebant quinque et octoginta Eppi a. 1651, *iure postulat, ut iuxta solemnem et perpetuam Ecclesiae consvetudinem maiores causae ad Sedem Ap. referantur. — Hoc in negotio* etc. *) — Causa finita est per rescripta apostolica, dicebat alter 40 Epporum conventus A. 1656, utinam et error ipse finiatur! — In hoc monte, Ecclesia nimirum Romae constituta, inquiebat coetus a. 1661. cui aderant 40 Galliarum Eppi, nos ipsi pascimur, ut ait D. Augustinus ad populum suum, pascimus vos, pascimur vobiscum: et quia in eo Dominus docet, statuimus ibi secundum verba Tertulliani finem quaerendi, stationem credendi, expunctionem inveniendi. — Tu ille es, scribebat idem Epporum coetus ad Alexandrum VII, in quo et per quem unus est Eppatus, etc. — Ita Eppi numero prope infiniti Ecclesiae Gallicanae in actibus suis solemnioribus Sedem Ap. alloquebantur. Huiusmodi elocutiones a puriori antiquitate perceperant. Verum an non haec doctrina foret inanis, iners et impia, si Ap. Sedes veram fidem funditus everteret, ut Pelagianam impietatem stabiliret? —

877. **Eppus Aptensis** *a. 1717.* — An ignoratis, *Petrum ad Ecclesiam gubernandam a Christo Domino electum fuisse?* an ignoratis, Christum suum veritatis spiritum Petro omnibusque Petri successoribus communicasse, fidemque obligasse suam cum illis usque ad consummationem seculi manendi? Qui ergo post promissiones tam solemnes et immotas thronum huiusce Apostolorum Capitis lacessere non erubescitis? an non videtis, sic agendo Dominum ipsum a vobis impugnatum iri? ‚Humani conatus, Michaeli Imperatori inquiebat Nicolaus P. M., fundamentum, quod Deus ipse posuit, evertere nequeunt. Quod Dei manus constituit, est inconcussum. Magni sceleris ille reus est,

*) Vid. Mon. 817.

qui ordinationi divinae resistit. Quae Deus S. Sedi atque huic Ecclesiae Romanae concessit privilegia, sunt aeterna. Haec ipse fundavit, et in hoc agro mystico radicitus iniecit, impeti possunt, everti nequeunt; patent conatibus, sed nullo modo convelli possunt.' Non ita parum de religione edoctos vos arbitramur, fratres carissimi, ut ignoretis *praecipua tria privilegia Romanae Ecclesiae a Christo collata haec esse: 1. causas maiores omnes vel recta vel provocatione ad ipsius tribunal referendas esse; 2. eam numquam errasse in his omnibus, quae de dogmate tulit, iudiciis; 3. eam esse centrum unitatis.* Ad haec tria confirmanda facile nobis esset Patrum et omnis aetatis Conciliorum testimonia in medium vobis afferre. Sed cum haec omnia commemorare longius esset, operae pretium duximus huiusce aetatis nostrae intra limites orationem coarctare, nec nisi domesticas vobis auctoritates proponere. Sic appellare non veremur eas omnes, quae ex Cleri Gallicani conventibus, vel ex nostris recentiorum scriptorum historiis, vel ex celeberrimis Universitatibus emanant. En quomodo se habeant nostrates Eppi in literis, quas ad Summum Pontificem de erroribus Iprensis Eppi scripserunt! Animadvertite, quaeso, quam nervosa sint ipsorum verba: ‚Maiores causas, inquiunt, ad Sedem Ap. referre solemnis Ecclesiae mos est, quem fides Petri numquam deficiens perpetuo retineri pro iure suo postulat. Aequissimae huic legi obsequentes etc.' Quid validius, quid expressius, ut ostendatur, Cathedrae Petri fidem semper esse sanam, et indeficientem, atque maiores causas ad illum recta referri. Huic auctoritati accedat duorum e nostris celebriorum historicorum auctoritas, qui, ut omnes agnoscunt, caesari tribuunt quae sunt caesaris, Romano Pontifici vero quae ipsi denegari non debent. Primus est ill. *de Marca* Tolosanus AEppus, qui Facundi sententiam secutus, affirmat Summum Pontificem primam et supremam a Deo potestatem accepisse, nec aliquid contra veritatem facere posse, atque ubi agitur de veritate ab errorum insultibus vindicanda, Romani Pontificis iudicium ceterorum Epporum sententiae praeponderare. Nec minoris ponderis sunt, quae celebris *Fleuryus* in historia sua eccles. tradit. Loquens ille de sententiis, quae in literis Gregorii VII, quarum titulus ‚Dictatus Papae' continentur, fatetur: plures inter articulos in eo dictatu contentos aliquos veros esse, hos nimirum: Romanam Ecclesiam a Christo Domino institutam esse; Summi

Pontificis Legatos licet inferiores omnibus tamen Eppis in Conciliis praesidere; maiores causas ad Romani Pontificis tribunal esse referendas; Romanam Ecclesiam numquam errasse, nec pro catholico haberi, qui cum ea non concordat. De his articulis, prosequitur Fleuryus, catholici omnes convenire debent. Argumenta haec omnia corroborare liceat conclusionibus quibusdam celebris illius *Universitatis,* cuius olim doctrinae sanitas tanto fuit Ecclesiae honori, quanto hodie flagitiosae eiusdem praevaricationes communi fidelium omnium matri opprobrio sunt et dedecori. Sic habent huiusce Facultatis doctores in eo famoso tractatu, quem in lucem ediderunt a. 1384. pro defensione censurae, quam in Ioannis Montesonii Dominicanae familiae alumni errores tulerant; legitur hic tractatus ad calcem libri Magistri Sententiarum: ‚Ille, inquiunt, supremam habet in definiendis fidei controversiis auctoritatem, qui in suis decisionibus errare non potest; atqui Sedes Apost. in suis decisionibus errare non potest, ergo.' Huiusce sacri Lycei verbis aures iterum praebere non pigeat: ‚Nos omnes et singuli (iidem aiunt doctores in censura, quam vulgarunt a. 1554. adversus Soc. Iesu recenter institutam et approbatam) ingenue profitemur, ac sincere testamur, ut semper a nobis factitatum est, Romanum Pontificem universalem esse Iesu Christi Vicarium, Supremum totius Ecclesiae Pastorem, qui a Christo plenitudinem potestatis accepit, cui omnes utriusque sexus fideles obedire, et omnimodam ipsius decretis fidem praebere, atque ea decreta accurate servare singulari obsequio tenentur, ac tandem omnibus, qui aliqua inter homines auctoritate pollent, sedulo invigilandum esse, ne subditi ab ulla horum essentialium officiorum parte recedant.' Ex his percipitis, fratres carissimi, quam solida sint testimonia, ex quibus priora duo, quae Romanae Ecclesiae tribuimus, privilegia confirmamus. Quae tandem ipsi vindicatur dignitas, quod unitatis sit centrum, a nullis unquam nisi ab haereticis impetita fuit: sed irriti eorum conatus dedecus et opprobrium in eos ipsos refudere.' Una est Ecclesia, inquit S. Cyprianus, sub uno Eppatu, cuius partem aliquam in solidum possidet quilibet Eppus.' Inde sequitur, unam tantum esse cathedram, in qua Eppi omnes sedent, unione nimirum, quam cum eo habere debent, qui ut Petri successor, et Iesu Christi Vicarius ipsorum est Caput.' Quemadmodum, (inquiebat olim Symmachus P. M.) in Trinitate una est et individua potestas

ex naturae et essentiae unitate, quae tres personas ita coniungit, ut non sint nisi unus Deus: sic etiam unus est tantum Eppatus ex unitate non solum fidei sed etiam omnium Epporum cum ipsorum Capite communionis, omniumque orbis Ecclesiarum cum ea, quae ab Apost. Principe gubernata fuit, atque inde ceterarum magistra, unitatis centrum et origo facta est.' Haec autem centri praerogativa firmissima est duarum praecedentium, quas in Romana Ecclesia agnovimus, confirmatio, eam scilicet omnium fidei controversiarum iudicem et arbitram esse, atque in fide semper illibatam. Sicuti fluvii corpora extranea omnia, quae in ipsos incidunt, rapido cursu ad mare, quod illorum est centrum, deponere pergunt, nempe ut aequor, si ea reperiat immunda, ad littoris sui arenas reiiciat: sic christianae ecclesiae omnes sui muneris partes esse credunt, novitates omnes, quae in ipsarum sinu circa dogma exoriuntur, ad Sedem Ap. referre. Si autem hic Petri thronus, qui unitatis est centrum, aliquo errore semel inficeretur, ipsius corruptio ceteris, qui ab eo centro derivant, et ad ipsum tendunt, sine dubio communicaretur, sicuti fonte inquinato infecta inveniretur rivuli aqua, quae ex ipso flueret.-- Si Ecclesia Romana errori succubuit, ut novatores contendunt, quid ergo evaserunt, quas Christus ipsi fecit, promissiones, se nimirum ipsi semper adfuturum, ac portas inferi adversus eam non praevalituras? Aliquis fortasse hic asserere audebit, magnum ab his novatoribus poni *discrimen inter Sedem Apost. et Romanum Pontificem eam occupantem,* illos ubique se profiteri obsequiosos et obedientes decisionibus illius augusti tribunalis, quod infallibile esse agnoscunt, dum in eo sedentem erroris accusant. Ne immorer in hac distinctione abstracta, et ab haereticis ad eludendam suam damnationem inventa, quam S. Cyprianus numquam agnovit, cum pronunciet quamlibet Ecclesiam in suo Eppo esse, ‚Ecclesia in Eppo, cum nobis Ecclesia una sit et mens iuncta;' distinctione, inquam, a S. Petro Damiano proscripta, qui Romano Pontifici olim dicebat: ‚tu ipse es Sedes Apostolica, tu es Ecclesia Romana, ad Petri fabricam non recurro, sed ad illum tantummodo, in quo tota residet illius Ecclesiae auctoritas:' ne itaque in hac tam frivola distinctione immorer, contendimus eam in negotio, quod versamus, certe locum non habere. ‚Etsi reliquum omne quis haberet, (inquit S. Aug.) si a

fide Romani Pontificis recedat, extra Catholicam est Ecclesiam, cuius unitas in fidei unitate fundata est.' —

878. **AEppus Senonensis** (Languet) *a. 1718.* — Ponderate aliquantulum, fratres carissimi, quae sit auctoritas Sedis Apostolicae, illius Ecclesiae, quam nostra fidei professione agnoscere tenemur tamquam ceterarum ecclesiarum matrem et magistram: a qua tamen vos divellere plures conantur tot protervis libellis, qui sub aulae Romanae nomine hanc Ecclesiam depromtis e Calviniana officina atrioribus quibusque coloribus depingunt. Non hic quaerimus, an Papa sit errori obnoxius nec ne? non mihi est animus doctorum ultra montes consistentium opinionibus suffragari, neque a regni doctrina deviare. Verum id unum quaerimus, quid nos traditio doceat circa ineluctabilem auctoritatem huius Apost. Ecclesiae, quam unicum et necessarium esse fatemur catholicae unitatis centrum. Operae pretium erit vobis ob oculos ponere non quidem ea, quae Patres hoc de argumento disseruerunt: haec vobis ignota esse non possunt, cum obviae sint eorum textuum collectiones; sed quae ipsimet auctores, qui tenacius nostris libertatibus adhaeserunt, quique maxime alienum ab opinionibus, quae ultra montes obtinent, animum demonstrarunt, pro certis et inconcussis dogmatibus habuerunt, de quibus nulla nobis cum exteris theologis concertatio esset. Primum e recentioribus adduco *Nicolium*, qui certe suspectus non erit. Contra Romani Pontificis infallibilitatem se nitide satis declarat: haec tamen de Ecclesia Romana intra Urbis ambitum constituta tradit: ‚Quaeres, utrum Papa in aliquo errore circa fidem lapso (quod fieri posse supponit Clerus Gallicanus), licitum ac iustum esse posset a Romanae Sedis communione recedere, an tunc Ecclesia Romana posset evadere haeretica, quemadmodum evaserunt Ecclesiae CPna, Antiochena, Alexandrina? Respondeo, nequaquam. Eorum enim haec est doctrina, qui personalem Papae infallibilitatem reiiciunt, quod nempe Deus numquam permissurus sit S. Sedem seu Ecclesiam Romae constitutam in aliquem errorem labi, qui sit contra fidem, et ob quem ab Ecclesiae communione sit resecanda; cum enim Ecclesia caput semper habere debeat, et aliunde caput istud aliud esse non possit nisi S. Sedes et Ecclesia Romana, quae unitatis est centrum, inde sequitur S. Sedem numquam non agnoscendam esse Ecclesiae caput. — Etsi Papae dignitas minime

impediat, quominus in errorem labatur, qui eam possidet, impedit tamen, ne in eum incidat errorem, qui Romanam Ecclesiam abduceret, eamque a reliqui corporis communione rescindi faceret, quod numquam accidere potest.' — Celebris *Bossuetius* omnium postremi seculi theologorum profundissimus atque accuratissimus, ut nobis perinde atque Nicolius suspectus esse non debet, ita non minus aperte nitideque suos hac de re sensus exponit. Nemo ignorat, quae illius fuerint partes in celebri Cleri Gallicani conventu a. 1682 et in promovendo propositionum negotio, quae in eo sancitae fuerunt. In eo tamen ipso sermone, quem ad hunc Cleri conventum habuit, quique illius eiusdem conventus iussu publici iuris factus est, suam his verbis mentem aperit: ‚Nec quisquam dicat, hoc Petri ministerium (ut sit Ecclesiae fundamentum) cum ipso finitum fuisse. Aeternae enim Ecclesiae fundamentum aeternum et ipsum esse debet etc.' *) — Ita loquebatur egregius ille vir, et divinam Cathedrae Petri perpetuitatem ipsis Christi verbis stabilitam demonstrando vobis annunciabat, vobis, inquam, qui contra illam rebellatis, vos minime alterata eius soliditate nec eius duratione unquam interrupta excessuros. Docebat vobis abeuntibus, *aeternam illam Ecclesiam nullas in fide sua vices esse experturam*, immotamque eam futuram post vestram etiam damnationem, ut ausus vestri memoriam e terra deletam videat, de illoque triumphet, sicuti de novitatibus omnibus hactenus triumphare non cessavit. Tertius auctor, de quo pariter nulla esse potest suspicio, est celebris ille *Launoius*, qui in una ex suis epistolis, in qua Bellarmini de Romanorum Pontificum inerrantia opinionem exagitat, agnoscit tamen debitas Ecclesiae Romae fundatae praerogativas et Cathedrae Apost. indeficientem auctoritatem. — At non aliunde tutius quam ex Gallicanis Eppis accipere possumus legitimos sensus, quos erga Sedem Ap. induere ac fovere debemus: quos certe ductores sequendo verendum non est, ne praefixos limites transiliamus. Compertum est, quam illi curam et vigilantiam in Cleri comitiis adhibuerint, ut nostras libertates et principia, quibus illae nituntur, defenderent ac tuerentur, ut sacra Eppatus iura sarta tectaque servarent, et ne quid illis exciderent, quod ad SS. Patrum constantem omnium seculorum

*) Vid. Mon. 835.

traditionem non omnino congrueret. Haec me cogitatio compulit ad eorum hic verba repraesentanda, quibus saepe in pluribus eiusmodi comitiis suam et quidem aequam erga Romanam Ecclesiam et Sedem Apost. venerationem testatam esse voluerunt. Conventus Melodunensis a. 1579. hanc fidelibus omnibus credendi regulam proponit: ‚Aperta professione eam fidem pronuncient, quam S. Romana Ecclesia magistra, columna et firmamentum veritatis profitetur et colit; ad hanc enim propter suam principalitatem necessum est omnem convenire Ecclesiam.‘ Anno 1653. triginta et unus regni Praesules in suis ad Innocentium X literis primaevae Ecclesiae hoc de argumento sensus in haec verba cogunt: ‚Perspectum enim habebat (vetustae aetatis Ecclesia) non solum ex Christi Domini nostri pollicitatione Petro facta etc.‘ *) Consona his sunt, quae conventus a. 1660. ad Alexandrum VII. scripsit. A. 1663. perspicere est easdem loquendi formulas ex eodem spiritu profectas in encyclicis literis, quas Eppi in unum coacti ad regni totius AEppos direxerunt. In eis haec verba leguntur: ‚*Obedientia, quam SS. Patri* (R. Pontifici) *pro more nostro exhibemus, est veluti avita Gallicanorum Antistitum haereditas . . . Eadem est solidum gloriae nostrae caput, quo et fides nostra invicta, et nostra auctoritas infallibilis efficitur,* cum utramque religionis centro indivulse annexam retinemus; cumque Petri Cathedrae tum fide tum disciplina in unitate spiritus ecclesiastici adhaeremus, tunc portae inferi praevalere nequeunt adversus auctoritatem omnibus tenebrarum potestatibus adeo formidandam.‘ Coetus anni 1682. licet eas statuerit propositiones, pro quibus partim habitus est, ab iis tamen non recessit aequis erga Sedem Ap. obsequii sensibus, quorum coetus anteriores tam splendida dederant testimonia. Imo congregati Praesules de hominibus illis amare conqueruntur, qui sacrarum Ecclesiae Gallicanae libertatum obtentu primatum beati Petri eiusque successorum Rom. Pontificum a Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque Ap. in qua fides praedicatur et unitas servatur Ecclesiae, reverendam omnibus gentibus maiestatem imminuere non verentur.‘ Comitia Cleri a. 1700. e re esse iudicarunt in acta referre narrationem rerum, quae in damnatione libri ‚Des Maximes des Saints‘ accide-

*) Vid. Mon. 824.

rant. In ea narratione post AEppi Cameracensis mandatum, quod integrum ibi refertur, haec verba leguntur: ‚Ecclesiae inimicos stupore perculit mutatio Cameracensis AEppi tam subita; — verum Ecclesia, quae novit gratiam obedientiae annexam, agnovit in hoc APraesulis obsequio naturalem christianae humilitatis ac subordinationis ecclesiasticae effectum; nempe unus est primus Eppus, unus adest Petrus toti gregi regendo a Christo ipso praepositus. Una est Mater Ecclesia ceteris docendis instituta, atque Iesu Christi Ecclesia super hanc unitatem fundata tamquam super petram immotam est inconcussa.' Si gradatim praecedentia secula decurramus, comperiemus Ecclesiam Gallicanam auctoresque iuribus nostris et libertatibus inprimis addictos eadem passim inculcare principia iisdemque verborum formulis uti. Occurrent etiam, qui ultra forte quam par est progredi videntur, quorum propterea testimonia data opera omittimus. Eiusmodi est illud Galliarum procerum in epistola ad Clementem 5 pro elicienda ab eo Bonifacii 8 damnatione; illud Ioannis Parisiensis eiusdem aevi theologi, cuius celebre est nomen ob propugnata iura Philippi Regis adversus eiusdem Bonifacii ausus; illud Meldensis Eppi in oratione ad Eugenium IV habita Caroli 8 nomine, cuius erat orator, cum Florentina Synodus celebraretur. Haec testimonia ultra quam par est efferri forte viderentur, quoniam id ipsis Romanis Pontificibus adserere ac vindicare videntur, quod alia a nobis exscripta tam diserte de Ecclesia Romae constituta et Sede Apost. affirmant, hoc est, eius in retinenda fide indeficientem et immobilem firmitatem. Duorum ergo celebrium Cardinalium *Petri Alliacensis,* et *Nicolai Cusani* testimonia subiicio. Hic in opere ‚Concordantiae Catholicae,' quod Basileensi Synodo obtulit et eiusdem Synodi censurae subiecit, Concilii Generalis supra Pontificem Romanum auctoritatem propugnat. Quin et Pontifices ab errore tutos non esse docet, imo et eorum aliquos, uti Liberium et Honorium in errores incidisse. At simul docet, Cathedram Romanam, Cathedram Petri numquam posse deficere. — Cardinalis Petrus Alliacensis fuit, ut omnibus notum est, unus e celebrioribus nostrarum libertatum defensoribus tempore Concilii Constantiensis: sic tamen loquitur in suo contra errores Montesoni scripto: ‚Ad primam Sedem Ap. pertinet auctoritate iudiciali suprema circa ea, quae sunt fidei, definire, quia fides primae Sedis numquam deficit. De

hac S. Sede in persona Petri in ea sedentis dictum est: ‚ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.‘ Si in anterioribus seculis solidae pariter non desunt libertatum nostrarum probationes, in his eundem inveniemus etiam spiritum eademque principia, ut ex testimoniis, quae nobis suppeditat aevum *Caroli M.* atque *Hincmari*, facile perspicitur. Primus ita loquitur in libris ipsius nomen praeseferentibus: ‚Ecclesia Romana etc.‘ *) Hincmarus, studiosus ille defensor supremae nullique subditae in temporalibus Regum nostrorum auctoritatis atque libertatum nostrarum, suam non minus clare hac in re mentem aperit: ‚Piis, devotis atque catholicis hoc debet sufficere, quod omnium Ecclesiarum mater Sancta Catholica atque Apostolica docet Romana Ecclesia.‘ Paulo supra dixerat: ‚Nos sequimur, quae catholica et apostolica nos docet S. Rom. Ecclesia, quae nos in fide genuit, catholico lacte aluit, uberibus coelo plenis ad solidum cibum nutrivit, disciplina orthodoxa ad perfectum virum perduxit, et ad alios instruendos sua probatione instituit, atque in doctrinali Cathedra fautore et adiutore Domino sublimando constituit.‘ Haud alios hactenus laudavi Scriptores quam Gallos, et ex Gallis eos fere, qui tam nitide de huius Ecclesiae Apostolicae auctoritate eiusque fidei puritate loquuti sunt in eis ipsis operibus, in quibus data opera propugnabant, quae scholae nostrae a multo tempore adversus theologos ultra montes positos tuentur. Non est opus, ut ad superiora secula recurrendo vetustioris aevi monumenta excutiamus, quibus SS. Patrum cum nostrorum auctorum testimoniis concentum demonstremus, nam Patrum textus huc pertinentes nullus ignorat. Non aliorum ergo veterum Patrum textus producam, quam *Tertulliani*, et *Irenaei*, prout eos ipse *Quesnellus* refert et interpretatur in aliquo e suis operibus, quod in sui defensionem elucubravit: ut nostrorum certitudinem principiorum ex iis ipsis intelligatis, quorum profecto e re esset ea prorsus convellere aut saltem elevare. Quis ambigat, inquit Quesnellus de Sede Apost. loquens, quin apostolica traditio in his Ecclesiis matricibus et orginalibus reperiatur? ‚Constat proinde (inquit Tertullianus) omnem doctrinam, quae cum illis Ecclesiis Apostolicis matricibus et originalibus fidei conspiret, veritati deputandam, quippe quae exprimat, quod Ecclesiae ab Apostolis, Apo-

*) Vid. Mon. 444.

stoli a Christo, Christus a Deo accepit.' Et quoniam Ecclesia Romana ab Apostolorum Principibus condita est, constat iuxta S. Irenaei verba, qui ad nos vigentem in Ecclesiis Orientis matricibus et originalibus traditionem attulit, quod ad Romanam Ecclesiam propter potiorem principatum necesse est in doctrina fidei omnem convenire Ecclesiam. Ipsa est dubio procul harum Ecclesiarum princeps, quas matrices et originales fidei Tertullianus appellat, a quibus, ut idem ait, traducem fidei et semina doctrinae ceterae Ecclesiae exinde mutuatae sunt, et quotidie mutuantur, ut Ecclesiae fiant. En ipse Quesnellus, qui vestram et suam damnationem pronunciat! sententiamque ab ipso pronunciatam omnium seculorum Patres, omnesque Gallici auctores, de quibus nulla potest esse suspicio, unanimi calculo confirmant, quaecunque a vobis ad implendam horumce nominum ideam ‚S. Sedes, Sedes Apostolica, Ecclesia Romana, Ecclesia, quae ceterarum mater eas genuit, et veluti magistra eas imbuit', excogitentur: omnia proinde vobis adversantur. Sacer purpuratorum Patrum Senatus suo Capiti adhaerens idem adversus librum et 101 propositiones, quas vos perfracte defenditis, quod S. Pater, anathema intorquet: Constitutio perinde ad eos pertinet, ut ita loquar, atque ad ipsum Iesu Christi Vicarium: testimonia, quae tum coniunctim tum singulatim ab eis identidem reddita sunt, vobis optime comperta sunt atque explorata. Omnes Ecclesiae ordines, qui in hacce christiani orbis metropoli resident, Pontificis iudicio debita veneratione subscribunt; nemo reclamat, nemo protestatur, nemo vobiscum appellat, demto uno, qui aliorum gemitus provocavit. Superest ergo, ut a vobis petam, qui tam audacter pronunciatis, constitutione ‚Unigenitus' fidem, doctrinam moralem ac disciplinam everti, errores in ea intolerabiles contineri, eamque ciere tum proborum gemitus, tum contumelias haereticorum: *qua ratione quae tam furiose a vobis iactantur cum iis concilietis, quae de Ecclesiae Romanae perpetua puritate constans traditio docet? Ergone Sedes Apostolica, in qua numquam fides deficit, id recipit et amplectitur, quo fides evertitur? ergone Ecclesia illa, quae in nullum unquam errorem incidit, erroris promulgatrix effecta est? ergone Ecclesia illa, quae a fide numquam declinat, aberrante ipso eius Eppo fidei iacturae consensit? ergone Cathedra illa, in qua semper Apostolorum Princeps loquitur, et cuius aeternum est ministerium, in cathedram erroris evasit,*

in qua libere praedicetur, quo primum divinae legis praeceptum funditus labefactatur? Quid ad haec, quaeso, vobis responsi suppetit? Sed praeterea petere a vobis debemus, qui cum hac Ecclesia conveniatis, cuius errores, ut dicitis, proborum omnium gemitus excitant? Demum enim, ut ex Irenaeo accepistis, ad hanc Ecclesiam necesse est omnem Ecclesiam, et quidem ut ipse Quesnellus interpretatur, in doctrina fidei convenire. *Necesse est, ut aliae omnes Ecclesiae ex ea quotidie verae doctrinae semina mutuentur, ut Ecclesiae fiant.* Ab ea vos tamen veram doctrinam minime hauritis, qui eam, quam vobis exhibet, erroris et falsitatis insimulatis. Neque in fidei doctrina cum illa convenitis, quoniam decretum, quod illa suscipit ac tuetur, veram fidem destruere, obscurare et evertere dictitatis; enimvero quae tandem conventio Christi ad Belial, vel erroris cum veritate? demonstratum igitur manet, quod statim asseruimus. Pro vobis non stat centrum unitatis catholicae, auctoritas apostolicae cathedrae, sine qua tamen nulla unquam societas veram Ecclesiam se merito dicere, aut verae Ecclesiae membrum esse poterit. —

879. **AEppus Remensis** *a. 1718.* — Proh! quam graviter aberrant, qui contendunt, ne tum quidem S. Sedis honorem violari, cum Romani Pontificis definitionibus resistitur: numquid enim per inobedientiam auctoritas aut per divisionem unitas conservari potest? *Omnibus temporibus Sancti Patres doctrinam Ecclesiae Romanae velut fidei suae normam amplexati sunt.* Frequentes celebrarunt conventus, non ut illam impeterent, sed ut illius impugnatores ad officium reducerent. Adversus hanc tam venerandam Romanae Ecclesiae traditionem Quesnelli sectatores hodie concilium efflagitant. *Illa* autem iuxta S. Irenaeum *confundendis omnibus haereticis sufficit, quia ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam,* et quia in ea ab omnibus qui sunt undique fidelibus conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio. Non dubitavit S. Hieronymus de iis, qui cum Romano Pontifice iuncti non sunt, idem pronunciare, quod quidem ipse Christus de iis pronunciavit, qui sibi non adhaerent: quicunque, inquit, secum non colligit, spargit. Sergius Cypri APraesul in ea ad Summum Pontificem epistola, quae in Concilio Lateranensi perlecta est, diserte exprimit intimos illos venerationis sensus, quibus ipse haud secus ac ceteri omnes suae provinciae Antistites affecti erant,

quosque imis praecordiis alte defixos gerere deberet quisque catholicus; agnoscit ille Ap. Sedem a Christo Deo nostro constitutam fuisse, ut esset fidei firmamentum. Tum enixe rogat Theodorum Papam, ut resolvat nebulas insipientium lumine suae divinae scientiae. ‚Tu es enim, inquit, iuxta divinum oraculum Petrus, et super te innituntur Ecclesiae columnae; — tu profanarum haereseon depositor existis, ut princeps et doctor orthodoxae et immaculatae fidei.‘ Ipsimet haeresiarchae Summi Pontificis iudicio excitatas a se circa religionem disputationes submiserunt, nec in errorem praecipites acti sunt, nisi quia ipsius decisionibus restiterunt. Amplam fidei suae professionem ad Innocentium I transmisit Pelagius, qui et illi significavit cupere se, ut si quid in ea minus perspicue aut parum caute positum esset, ab eo emendaretur, qui Petri et fidem et sedem tenet. Eutyches in sua ad S. Leonem epistola protestatur: se ipsius iudicio in omnibus consensurum. Et Lutherus pariter in epistola, quam scripsit ad Leonem X, dum suas ad eum theses contra indulgentias transmittit, genibus provolutus ipsum enixe rogat, ut damnet vel approbet, quidquid damnandum ipse vel approbandum iudicaret, quia Iesu Christi vocem ipsius ore loquentis in ipso venerabitur. — Estote indivulse uniti *Ecclesiae Romanae,* quae ceterarum mater est et magistra Ecclesiarum. *Illius Ecclesiae traditio, cui totam doctrinam* (ipsa sunt Tertulliani verba) *Apostoli cum sangvine suo profuderunt, vestram dirigat fidem. Summum Pontificem pia illa veneratione et obsequio prosequamini, quod visibili fidelium omnium Capiti nec non illi, qui perfectissima est in terris Iesu Ghristi imago, debemus.* —

880. **Card. Eppus Meldensis** *a. 1722. 1728. a) 1722.* — In errorem igitur lapsa esset Ecclesia Romae constituta, cui tamen vel ipsi Galliarum Scriptores S. Sedi minus faventes fidei indeficientis privilegium ceu praerogativam ipsi propriam vindicant? Si in errorem lapsa est haec Ecclesia, iam illa ipsa dici amplius non posset nostrae communionis centrum, unitatis cathedra, omnium Ecclesiarum mater et magistra: quos tamen dignitatis titulos cum oecumenica concilia, tum illud praecipue ultimo convocatum ipsi detulere, nec vos aliis ipsi nominibus vel ab infantia vestra eam appellare edocti fuistis. Nullus fidelis se iam dicere posset una fide copulatum cum Ecclesia Catholica Apostolica et Romana: licet in catechismis omnibus et specialiter in

Meldensi tradatur, hanc extra Ecclesiam salutem haberi non posse. Non igitur cuipiam licebit amplius subscribere celebri illi Pontificio Hormisdae Formulario ab omnibus olim Orientis Eppis subscripto, quod et in octavo generali concilio confirmatum est, quo quidem declarat S. Pontifex : catholicam religionem sanamque doctrinam in Sede Apostolica immaculatam semper servatam fuisse iuxta Iesu Christi promissionem, quae numquam non adimplebitur. Male igitur pronunciasset Antecessor noster illustrissimus (Bossuetius) in suo ad Conventum a. 1682. sermone : Romanam fidem semper esse Ecclesiae fidem. Nec iam habenda esset Ecclesia Romana tamquam traditionis fons locupletissimus iuxta expressam S. Augustini sententiam ab ipso Quesnello adoptatam? — b) *a. 1728.* — Antequam de ceteris Ecclesiis sermonem instituamus, e re esse iudico huiusce primae Ecclesiae (Romanae) auctoritatis pondus nonnullis observationibus ac testimoniis in Gallia minime suspectis vobis ostendere. *Ecclesia Romae constituta in errorem nunquam incidit*, eo etiam tempore, quo unus alterve Summus Ecclesiae Pontifex aut vi coactus, aut fraude deceptus fidei doctrinam constanter satis non propugnavit, aut satis plene non explicavit. Qui vero fieret, ut ista Ecclesia a veritate declinaret, cum a Christo constituta sit ecclesiasticae communionis centrum, atque caput corporis, quod unum semper esse debet, quodque tamen hanc unitatem servare non potest, nisi cum ea unitum maneat, cum sensuum conformitate, tum perfecta omnium suorum membrorum subordinatione? ‚Ad hanc Romanam Ecclesiam, inquit S. Irenaeus, propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.‘ Haec Romana Ecclesia illa est sacerdotalis unitatis scaturigo, ad quam infidelitas et perfidia accessum habere non possunt. Patres octavae Synodi oecumenicae hoc Sedi Apostolicae honorificum testimonium rependunt, quod in ea integra inveniatur christianae religionis soliditas, quodque illibatam Sedes Apost. fidem semper conservaverit. Hinc est, quod maior illorum tum veteris tum recentioris aetatis scriptorum pars, qu Romani Pontificis infallibilitati maxime obstiterunt, particulari tamen Ecclesiae Romanae privilegium fidei indeficientis palam adserant. *Petrus Alliacensis* Gersonii Magister ad Clementem VII Summum Pontificem legatione missus in ipso libello, quem contra Montesonii errores composuit, ad primam, inquit, Ap

Sedem pertinet auctoritate iudiciali definire, quia fides primae Sedis numquam deficit. Quod quidem S. Scripturae auctoritate atque S. Cypriani et S. Hieronymi testimoniis confirmat. Illustrissimus *Bossuetius* Meldensis dum viveret Eppus, qui, ut norunt omnes, promovendo quatuor propositionum Cleri Gallicani a. 1682. negotio plus ceteris adlaboravit, in sermone, quem ad eum Conventum praeloquii adinstar habuit, declaravit: Petrum in sua cathedra semper loqui, atque hanc esse Patrum et Conciliorum Generalium doctrinam; declaravit hanc Petri cathedram aeternam esse; Romanam Ecclesiam haeresim non agnoscere, unitatis simul et veritatis esse cathedram; declaravit: hanc Romanam Ecclesiam semper esse virginem, atque illius fidem semper futuram universalis Ecclesiae fidem, in ea semper credi, quod creditum est. Eandem D. *Nicolius* propugnat doctrinam in ea Symboli interpretatione, quam interrogationibus et responsis concinnavit, et in qua nil nisi quod ad fidem pertinet vel ad eam saltem propius accedit, eum scripsisse iudicandum est. Et certe suam hanc Nicolius doctrinam affirmat doctrinam esse Cardinalis Cusani, Gersonii, atque eorum omnium, quos Romano Pontifici nimis favere voluisse nemo suspicari potest. Et quidem *Launoyus* dum plurimis Patrum testimoniis, quae Bellarminus ad confirmandam Romani Pontificis infallibilitatem attulerat, respondet, Bellarminum increpat quod Summum Pontificem inter et Sedem Apostolicam nullum interponat discrimen; ipse vero Sedi Ap. referenda esse contendit, quaecunque Bellarminus loca in gratiam Pontificiae infallibilitatis adduxerat. Sic non Romano Pontifici, sed Petri Cathedrae vel Ecclesiae Romanae promissam infallibilitatem esse contendit in illis Christi verbis: Ego rogavi pro te etc. eodemque sensu Patrum textus, qui huc faciunt, interpretatur. *Simon Vigorius* idem conficit: non de Pontifice singulariter, inquit, sed de Romana Ecclesia collective et synodice sumta loquuntur (Patres). Eandem amplectuntur sententiam P. *Alexander*, et D. *Dupinius*. Hic in una e suis responsionibus haec habet notatu maxime digna: licet Ecclesiam Romanam semper subsistere, et a fide non deficere necessarium sit, haud inde sequitur eius Eppum in errorem cadere non posse. —

881. **Eppus Laudunensis** *a. 1730.* — Numquam mente vestra reputastis, fratres carissimi, qualis sit auctoritas illa, a qua constitutiones, quas versamus, emanarunt. Non pos-

sumus illam vobis iniuriam inurere, ut arbitremur, his decretis vos esse obstituros, si cogitassetis illa proficisci ex ipso Iesu Christi in terris Vicario, ex D. Petri successore, ex Capite totius Ecclesiae, ex ipsa Ap. Sede. Malumus pro honore vestro arbitrari, vos falsis ac perniciosis, quae ad deprimendas sacratiores auctoritates atque ad rebellionis amorem inspirandum tartara singulis hebdomadibus evomunt, publicis nuntiis deceptos sivisse in vobis paulatim obliterari illa reverentiae, obedientiae ac humilitatis documenta, quae christiani parentes in mentibus et animis vestris ab ineunte aetate indiderant et infuderant. Ut igitur aequos atque a vobis retinendos de Augusta illa Sede sensus resumatis, revocate vobis in animum celebre formularium, cui ex S. Pontificis *Hormisdae* iussu subscribere tenebantur schismatici, ut ad Ecclesiae unitatem redirent, nec non Eppi ipsi ad manifestandam suam a schismate defectionem: ‚Prima salus est etc.' *) — At obiicietis, Pontifex Romanus ipse est, qui ita loquitur, sanctus ille quidem, sed qui licet sanctus praerogativas suae Sedis exaggerare potuit. Sit ita quidem, iam Pontificum vobis non proferam testimonia; at non recusabitis testimonium unius e doctioribus, quos unquam Gallia tulerit, Eppis, qui numerosi Cleri Gallicani coetus nomine loquebatur et eo quidem tempore, quo de coarctandis, quantum fieri poterat, Cathedrae Petri praerogativis agebatur. Audite igitur *Bossuetium* in Conventu a. 1682. sic loquentem: ‚Nec quisquam dicat etc.' **) — Si a D. *Bernardo*, splendido altero Ecclesiae Gallicanae lumine, quaeritis, fratres carissimi, ad quam Sedem pertineat fidei damna resarcire, quae in ceteris Ecclesiae partibus emergere possunt, respondebit magnus ille Doctor, id ad Sedem Romanam pertinere, quia fides in ea non potest sentire defectum: dignum, inquit, namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum, haec quippe huius praerogativa Sedis. —

882. **Eppus Massiliensis** *a. 1733. et 1736.* — a) *a. 1733.* Cum laeti ac grati animi sensibus perfruimini, fratres carissimi, concessa vobis libertate ac felicitate *veram Ecclesiam ex Petri Cathedra dignoscendi.* Frustra sibi Apostolorum nomina

*) Cf. Mon. 368.
**) Vid. Mon. 835.

adaptabuut pseudodoctores, frustra Iesu Christi gloriae studiosos se profitebuntur; ex sua illos dignoscetis cum *Petri Sede* discrepantia, *cui S. Paulus, licet scientia, donis spiritualibus, caritate ac fortitudine maximus subiectus erat.* Cathedra, quam isti pseudodoctores adversus unitatem exstruunt, a Christo non est constituta, sortem illa cathedrarum omnium reprobatarum experietur. Errabunda quamdiu subsistet, subruetur tandem, solamque post se suarum impietatum memoriam relinquet. Non ita profecto fiet de cathedra aeterna. Haec Romae constituta ac stabilita fuit. Haec est illa Romana Ecclesia, quae a S. Petro ipsiusque successoribus edocta haeresim non agnoscit. Aliquam in ea cathedram erroris sui ponere affectarunt Donatistae, quo obiectatum illis unitatis defectum amolirentur. Verum cathedra illa pestilentiae prope cathedram veritatis collocata nec subsistere potuit, nec labentibus temporibus habere successores. Ne timeatis igitur, fratres carissimi, ut Ecclesia, quae unitatis ac catholicae veritatis est centrum, possit unquam evadere sedes erroris aut fons profanae novitatis, sicuti a nonnullis interdum hodie vobis obtruditur. Ecclesia Romana semper est virgo, fides Romana semper est fides Ecclesiae, in ea semper creditur quod creditum est, eadem vox insonat ubique, et Petrus in suis successoribus manet fidelium fundamentum, id Christus ipse dixit, ac coelum terraque transibunt potius quam ipsius verba. Suum huic veritati testimonium praestat, et quidem coram Clero Gallicano ipsiusque nomine Eppus sua eruditione ac suo pro nostris libertatibus studio maxime commendabilis. — Omnem, fratres carissimi, novatoribus ansam auferamus exaggerationis nos arguendi, cum pro Ecclesia Romana loquimur, quam lacessere ipsi ac impie insectari non cessant, hac in re nil nostrum proferamus. Sinamus, ipsi loquantur, qui nos praecesserunt, Eppi omnium praestantissimi. Populi fideles ac dociles attentis percipite auribus, quae mox audituri estis, illorum sermo traditionis et ideo veritatis est sermo, confidenter et dicimus, noster quoque est, et solus quem auscultare debeatis; in illo vos invenietis damnationem turbulentorum illorum hominum, unitatis ac subordinationis hostium, qui nil omittunt, ut vos secum in rebellionem pertrahant contra Iesu Christi Vicarium: proindeque tutissimum contra seductionem ac schisma, quod a multo tempore meditantur, praesidium in eo necessario reperietis. Oraculum audite a tot retro

seculis pronunciatum a *S. Irenaeo* Apostolis fere coaevo, cuius verba a catholicarum veritatum defensoribus tam saepe laudantur, ac semper cum plausu excipiuntur tamquam in schismatis et haereseon auctores decretoria; seu potius Ecclesiae Gallicanae oraculum audite a prima huiusce origine pronunciatum ab uno ex ipsius sanctissimis Martyribus ac eruditissimis Pontificibus. Cum summo animi obsequio audiat etiamnum Gallia orbisque universus venerandum illud oraculum tam saepe a catholicis seculorum omnium Eppis celebratum, iuxta quod suos illi erga Romanam Ecclesiam ceterarum matrem sensus semper confirmarunt: ‚Maximae et antiquissimae etc.' *) Ita loquebatur primitiva Galliarum Ecclesia eo arctius Romanae Ecclesiae addicta, quod ex hac Ecclesia matre fidem perceperat. Ita consiliis divinis statutum fuerat, inquit *Bossuetius*, etc. **) Ecquis ordine sacerdotali insignitus invenietur, (exclamant Patres secundi Conc. Turonensis) qui agere audeat contra talia decreta, quae a Sede Ap. manarunt? Irenaei dignitatum et sensuum haeredes sanctissimi Galliarum Eppi a primis huiusce imperii exordiis S. Avito ipsorum collegae munus hoc demandarunt, ut in causa Symmachi R. Pontificis communem totius Eppatus causam Romanis commendaret: ‚quia (summus ille vir aiebat) quando Romanus Pontifex omnium Epporum caput impetitur, non unus tantum Eppus, sed ipse totus Eppatus periclitatur.' — In istis elocutionibus tam sapientibus tam catholicis vocemne agnoscitis atque sermones novatorum, qui Ecclesiae pacem hodie perturbant? an dubitaretis eo tendere illorum conatus, ut odiosa ac inutilis, si fieri posset, evadat auctoritas Capitis Eppatus, quia vellent ipsam totius Eppatus auctoritatem ac eppatum etiam deprimere ac subvertere. Verum Galliarum Antistites sanae doctrinae inviolate addicti pari studio iura Eppatus nec non iura Capitis Eppatus tuentur, rati utraque necessaria esse ad conservandum Ecclesiae regimen a Christo praescriptum. Unde nedum in primam Sedem insurgere cogitent, contestantur in Concilio Pipini ac Carlomanni iussu olim convocato, se velle unitatem conservare, ac in obsequiis Ecclesiae Romanae et Petro debitis ad vitae finem usque perseverare. Iu-

*) Vid. Mon. 64.
**) Vid. Mon. 835.

bent in altero Concilio in Galliis pariter habito, ut Summo Pontifici, Patri spirituali ac Papae universali honor ab omnibus conservetur, et quae secundum sacrum ministerium suum auctoritate apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus suscipiantur, et debita illi obedientia in omnibus conservetur. Condiscant autem erroris sectatores, defensores et ministri, qui simplicitati ac praetensae praeteritorum seculorum ignorantiae id forte referre auderent, quod ipsi pie ac religiose admirari ac imitari deberent. Condiscant, inquam, veteres illos Ecclesiae Gallicanae sensus in posterioribus seculis, iuxta ipsos perspicacioribus, debilitatos minime fuisse, regesque populosque sensibus illis aeque affectos fuisse ac Eppos. Audiant rursus ac erubescant. ‚Non desciverunt, inquit *Petr. de Marca* Eppus ille sua eruditione ac suo pro Ecclesiae Gallicanae gloria studio tam conspicuus, posteri a tam laudabili ac necessario proposito (Sedi Ap. semper obsequendi), quin potius omnibus seculis Reges Christianissimi, ipsumque Ecclesiae Gallicanae corpus egregiis facinoribus ac scriptis suis apud nos testatum fecerunt nihil esse sibi antiquius, quam ut veterem consvetudinem a iure divino manantem, quae reverentiam Ap. Sedis ipsiusque communionem exigit, frequentissimis officiis renovarent.‘ — ‚Ab Eppis regni edocti Reges nostri, ait Bossuetius, erga ceteras alias potestates invicti sunt: ut erga Sedem Ap. semper humiles. Norunt, in quo sita sit vera excelsitas. Principes illi religiosi iuxta ac magnanimi non minus aspernati quam execrati sunt excessus illos, ad quos nonnisi desperatio vel imbecillitas inducit.‘ Haud satis habet Ecclesia Gallicana Sedi Ap. sicuti ceterae Ecclesiae nationales adhaerere, sui praeterea officii esse credit, ut suam erga Pontificem, qui primam illam occupat sedem, solemnibus testimoniis venerationem orbi universo manifestet.‘ Quantum olim, scribebant Eppi a. 1682. Parisiis congregati ad Innocentium XI, a maioribus nostris Sedi Apost. delatum est, tantum nos, qui honoris sacerdotalis successores patriique animi haeredes sumus, Vestrae Sanctitati debere solemniter profitemur.‘ — Nos semper cum Patribus Conc. Chalcedonensis profitebimur, Summum Pontificem omnibus Ecclesiis praeesse tamquam Caput membris, ipsi creditam esse a Christo vineae custodiam, ipsum Ecclesias radii apostolici luce gubernantem eam diffundere, atque bona, quae possidet, communicando illos ditare solere,

qui sunt in domo Dei, id est, in Ecclesia. Hoc vero omnium Ecclesiarum ac universalis Ecclesiae Capitis nomine quam venerationem ipsi non debemus? Nos semper cum S. Irenaeo agnoscamus potentiorem Ecclesiae Romanae principalitatem, cum qua tamquam cum unitatis centro necesse est omnem convenire Ecclesiam. Cum S. Avito nos semper Iesu Christi Vicario sponsores erimus pro nostrarum Ecclesiarum erga suam Sedem obsequio. Faxit Deus, ut cito nullus inter nos sit Eppus, qui non eosdem gerat sensus, quive cum S. Avito idem non polliceatur. Semper gloriae nostrae dabimus officium adimplere, quod Christus nobis imposuit Petrum ad supremam Capitis eppatus dignitatem evehendo, nec non promissa fideliter exequi, quae in nostra consecratione fecimus, canonicam Sedi Ap. obedientiam praestandi. Augustum Regem nostrum iisdem verbis semper deprecabimur, quibus Gratianum Imperatorem deprecabatur olim Aquileiense Concilium, ne videlicet unquam patiatur Romanam Ecclesiam ac Apostolorum fidem impeti, quia ab ea tamquam a fonte inviolata communionis eccles. iura in ceteras omnes Ecclesias diffunduntur. — b) *a. 1736.* — *S. Irenaeus* docet: ad Ecclesiam Romanam necesse esse convenire in causis fidei omnes peculiares Ecclesias, omnesque per orbem universum dispersos fideles propter potiorem illius Sedis principalitatem; *S. Cyprianus* declarat: Cathedram Petri unitatis sacerdotalis esse fontem, atque ad eam mendacium et errorem accessum habere non posse; *S. Hieronymus* asserit: in fidei controversiis cathedrae Petri adhaerendum esse; asserit dissipare quicunque cum Romano Pontifice non colligit, ac profanum illum esse et sacramentorum profanatorem, quicunque agnum manducat, et sacramentis participat seiunctus ab Ecclesia Romae fundata; *S. Augustinus* censet: causam Pelagianorum esse finitam, quia Roma rescripta dederat; *S. Petrus Chrysologus* fidelibus praedicat: Petrum in suis successoribus adhuc vivere, ac in sua Sede praesidere, ut veritatem illis omnibus manifestet, qui eam ediscere cupiunt; *S. Thomas* doctor angelicus docet: Ecclesiae unitatem in mutua fidelium, qui sunt ipsius membra, unione consistere, nec non in fidelium omnium subiectione Romano Pontifici totius Ecclesiae corporis Capiti. Numquid profiteri iam non audebimus cum Patribus *Conc. Ephesini* Romanum Pontificem esse fidei custodem; cum 630 *Concilii Chalcedonensis*, ipsum esse, cui Dominus vi-

neae suae custodiam demandavit; cum Patribus *C. Nicaeni, Chalcedonensis, Lateranensis, et CPni,* illum esse Petri successorem, caput Epporum, et omnium Ecclesiarum, supremum praecipuum apostolicum christianorum omnium Pastorem, illum sacro divinoque ornatum charactere non minus quam Aaron colendum esse? Numquid iam dicere non licebit cum Eppis provinciae *Tarraconensis*, illum ob suum Primatum timendum, amandum, ac veneratione prosequendum esse ab omnibus fidelibus; cum Concilio *Senensi*, illum coelestis potestatis plenitudinem accepisse, Petri esse successorem, unctum Domini, Patrem Regum, lucem mundi, Supremum Pontificem; aut cum Patribus Oec. Conc. *Florentini*, illum esse verum Iesu Christi Vicarium, totius Ecclesiae Caput, omnium Christianorum Patrem etc.? —

883. **AEppus Cameracensis** (S. Albin) *a. 1739.* *) — Quidam anonymus ad oppugnandam Cleri declarationem adduxerat epistolam 85 Gallorum Antistitum ad Innocentium X, in qua Ianseniana haeresis damnatio ab eo postulabatur; qui quidem anonymus his potissimum 85 Gallorum Epporum verbis insistebat: ‚fides Petri numquam deficiens pro iure suo postulat, ut iuxta solemnem ac perpetuum Ecclesiae morem maiores causae ad Sedem Apost. referantur.‘ En locus ille, qui 10 ICtos offendit, quique ipsos induxit, ut dicerent: ab illa epistola fundamentale Ecclesiae Gallicanae principium omnino contradici aut saltem immaniter obscurari. Hunc eundem epistolae textum refert integrum Bossuetius, nec contradictas vel obscuratas in eo videt Gallicanas libertates, quas tueri adgreditur. Imo vero contendit Bossuetius, inscite prorsus huiusmodi elocutiones nobis opponi: siquidem Petri fidem in Sede Apost. minime defecturam profitemur, atque eius rei gratia fidei causas ad eam esse referendas. Non patitur itaque ratio, concludit ille, textus ex communi traditione desumtos nobis obiici. — En itaque, fratres carissimi, illae loquendi formulae, quae iuxta 10 Causidicos fundamentale Ecclesiae Gallicanae libertatum principium subvertunt, quaeque tamen iuxta studiosissimum ac sagacissimum ipsarum libertatum defensorem eas nec levissime petunt! En ille sermo iuxta 10

*) Perstringit in sua Pastorali potissimum ‚Consultationem X Advocatorum Parisiensium super bulla canonisationis S. Vincentii a Paulo.‘

Causidicos Gallicis auribus durus ac peregrinus, qui Bossuetio teste nonnisi ex communi traditione desumtus reipsa est, quemque nobis obiici ratio non patitur! — At regerent fortasse 10 Causidici: bullam canonisationis S. Vincentii a Paulo aliquid insuper adiicere elocutionibus epistolae 85 Gallorum Antistitum, magisque perspicue sensum et mentem detegere, quam in illa exhibere voluit Summus Pontifex: Romanum nimirum Pontificem in ea canonisationis bulla non solum asserere: ad Petri Cathedram referenda esse pericula quaeque et scandala in Ecclesia emergentia ac praesertim quae ad fidem pertinent; sed ulterius addere: hoc ideo fieri debere, ut ibi potissimum resarciantur fidei damna, ubi fides non possit sentire defectum. At 1. nihil habet hoc commune cum epistola 85 Epporum, in qua hic textus non invenitur, proindeque allegari id minime potest, ut probetur illam epistolam fundamentale Ecclesiae Gallicanae libertatum principium subvertere; 2. notandum est, eas elocutiones, quas tamquam proprium bullae textum nobis tradunt 10 Causidici, ad verbum extractas esse ex epist. 191. S. Bernardi ad Summum Pontificem Innocentium II; 3. has loquendi formulas, quae Gallicas istorum ICtorum aures offendunt, placitis in Gallia receptis nullatenus adversari inde manifeste probatur, quod illud idem praecise docet Bossuetius. Eundem S. Bernardi textum ipse refert, in quo nil reperit, nisi maxime consentaneum doctrinae, quam ipse tradit, quamque universa Gallia cum Ecclesia Catholica, cuius pars est nobilissima, tenet ac profitetur. — Iam ex tota antecedente doctrina id facile consequemur, *ut maiores ac praesertim fidei quaestiones in ea potissimum Sede definiri oporteat, in qua error non obtineat, et ab eo potissimum Pontifice, qui in eam seriem intexetur, quae a fide abrumpi penitus nequeat.* Id voluit S. Bernardus loco celebri ad Innocentium II: ‚Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque et scandala emergentia in regno Dei, ea praesertim quae de fide contingunt; dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Haec quippe eius praerogativa Sedis.‘ En! Sedis universim ex antiqua traditione, non singuli cuiusque Romani Pontificis; qua tamen praerogativa Sedis id fit, ut de fidei periculo ad eius Sedis praesidem potissime referatur. — — En aliae tandem, fratres carissimi, elocutiones, quae gallicas Advocatorum nostrorum aures

offendunt, quaeque iuxta ipsos conceptum a Romano Pontifice consilium, fundamentale gallicanarum libertatum principium evertendi clarius adhuc detegunt: ‚ubi vero (refert bulla canonisationis) responsum Roma venit, decretum successoris Petri submissa animi veneratione suscepit Vincentius, et exultans in Domino, sententia Ap. Sedis causam finitam esse, ut tandem finiretur error, summo studio adlaboravit.' Quis unquam credidisset, fratres carissimi, verba illa iis ICtis bilem permotura fuisse, qui catholicos sese profitentur? Ignorarunt procul dubio, eadem ista verba, quibus censurae labem temere inusserant, ipsissimam continere S. Augustini sententiam, qui et eodem modo locutus est, postquam Rom. Pontificum adversus Pelagianam haeresim rescripta recepit. — Ergone crimini vertetur Christi Vicario, quod usurpatam a celeberrimo Doctore loquendi rationem suam ille fecerit, quae loquendi ratio iuxta Bossuetium recte atque omnino ex eccles. disciplina ab Augustino celebrata est? Centies eodem modo locuti sunt Franci Praesules, quoties nempe cum Iansenii discipulis manus conseruerunt: ‚Causa finita est (aiebant A. 1656. in ep. ad Alex. VII.) rescriptis apostolicis, error utinam, ut eadem cum S. Augustino vota emittamus, tandem aliquando finiatur.' Nihil ridiculum magis quam quod faciunt 10 Causidici, voci huic ‚ubi' insistere, quae in bulla continetur, et qua ostenditur, S. Vincentium a Paulo apostolicae definitioni, cum vel statim atque apparuit, maximo cum obsequio adhaesisse. Ergone iuxta illos homini privato crimen erit, decreta apostolica reverenter amplecti, atque tum inprimis, cum et ab Eppis illa efflagitata fuerunt, et ipsis Epporum manibus porrecta recipiuntur? In bulla canonisationis nec sententiam nec verbum quidem legere est, quod non validius expressum reperiatur in epistola, quam 30 Eppi Galliarum ad S. P. Innocentium X scripserunt A. 1653. ut ipsi rationem redderent illius obsequii, quo eius constitutionem acceptaverant. Ipsorum verba recito: ‚Haec, inquiunt, notatu digna in praesenti negotio acciderunt etc.'*) — De ea ipsa agitur hic, fratres carissimi, Innocentii X contra Iansenii errores constitutione, de qua loquitur obiectata canonisationis bulla. In hac Summus Pontifex declarat: Innocentii decretum a Vincentio a Paulo submissa animi vene-

*) Vid. Mon. 824.

ratione susceptum fuisse statim ac illud prodiit: ubi vero 30 Galliarum Eppi praedicant, totam Ecclesiam illi sine haesitatione sine mora subscripsisse: quid est hoc, nisi de tota Ecclesia praedicare, quod bulla canonisationis de simplici privato unice dicit? Addit Summus Pontifex, servum Dei, qui in Domino exultabat, sententia Ap. Sedis causam finitam esse, ut tandem finiretur error summo studio adlaborasse. Verum annon validiora ac expressiora proferunt 30 Eppi circa eiusdem constitutionis auctoritatem, circa obsequium, quo illam recipiunt, atque ab omnibus fidelibus ex officio recipiendam esse testantur, circa suum in illius executione urgenda ac refractariis puniendis studium? Posteriores Cleri Gallicani conventus centies ita locuti sunt. Annon igitur mirum, quod isti Causidici contra huiusmodi elocutiones arroganter insurgant, atque has loquendi formulas gallicis auribus peregrinas inveniant! cum omnibus notum sit, hunc loquendi modum in celebrioribus Cleri Gallicani coetibus esse consvetum, quin et ab ipso Bossuetio approbatum tamquam communi omnium seculorum traditioni consentaneum, atque Eppos, qui istis elocutionibus tam frequenter usi sunt, eas nonnisi ex Augustino ac purioris antiquitatis fontibus depromsisse? — **Soardi** *de suprema R. P. auctoritate hodierna Ecclesiae Gallicanae doctrina.* Heidelb. 1793. p. 140. ss.

884.

Declaratio **Facultatis Theol. Duacensis** de Constitutione „Unigenitus," A. 1714.

MON. Postquam eximii Domini occasione novae Constitutionis multa protulerunt de primatu iurisdictionis seu superioritatis, quem S. Petrus, eiusque successores iure divino obtinent in omnes totius orbis christiani episcopos et fideles; de schismate vitando, et servanda reipublicae christianae unitate ac tranquillitate; de ingentibus malis, quae non solum in hierarchiam eccles. sed etiam in rempublicam civilem eiusque principes redundant ex schismate; de necessaria unione membrorum ecclesiae cum eius capite visibili per fidem et obedientiam, ad tuen-

dam corporis mystici unitatem; de valore et robore constitutionum dogmaticarum independenti a glossis et interpretationibus acceptantium; de cavillationibus, quibus aliqui utuntur, ut novam Constitutionem Pontificiam respuant, aut eludant: significarunt ac professi sunt omnes unanimiter et aperte, se Constitutionem Apostolicam, quae incipit ‚Unigenitus Dei Filius,' recipere pure, simpliciter, sine ulla distinctione, expositione, seu interpretatione, et cum plena ac sincera mentis adhaesione ad ea omnia, quae in illa definiuntur. Se proinde unam et centum propositiones, sicut et opus, ex quo excerptae sunt, sub iisdem censuris damnare, sub quibus in praefata Constitutione damnantur. Se et reliquos fideles obligari in conscientia, et sub gravissimo schismatis aut haeresis peccato, ad hanc fidei consensionem. Sibi persvasum esse, novam Constitutionem comparatam ad rerum theologicarum peritos, ad humiles ac obedientes ecclesiae filios, non minus esse claram, quam quae alias editae sunt adversus Wicleffum, Ioannem Huss, Lutherum, Baium, Iansenium, Molinos, et Casuistas laxiores ac rigidiores etc. quam multi canones a Conciliis generalibus conditi. Ceterum illam non minus acceptandam, etsi respectu aliquorum privatorum aliqualiter obscura foret, quemadmodum Biblia vulgatae editionis ab omnibus recipiuntur, etsi non pauca in iis sint obscura; illos vero, qui Constitutionem nonnisi explicatam recipere volunt, non ipsam Constitutionem, sed suas explicationes praeconceptis opinionibus conformes recipere, illos non obedire voci Pastoris, sed propriis placitis superbe et pertinaciter inhaerere; Lutheranos et Calvinistas etiam paratos recipere quasvis Constitutiones Pontificias, ipsumque Conc. Tridentinum sub explicationibus sibi placentibus. Suo ac evidenti constare iudicio, quod Tridentinum non reliquerit scholis Catholicis libertatem tuendi certas opiniones, aut certa systemata, ratione cuius constitutiones dogmaticae, quae iis scholarum placitis viderentur contrariae, respui possent: hanc cavillationem viam aperire innovandis multis propositionibus damnatis, quae alias in scholis defensae sunt. Se generatim reiicere omnes fraudes et cavillationes, quibus aliqui novatores vim praefatae Constitutionis infringere conantur; ac simul vehementissime hortari discipulos, ut hodie praesertim caveant a lupis rapacibus ovina pelle indutis, ab hominibus superbis habentibus speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abne-

gantibus, etc. — — Actum esse de episcopatu, et universa Ecclesiae Hierarchia, si concessa a Deo Sedis Apost. iura non asserantur firmiter, ut probant luculentissima sed tristissima multorum regnorum ac provinciarum Orientis et Occidentis exempla: ubi Clerus contemto illius Sedis primatu et privilegiis in eo contentis, sine honore, sine iurisdictione, imo et sine bonis ad sustentationem decentem necessariis aut convenientibus, in pudendam et miserabilem potestatis laicae servitutem redactus est. Illos hodie reipsa efficacissime et per cuniculos adversari Sedis Apostolicae principatui, qui quidem vacuum et inane Primatus Pontificii vocabulum retinent et praedicant, sed solemnibus fidei decretis ex Petri cathedra manantibus pertinaciter obsistunt. — **Harduini** *Concil.* XI. 1655. ss.

---

885. 886.

Declaratio **Fac. Theol. Coloniensis** de Constitutione ‚Unigenitus,' A. 1715.

885. MON. In Congregatione generali Facultatis Theologicae die 11. Ianuar. 1715. omnibus considentibus et expositis causis huius congregationis generalis, iussit D. Decanus alta voce per pedellum praelegi Constitutionem dogmaticam supremi Pontificis, quae incipit ‚Unigenitus Dei Filius,' quo peracto mandavit, ut omnia et singula collegia mature, et solum Deum prae oculis habendo, deliberarent et libere declararent, an et quid circa hanc Constitutionem declarari possit et oporteat a sacra Facultate Theologica. Convenientibus ergo singulis Collegiis seorsim, ut moris est, et facto debito intervallo, processit S. Fac. Theologicae fiscus, et impetrata loquendi licentia, exposuit, se ex omnium collegiorum deliberationibus et consultationibus cognovisse, omnium et singulorum animos et vota convenisse et convenire: I. *quod Romani Pontificis iudicium et determinatio solemnis et ex cathedra in materia fidei et morum sit se sola infallibilis*, et irrefragabilis esse debeat toti Ecclesiae, et omnibus vere Christifidelibus, ita, ut tali definitioni non satisfiat, si eidem obsequioso et reverentiali tantum silen-

tio exterius non contradicatur, nec provisionaliter tantum illi sit obediendum, sed simpliciter iuxta intentionem Summi Pontificis, ex animo et per omnia eidem conformando sensus suos internos. Ac proinde 2. consensum seu acceptationem fidelium non esse auctoritativam, nec definitionibus aut constitutionibus dogmaticis Romani Pontificis aliquem addere vigorem aut efficaciam, quin potius ex eo, quod Ecclesiae consensus semper accesserit decretis et constitutionibus R. Pontificis in materiis fidei et morum, certissimum est ex omni retro seculorum historia, iudicium et determinationem solius Summi Pontificis habitam fuisse et habendam pro infallibili et irreformabili. 3. Credere omnes, non requiri, ut aliqua bulla Pontificis dogmatica sit et dicatur acceptata ab Ecclesia, quod fiat solemnis et expressa acceptatio ab Ecclesiis particularibus, sed sufficere, quod Papa loquatur, et Ecclesia taceat: exemplo primorum Christianorum, ad quos surgens Petrus dixit Act. 15: ‚Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere; — tacuit autem omnis multitudo.‘ Nec se convenisse ad recipiendam et acceptandam bullam ‚Unigenitus,‘ sed ad debitam ei reverentiam et obedientiam praestandam, quam praestiterunt, praestant, et praestabunt Deo et vita comite semper. Quibus ita ab eodem recitatis, rogavit D. Decanus, an D. Fiscus omnium et singulorum mentem et sensum in punctis praefatis probe sit assecutus, et an omnia et singula in Bulla contenta laudent, probent, et damnata damnent ore et animo, eisque conformiter in posterum credere, docere, et profiteri velint? Et responderunt unanimiter: laudamus, probamus etc. Subintulit ergo idem D. Decanus, censetisne igitur agendas esse gratias Deo, et acclamandum Summo Pontifici de edita tamdiu desiderata et tam necessaria hac bulla? Responderunt omnes: Roma rescripta venerunt, causa finita est, utinam et error aliquando finiatur! etc. —

886. *Breve* **Clementis XI PP.** *ad praeviam declarationem, A. 1715.* Maiorum vestrorum solidam praestantemque pietatem, ac eximium orthodoxae doctrinae tuendae zelum undique redolent literae, quas nuperrime ad nos dedistis, filialis etiam atque perpetui vestri in Sanctam hanc Sedem obsequii significationibus cumulatae. Eas idcirco magno cum nostri animi solatio perlegimus, sinceramque obedientiam ac subiectionem, quam

constitutioni nostrae ‚Unigenitus' luculenter profitemini, tantopere gratam habuimus, ut non modo praeclare ac veteri nostrae de vestra virtute opinioni, sed etiam paternae, qua Rom. Pontificum praedecessorum nostrorum exemplo vos omni tempore complexi sumus, caritati non levis inde facta accessio fuerit; quod reipsa vobis comprobare non omittemus, ubi congruae nobis offerentur opportunitates istius Universitatis ornamenta et commoda, sicuti maxime cupimus, promovendi. — Datum Romae die 27. Aprilis 1715. — **De Bosses** *Epistola Abbatis N. ad Eppum N. de Const. Unigenitus.* Colon. 1716.

887.

Epistola Doctoris **Complutensis** ad Syndicum Sorbonnae de **Hispanorum** summa erga decreta Pontificia, signanter et Constitutionem ‚Unigenitus' observantia, A. 1715.

MON. Epistolam tuam laetus susciperem, mei memorem, si non perlegerem: Sacram Facultatem Theologicam Parisiensem unanimi consensione non acceptasse Constitutionem ‚Unigenitus' SS. D. N. Clementis XI nunc feliciter in Ecclesia regnantis; ita enim lego: ‚insuper declaret S. Facultas, falsum esse, quod praedictus M. Humblot dixit, Constitutionem, quae incipit: Unigenitus, acceptatam fuisse a sacro Ordine;' et eligit notum facere Hispaniae Theologis et Eppis constantem hanc et unanimem confessionem Magistrorum suorum numero plurimorum. Academia illa florentissima, scientiarum foecundissima parens, omnium Theologiae Scholasticae Principum magistra, hanc non acceptare Constitutionem publice fatetur: ita obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Haec non est illa sacra Facultas, quae olim omnes Academias docuit obedientiam, subiectionem Ecclesiae summo vertici, successori Petri, Christi Vicario, cum assereret Gelasius II: ‚Si quis dicat portum Romanae Ecclesiae et fluctuantis naviculae Petri Galliam esse, non mentitur'; et nunc publice defenduntur doctrinae offensivae supremae Pontificiae auctoritati? Petra illa, super quam aedificata est Ec-

clesia et portae inferi non praevalebunt adversus eam, est, de qua scriptum est: qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, super quem vero ceciderit, conteret eum, singulare periculum singularem exigit operam, fundamentum concutitur, et tamquam imminenti ruinae totis est nisibus occurrendum. Christus Dominus noster Petro et successoribus eius oves suas pascendas commisit, dicens: Simon diligis me? pasce oves meas. Numquid S. Sorbonae Doctores non sunt de ovibus, quas Filius Dei S. Petro commisit? nihil excipitur, ubi distingvitur nihil, Christus tamen asseruit, oves meae vocem meam audiunt. Audiemus Lutheri blasphemam vocem: quo iure Papa super nos leges constituit? Audiemus istud apostatae impii AEppi Spalatensis delirium: ‚Parisiensium doctrina enucleate intellecta nihil discrepat a mea; schola itaque Parisiensis et nostra est, quare ex eius quoque doctrina Papatus nullo potest solido subsistere fundamento.' A qua odiosa calumnia et execrabili impostura pro honore et fama sua se purgavit Sacra Facultas: ‚Unde, quaeso, vos adversus impium dogma divino sancti zeli fervore concurrite, servetur ecclesiastica in sua puritate doctrina, nec eam vexare permittatur terrena sapientium turbulenta vesania.' Ita Sorbona 15 Dec. 1617. damnavit 47 propos. M. A. de Dominis· Sacram Facultatem alloquar verbis illius venerabilis Antistitis sui Ivonis, qui forte praescius huius tempestatis, ait: ‚Contra Apost. Sedem caput erigitis, dum quod illa aedificat, vos quantum in vobis est destruitis: et quod illa destruit, vos aedificare contenditis, cuius iudiciis et Constitutionibus obviare est haereticae pravitatis notam incurrere.' Hanc luridam notam S. Facultas in orbe christiano celeberrima omnium submoveat. Mens S. Facultatis est, ut veritas inquiratur et cognoscatur. A Cathedra unitatis accipite sententiam veritatis. Auscultate Chrysologum: ‚In omnibus hortamur te, frater, ut his, quae a beatissimo Papa honorabilis Romae Civitatis praescripta sunt, obedienter attendas, quam beatus Petrus, qui in propria Sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.' Certiores de *Hispaniae* Theologorum et Epporum mente esse vultis? non hic curamus, quod serpentis virus subrepat subdolis doctrinis, quo cardinem Ecclesiae concutere intendunt; iam enim diu de hac immunitate gratulatur Hispanis Cardinalis Historicus (Baronius): ‚hoc plane sibi laudis vindicavit Ecclesia Catholica in Hispania,

ut non ab erroribus tantum, sed ab suspicionibus se esse voluerit immunem, quo factum est, ut ex hoc ipso nostro seculo, cum longe lateque facibus haereticorum orbis inflammaretur, ipsa illaesa perstiterit, occurrentibus summa celeritate Dei ministris, si vel tenuem scintillam viderint vel latentis ignis indicium.' Ecclesiam hodie ipso in vertice cominus impetitam deflebimus, heu! non tantum ab hostibus, sed ab his, qui alias se iuste iactitarunt filios primogenitos. Sed nos Hispani propugnamus sanctum ac communem Patrem nostrum tamquam fidei fulcimen, veritatis canonem, atque Ecclesiae characterem. Constitutiones ex Cathedra Petri indubie sequimur, et omni veneratione suscipimus. In Concilio Complutensi confirmato a Sixto IV condemnatus fuit Petrus Oxomensis, nomine etiam haeresis, in eo, quod asseruit: Ecclesiam Romae urbis errare posse; et Sancta Hispaniae generalis inquisitio proscripsit hanc propositionem: ‚Papam in dirimendis ex cathedra fidei quaestionibus non esse infallibilem,' ut minimum tamquam erroneam et haeresi proximam, Hispani Theologi discunt ex Augustino: ‚Rescripta Apostolica venerunt, causa finita est, utinam aliquando finiatur error.' Querimur cum Augustino: ‚Adhuc insuper flagitant audientiam, cum damnati debeant agere poenitentiam.' Post definitionem ex fidei cathedra desiderare consensum universalis Ecclesiae, ut sub anathematis fulmine lex obliget, esse omnino falsum, ex ipso Augustino convincimur: ‚Ecclesiae lingva, an vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quasi nulla haeresis aliquando nisi Synodi congregatione damnata sit, cum potius rarissimae inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit, multaeque sint, atque incomparabiliter plures, quae ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt, atque inde per ceteras devitandae innotescere potuerunt; verum istorum superbia hanc gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis et Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur, cum potius vigilantia et diligentia pastorali post factum illis competens sufficiensque iudicium, ubicunque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutentur, sive ut ab aliorum salute atque integritate vitentur.' Sum Sorbonae Doctor; Complutensis enim Academia est Sorbonae fraternitatis vinculis coniuncta; gradus iuxta Sor-

bonae praxim sanctus (ita vulgo vocatur) Hispaniae Cardinalis Dominus meus erector Academiae nostrae instituit, qui Parisiis Sorbonica, mei maioris collegii appellatione Alphonsina dicitur; semper in gradibus primus fui designatus, 177 actuum in Gymnasio Theologiae praesidem egi, per 22 annos Cathedras a Philosophia usque ad primariam supremam D. Thomae moderatus sum: si quid habeo, a Deo sumsi, non a me praesumsi, atque ab illo in me profici fideliter spero, a quo inchoatum esse humiliter gaudeo, nec in eo, quod adhuc non donavit, incredulus, nec in eo, quod iam donavit, ingratus, haec dixerim, non ut prolixa epistola onerosus sim, sed ut si mavis exprimere, quod iudicat Sorbona difficile in Constitutione ‚Unigenitus' responsum tibi praesto reddam, refertum S. Scripturae, Conciliorum, Augustini, post Doctorem gentium primi Gratiae Doctoris, et SS. Patrum testimoniis ad verbum expressis: cum in opere ex lege et gratia sufficienti, quod iam diu sub prelo est, iustissime esse illa 101 dogmata Apostolico mucrone percussa, solide contendo: aliud in tui obsequium offerre non potest inutilitas nostra. — *Didacus de Castell*, Regalis Alcalae Abbas et Complutensis Doctor. — **Fleury** *Hist. Eccles.* Lib. 217. §. 16.

888.

Decretum **AEppi Trevirensis** pro obedientia Constitutioni Pontificiae ‚Unigenitus' exhibenda, A. 1715.

MON. Cum Sanctissimi Domini nostri Clementis divina providentia Papae XI bullam, quae incipit ‚Unigenitus Dei Filius' sexto idus Sept. 1713. editam, condemnatoriam libelli Quesnelliani, cui titulus ‚Le nouveau Testament etc.' per archidioecesim nostram Trevirensem a Vicariatu nostro generali debite publicari ac a fidelibus dioecesanis *ea qua decet veras Christi oves erga supremum in terris Pastorem submissione* recipi, damnatique libri exemplaria Curiis nostris eccles. consignari, refractarios vero, qui propositiones 101 eisdemque consonas directe vel

indirecte sustinere praesumserint, sub poenis inibi contentis rigorose compesci iusserimus: interea vero non sine gravi animi nostri displicentia intellexerimus, quosdam *iniquitatis filios*, qui sub externa exactioris disciplinae specie, fucata pietatis larva et inanibus theologiae rigidioris umbris angelum lucis induunt, ast serpentum more venena sua latenter diffundunt, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras, tegentes sub vestimento ovium lupos rapaces, eo temeritatis, impudentiae ac irreligiositatis devenisse, ut inquieti hypocritae et emissarii antiqui serpentis impios ac sacrilegos libellos contra dictam pontificiam constitutionem libri Quesnelliani condemnatoriam, et in defensionem propositionum in eodem damnatarum exquisita ad fallendum arte compositos in vicinis superioris et inferioris Germaniae ac archi- et dioecesium nostrarum provinciis cum aperto decretorum Sedis Apostolicae contemtu, Catholicorum scandalo, ac inde subnascente sectariorum ludibrio divulgare ac dispergere, et *adversus ipsam beati Petri Sedem, veritatis magistram, et a Christo Salvatore nostro fundatam Petram, contra quam portae inferi non praevalebunt,* rebelle caput attollere, eiusque mandata convellere non erubescant: proinde nos ex muneris nobis desuper concrediti debito tam S. Sedis auctoritatem tueri, quam orthodoxae religionis nostrae puritatem sartam tectam conservare, gregique nobis commisso a novatorum fraudibus, qui sedent in insidiis cum divitibus in occultis, ut interficiant innocentes, quantum in nobis est, providere volentes, omnes et singulos dioecesium nostrarum fideles in Domino hortamur et obsecramus, ut memores accepti a maioribus religionis voti, et inviolabilis erga S. Sedis Apost. principatum hucusque servatae obedientiae, caveant a falsis prophetis eosque a fructibus eorum cognoscere discant, quam nimirum auctores defensoresque infamium libellorum longe a Spiritu Dei absint, qui non dissensionis est Deus, sed pacis, quam alieni a vera Christi caritate, qui eam verbis dolose praedicant, scriptis autem factisque nefarie destruunt; quam longe a christianae humilitatis et obedientiae tramite remoti, qui praepositis non obediunt, in sacerdotii et imperii praesides consurgunt, imo supremum hierarchiae catholicae caput effronti calamo et ore proscindere non verentur, ipsis declaratis haereticis peiores, magisque vitandi, eo quod sub ficta religionis specie incautos decipiant, et sagittent in obscuro rectos

corde; quamquam cum et ipsi declarati haeretici, quod sane auctori Quesnellio eiusdemque defensoribus minus honorificum imo probrosissimum est, et maiorem scriptis eius infamiae notam inurit, sese patronos ac fautores dicti libri palam profiteantur, ac propositiones ex eo decerptas omni zelo ac studio propugnandas suscipiant, pronum sit cognoscere, quam vel eo nomine eaedem propositiones censura dignissimae iudicari, defensores quicunque earumdem suspecti haberi, ac denique libelli in hunc finem editi proscribi et interdici debeant, prout et per saepe memoratam pontificiam bullam non solum ipsius Quesnellii liber, sed et singuli in defensionem eius tam scripti quam typis editi aut edendi, eorumque lectio, descriptio, et retentio et usus omnibus sub excomm. maioris ipso facto incurrendae poena prohibiti et interdicti fuerunt: cuius bullae integrum tenorem ut perspectum omnes habere ac cognoscere queant, praesenti edicto nostro coniungi ac de novo publicari mandamus, pontificiisque decretis inhaerendo auctoritate, qua in hac parte fungimur, apostolica delegata ac archieppali ordinaria omnibus dioecesium nostrarum fidelibus — iterum iterumque praecipimus, tam Quesnelliani libri quam aliorum in eius defensionem editorum libellorum, maledictis, calumniis, mendaciis, apertisque in Apost. Sedem irreverentiis refertorum, exemplaria nullatenus retinere, minus vero damnatas in iis propositiones directe vel indirecte sustinere praesumant, verum potius si quos noverint reos, iuxta con- et scientiae dictamen nobis denuncient, sciantque detentores, fautores, aut defensores eiusmodi scriptorum poenis in oraculo pontificio comprehensis, ac gravioribus etiam cum imploratione brachii secularis a nobis, ubi necesse fuerit, certo coercendos. — **Blattau** *Statuta synodalia.* Aug. Trevir. 1844. T. 3. p. 377.

889.

Eiusdem edictum commonitorium contra appellantes a Constitutione pontificia ad futurum Concilium, A. 1717.

MON. Noveritis, qualiter post habitas fidedignorum nimium quantum veras compertas informationes in confiniis archidioecesis electoralis Trevirensis novatorum venenatos errores more antiqui serpentis latenter ac subdole diffundi, ac proinde a nobis ex indispensabili muneris nostri pastoralis debito instituta in quibusdam parochiis suspectis visitatione archiep. ordinaria, alio nullo fine quam fideles dioecesanos in antiqua puritate fidei in hac metropolitana primis apostolis coaeva, per singularem Dei gratiam semper conservata stabiliendi, errantes vero, si qui forent, in spiritu lenitatis ad sanctae matris ecclesiae gremium revocandi, ultimo lapso mense Iunio praeter omnem expectationem contigerit, ut nobis in ipso cursu visitationis ordinariae constitutis *quinque presbyteri dioecesani*, seu novatorum in vicinia fumis allecti, seu propria sua vertigine pessumdati, nimirum Ioan. Franc. Marchal decanus colleg. et par. eccl. de Carignan, Ioan. Baillet canonicus ibidem, Iac. Tenret parochus in Deuxvilles, Henr. Hardy parochus in Poully, ambo ultimi de Ianseniauis principiis crassioribus pridem suspecti, ac demum Gerard. Frincart, Vicarius in Villy notorie periurus ob signaturam coram nobis medio iuramenti factam, singuli *ausu nefario monstrosam et horrore plenam appellationem ad futurum Concilium adversus constitutionem dogmaticam* ‚Unigenitus,' *tanta cum solemnitate publicatam, et in Ecclesia Dei expresse aut tacite receptam, per apparitorem laicum* (vulgo Huissier) *indigno prorsus modo praecipitanter absque ulla necessitate insinuari fecerint*, interea vero a nobis immediate in ipsa civitate Carigniacensi tum per literas monitoriales de 15 Iunii 1717. iisdem sufficienter intimatas, tum per ecclesiasticos et religiosos viros nostro nomine paterne moniti, nedum ab errore suo resipiscant, verum longanimitate nostra insolentiores redditi exultent in rebus pessimis, diurna no-

cturnave cum vicinis eiusdem farinae sociis conventicula foveant, ac demum in contumacia sua damnabiliter insordescant. Quamquam autem eiusmodi refractarii appellantes ex indubitato omnium vere catholicorum sensu quoad forum internum animae censuris iuxta terminos expressos ipsius Bullae apostolicae, eidem conformium edictorum archieppalium — ipso facto incurrendis multipliciter innodati existant, et graviora sint ea vincula, quo diutius, uti canon loquitur, infelicem animam detinent alligatam, nisi quis velit potestatem clavium et ferendi censuras in Ecclesia Dei negare, Richerismum in ipsa Gallia proscriptum resuscitare, imo haereticos articulos Ioannis Wicleffi 11 et 12, Ioannis Huss 19, a Concilio Constantiensi Sess. 45. damnatos, sicut et Martini Lutheri art. 23 et 24 per bullam Leonis X PP. reprobatos impie prorsus amplecti; quoad forum vero externum, ubi censurae a lege seu canone feruntur, et excommunicatio non est comminatoria ferendae sed latae sententiae, sicut et in notoriis delictis sacrorum statuta canonum merito disponunt, nulla alia adversus reos monitione opus esse, cum ipsa lex seu canon continuo moneat, consequenter ad sententiam declaratoriam incursae ipso facto excomm. maioris absque ulteriore citatione canonica procedi posse: nos tamen mature considerantes illud S. Ambrosii l. 2. de off. c. 27: ‚Eppi affectum boni esse, ut optet sanari infirmos, serpentia auferre ulcera, postremo quod sanari non potest cum dolore abscindere,‘ sicut et illud D. Augustini ad Vincentium Donatistam scribentis: ‚non omnis, qui parcit, amicus est, nec omnis qui verberat, inimicus, qui phreneticum ligat et lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat, ambos sanat, ambo quamdiu aegri sunt indignantur, sed ambo sanati gratulantur,‘ hinc benignitatem matris Ecclesiae iusto rigori semper praeferendam rati, et, quantum in nobis est, sollicite praecavere volentes, ne poenae medicinales apud male sanos in venenum mortiferum transeant, ac contagiosi mali exemplum plures debiliores in eandem trahat ruinam, ex omni superabundanti cautela supra memoratos presbyteros *execrandae appellationis notorie reos, cuius in dogmatibus nullum per hasce partes praeter infame Lutheri vestigium reperimus,* adeoque modus ille devotis ecclesiae filiis horrorem sacrum incutit, hisce monemus, quatenus professionis catholicae, dignitatis sacerdotalis, temporalis ac aeternae salutis memores, *erro-*

neam et frivolam suam appellationem indilate retractent, ac ad debitam benignae matris ecclesiae et sacrae hierarchiae obedientiam redeant, serioque perpendant, opc brachii secularis et attentatis quibusvis contra apostolicam et archieppalem ordinariam iurisdictionem robur et effectum censurarum praesertim latae sententiae coram Deo et in facie ecclesiae infringi non posse, quamquam nos prorsus inviti ad extrema illa remedia in eventum perseverantis contumaciae procedere cogamur. — Treviris 20 Octobr. 1717. — **Blattau** *op. cit.* IV. 8.

890.

Clemens XI PP. ad **Patriarcham Alexandrinum,** qui ad sacram unionem reversus est, A. 1715.

MON. Divinae bonitatis magnitudinem in tuo ad orthodoxam Ecclesiam reditu contemplantes, et quomodo, qua potissimum ratione ex atra errorum, in quibus versabaris, caligine in lucem catholicae veritatis emerseris, attento nobiscum animo reputantes, primum quidem continere labia nostra non potuimus, quin cum Apostolo exclamaremus: ‚O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!‘ Ostendit siquidem Omnipotens Dominus tibi dura, ut potaret te vino compunctionis; intendit arcum, simul tamen dedit tibi significationem, ut fugeres a facie eius, id est, tribulationes multas et malas in te immisit, non ut te affligeret, sed ut inde ad divinam illius maiestatem clarius atque perfectius cognoscendam veroque deinceps cultu honorandam excitareris; quod cum egregie iam praestiteris, usurpare merito posse videris verba illa patientissimi viri, fructum, quem ipse ex propria tribulatione perceperat, Domino confitentis, nimirum: ‚auditu auris audivi te, nunc autem oculus meus videt te.‘ Maximas deinde ac vere debitas egimus gratias eidem Patri misericordiarum, qui te ex tenebris vocavit in admirabile lumen suum, qui divitias gratiae suae in te abundanter effudit, qui te a salutis semita aberrantem ad sinum huius *S. R. C. et Ap. Ec-*

clesiae, ceterarum omnium, quotquot in orbe terrarum sunt, Ecclesiarum matris, Capitis, et Magistrae, extra quam non est salus, benigne reduxit; qui demum nos ipsos replevit consolatione et gaudio spirituali, dum quod tamdiu vehementer exoptavimus, id tandem nobis clementissime largiri dignatus est, ut scilicet nobis liceret appellare te Fratrem, tibi veram salutem dicere, tibi denique paternam et apostolicam nostram impertiri benedictionem. Merito igitur magnificat anima nostra Dominum, merito illi sacrificium laudis immolamus, et reddimus Altissimo vota nostra, quod singulari eius benignitate ac ope, qui facit mirabilia magna solus, Alexandrina Ecclesia, cuius eximia et antiquissima decora in eccles. monumentis tantopere celebrantur, sublato tandem intermedio pariete divisionis, in unitate fidei et vinculo caritatis cum Romana Ecclesia coniuncta sit, quodque Alexandrinus Antistes ad beatissimi Apost. Principis indignum licet ac immerentem successorem, hoc est, Marcus ad Petrum, discipulus ad Magistrum, filius ad Patrem iis propemodum diebus, quibus ipsius B. Marci nec non sanctissimi Alexandrini Eppi Athanasii festa celebravimus, (quod certe non sine peculiari Divinae Providentiae omnia fortiter ac svaviter disponentis consilio evenisse arbitramur) corde puro et conscientia bona et fide non ficta, quemadmodum omnino credimus, reversus sit. Cum itaque sub finem praeteriti mensis Martii ad almam Urbem nostram advenisset dil. filius religiosus vir Ios. Mazet Ord. Fr. Min. S. Francisci de Observantia nuncupatorum professor, quem fraternitas tua cum suis literis ac documentis abiurationis schismatis, nec non professionis orthodoxae fidei isthic a se emissae ad nos ablegaverat, ac insuper specialem procuratorem ad quaecunque alia necessaria suo nomine peragenda constituerat, cum protinus tamquam faustissimi eventus nuncium ad conspectum et colloquium nostrum benigne admisimus, laetoque animo atque hilari vultu excepimus, non secus ac si te ipsum praesentem intueremur. Erumpentem subinde ex intimo cordis nostri laetitiam cum pluribus ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus communicandam duximus, eisque adventum apocrisiarii tui, et quam ob causam a te ad nos missus fuisset, significavimus, totaque re accurate cum iis discussa ac deliberata, placuit, ut certa statueretur dies, in qua idem procurator tuus publice ac solenniter a nobis exciperetur. Die igitur 28 praeteriti mensis Aprilis indicto Con-

sistorio in Palatium nostrum Vaticanum, quod est apud celeberrimam Basilicam Principis Apostolorum, ubi sacrum illius corpus asservatur, convocavimus quotquot in Urbe reperiebantur S. R. E. Cardinales ex omni ordine Epporum, Presbyterorum, et Diaconorum, tumque procuratorem supradictum nec non duos monachos Ordinis S. Basilii, quos huc similiter miseras, et plures alios ex Graeca Natione Romae degentes adesse iussimus; cumque multi praeterea Eppi et Praelati, ac ex aula Romana viri nobiles, qui ad tantae rei spectaculum frequentissime convenerant, praesentes essent, introducti primum fuere praefati procurator et monachi, tuas literas ac documenta a te transmissa deferentes, a Graecis viris, qui in eorum comitatu erant associati. Palam deinde ac elata voce iussu nostro perlectae sunt ipsaemet literae tuae, primum quidem lingva, qua scriptae erant, graeca, mox etiam latina, eodemque modo recitatum est tuae abiurationis documentum. Tum idem procurator tuus debitam nobis tuo nomine subiectionem ac obedientiam praestitit, ac *nos licet meritis impares, in Sede tamen beati Petri successorem ac verum D. N. I. C. in terris Vicarium et visibile totius Catholicae Ecclesiae Caput humiliter agnovit et veneratus est.* Mox tuo itidem nomine orthodoxae fidei professionem renovavit, eamque iuxta formulam Graecis ad unitatem S. R. E. redeuntibus a Sede Apost. dudum praescriptam S. Evangeliis in medio propositis palam recitavit, solemni addita promissione, quod fraternitas tua fidei professionem huiusmodi ratam et gratam habebit, et publicum rite confectae ratificationis instrumentum ad nos ac eandem S. Sedem intra tempus competens omnino transmittet. His ita peractis nos memores Illius locum licet immeritos in terris tenere, qui venit quaerere et salvum facere quod perierat, quique ovem perditam diligentissime perquisivit, ac inventam in humeros suos sustulit, et ad ovile ingenti cum gaudio reportavit, Tibi ad Catholicam Ecclesiam ultro redeunti expansis Pontificiae caritatis brachiis occurrimus magnaque cum animi nostri exultatione una cum praefatis S. R. E. Cardinalibus praestitam nobis a te tam per tuas literas, quam per legitimum procuratorem tuum plenam obedientiam ac subiectionem libenter recepimus, nostramque tibi vicissim ac eiusdem Apost. Sedis gratiam, benevolentiam, et patrocinium amantissime polliciti sumus. Petitum insuper a te Pallium de B. Petri corpore sumtum, in quo pontificalis officii plenitudo

continetur, tibi benigne assignandum esse decrevimus. — Haec porro acta sunt omnia tanto cum gaudio nostro et fratrum nostrorum Cardinalium, et eorum, qui interfuerunt et audierunt, ut omnem verborum explicationem facile supergrediantur. Non tamen in te uno sistit laetitia nostra: perpendentes enim eximiam tuam pietatem, cuius tam praeclarum accepimus testimonium, nec non singularem, quam apud tuas late patentes gentes obtines, existimationem, uberiorem in dies spiritualium gaudiorum messem expectamus. Ad eadem siquidem sequenda vestigia omnibus Graeci ritus populis ac praesertim Eppis valido incitamento futurum exemplum tuum omnino confidimus. Nunc ergo, ven. frater, agnosce abundantes divitias gratiae et bonitatis Dei, qui secundum magnam misericordiam suam et secundum multitudinem miserationum suarum tui misertus est. Narra populis et principibus, quanta fecerit tibi Dominus: haec est enim gloria tua, ut omnes gentes longe lateque intelligant, quia fecit tibi magna, qui potens est, et sanctum nomen eius. Dilige Matrem tuam Romanam Ecclesiam, quae te rursus in Christo genuit, nec dimittas legem illius, et praecepta eius cor tuum custodiat; longitudinem enim dierum et annos vitae, et pacem apponent tibi; cave demum, ne quid in te, quod Deus avertat, fictum simulatumve sit. Nos enim ut homines externa tantum intuemur, et de his iudicamus: Deus autem scrutatur renes et corda, eiusque oculis nuda et aperta sunt omnia. Nos piae matris Ecclesiae gremium et portas coeli Pontificia nostra auctoritate tibi, quantum in nobis est, aperuimus et aperimus: tu vide, ne tibi ipsi et Ecclesiam et coelum claudas. Sed absit, ut haec unquam de te timeamus, imo nec cogitemus, cum potius in omni veritate mentisque candore coram Deo et nobis te ambulare, ac deinceps etiam ambulaturum esse constanter credamus, adeoque nonnisi magna et praeclara ad divinae gloriae et catholicae religionis amplificationem, nec nisi digna Patriarcha Alexandrino, digna pietate atque praestantia animi tui, digna postremo tot sanctissimis decessoribus tuis, qui Catholicam Ecclesiam scriptis rerumque gestarum gloria summopere illustrarunt, de te nobis omnino polliceamur. Reliquum est, ut quae procurator tuus apud nos egit, postquam isthuc ad te redierit, rata habeas, et confirmes, ac praecipue catholicam fidem denuo profitearis ex eadem formula, quam ille de scripto coram nobis et fratribus nostris

pronunciavit, propriaque manu subscripsit, ac huiusmodi iteratae professioni tu quoque manu tua subscribas, tuoque signo obsignatam ad nos transmittas quamprimum. — Te demum, ven. frater, toto corde ac intimo pontificiae caritatis affectu complectimur: tibi multis cum lacrymis prae gaudio manantibus paternam et apostolicam nostram benedictionem peramanter impertimur; Deumque Opt. Max. qui gloriam suam in te manifestavit, suppliciter exoramus, ut ipse te coelestibus benedictionibus cumulet, quatenus in terra feliciter diu vivas, ac in coelo ea, quam repromisit diligentibus se, immarcescibili iustitiae corona donatus gaudiis perfruaris sempiternis. Datum in arce Gandulphi Alban. dioec. die 20 Iunii 1715. — **Bullarium** *S. Congr. de Prop. Fide.* Append. I. 445.

891.

Clemens XI PP. suspendit privilegia **Facultati Sorbonicae** concessa, ob huius in quaestione Iansenistica minus sinceram semet gerendi rationem, A. 1716.

MON. Circumspecta Romanorum Pontificum providentia e sublimi universae domus Dei specula longe lateque prospiciens, quantam Catholicae Ecclesiae utilitatem atque ornamentum afferant sacrarum eisque ancillantium bonarum literarum studia, per quae depulsa ignorantiae caligine hominum mentes luce veritatis illustrantur, ut ad ea Christifideles vehementius incenderet, adiuvaretque, Scholas pluribus in locis instituere, doctorum hominum collegia excitare, nec non studiorum generalium Universitates erigere consvevit, ubi sana fidei doctrina optimisque morum praeceptis atque institutis imbuendae iuventuti daretur opera: simul vero contra teterrima haeresum monstra veluti armamentaria constituerentur, unde Eppi, qui in partem pastoralis sollicitudinis vocati sunt, ad suos greges tuendos arma capere, atque expedire facile possent. Ubi vero saluberrima haec laudabilium disciplinarum gymnasia vel eorumdem Epporum cura, vel Principum liberalitate, vel etiam privatorum largitorum be-

neficentia condita fuisse cognovit, novis ea proventibus auxit, gratiis et privilegiis decoravit, aliisque Apostolicae benignitatis muneribus, prout in Domino censuit, prosecuta est. Hinc plures ex iisdem Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, quibus compertum erat, celeberrimam Universitatem studii generalis Parisiensis in eaque praecipue S. Theologiae Facultatem adeo in dies magis florere praestanti ingenio eximiaque doctrina viris, ut ad eos audiendos e remotissimis etiam regionibus ingens undique discipulorum multitudo confluueret, tanto quoque erga Apost. Sedem cultu et veneratione commendari, ut hoc potissimum nomine excellere gloriaretur, eam maximis hisce virtutum laudibus ornatam in suam et beati Petri peculiarem clientelam susceperunt, datis ac saepius confirmatis immunitatibus et exemtionibus ab alia quacunque ecclesiastica iurisdictione liberam esse voluerunt; aliisque insuper quamplurimis gratiis ac favoribus cumularunt, quemadmodum ex pluries editis innovatisque a multis retro seculis ea de re Apostolicis literis aperte dignoscitur. Quin etiam haud semel Facultatem eandem variis aerumnarum acerbitatibus molestiisque conflictatam in huius omnium fidelium matris Ecclesiae sinum confugientem eiusque praesidium humiliter implorantem patrocinio munire, nec non paterna salutarique severitate in eos, qui malum eidem pararent, animadvertere consveverunt.

Haec dum nobiscum animo reputamus, eo graviori doloris ictu perculsi sumus, cum frequentibus literis et fama ubique gentium cum incredibili fidelium scandalo diffusa, ad Apostolatus nostri notitiam pervenit, quod, postquam alias, videlicet mense Martio a. 1714. in lucem prodierat decretum quoddam nomine dictae Facultatis promulgatum, ac publicis literis consignatum, per quod testatum omnibus fiebat, eandem Facultatem die 5. mensis Martii Constitutionem nostram, quae incipit ‚Unigenitus' a. 1713. sexto idus Sept. a nobis editam summa cum reverentia atque obsequio recepisse, ac in suas tabulas referri iussisse, ut ab omnibus et singulis magistris, doctoribus, baccalaureis, et candidatis suis pari obsequio coleretur, et observaretur: non ita pridem nonnulli praedictae Facultatis doctores maiorem forsan sed certe minime saniorem sui coetus partem constituentes non minus antiquae eiusdem coetus gloriae perpetuaeque in hanc S. Sedem observantiae, quam insignium ab ea

ipsi Universitati collatorum beneficiorum ac privilegiorum immemores, quinimo ipsius etiam sui doctoratus gradus, quo apostolica auctoritate donati fuerunt, prorsus obliti, nulla eccles. poenarum formidine, nulla famae reverentia, nulla demum illius iurisiurandi, quo in consortium dictae Facultatis cooptati initio omnium actuum se nihil unquam, dicturos, scripturosve, quod Pontificiis decretis repugnaret, diserte spoponderunt, religione commoti, frustra reclamantibus aliis bonam causam strenue tuentibus, eo impudentiae processerunt, ut decretum supradictum falsum, adulterinum, commentitium, atque ex ipsius Facultatis commentariis eradendum esse declaraverint, non obscure sic agendo ostendentes, se aut debitam memoratae Constitutioni nostrae obedientiam praestare contumaciter nolle, quippe quam se numquam praestitisse acerrime contenderunt, aut verius ab ea, quam pro muneris sui debito praestiterunt, turpiter descivisse; utcunque vero se res habuerit, semper a maiorum suorum, quos religionis non minus, quam sapientiae claritas commendavit, vestigiis aberrasse, qui videlicet ab ipsis Scholae Parisiensis exordiis Apost. Sedis leges accipere, suarum confirmationem expectare, oracula petere, iudicia subire, decretis obtemperare, poenas exequi, sanctionibus acquiescere, verbis factisque toties professi sunt, maximoque sibi honori inconcussa devotione duxerunt, prout ex ipsius Universitatis tabulis et publicis etiam documentis constare notum est. Ad haec inquieti homines praefati minime veriti sunt tum privatis collocutionibus, tum publicis etiam toto suorum adstante conventu habitis sermonibus, moderno praesertim Syndico viam aberrantium praeeunte praedictam Constitutionem nostram multiformiter impetere atque proscindere, nec non clarissimos collegas suos a veritatis semita non recedentes, adeoque ab eis dissentientes, quos non paucos Divina Providentia ad reproborum contumeliam servare voluit, plurimum divexare, perinde ac si morem Apost. Sedi gerendo gravi aliquo se crimine commaculassent. Praeterea nonnullorum ven. fr. Galliae Epporum decreta, quibus a perversa eiusmodi ipsorum agendi ratione sese adhorrere palam edixerant, abiudicare et despicere, quin etiam publice impugnare non erubuerunt: quod utique ingenti animum nostrum moerore confodit, quippe qui in summo Eppatus vertice a Domino constituti eppalem inprimis auctoritatem dignitatemque defendere omnino te-

nemur, idque maxime Ecclesiae Dei, maxime etiam Religionis intersit.

Multa haec et tam gravia mala cum iam diu invaluerint, nos tamen ut amantissimus Pater, quem delirantium filiorum miseret, in patientia et longanimitate diutius, quoad fieri potuit, expectandum existimavimus, an forte filii isti desertores conscientia commissi sceleris aut saltem verecundia ad se sponte redirent vel alieno tandem impulsu atque opera revocarentur. Verum cum videamus lenitate nostra morbum quotidie magis magisque ingravescere, ne poenas a nobis neglectae curationis repetat supremus Ecclesiae auctor ac vindex, salubri aliquo canonicae severitatis remedio vulnus istud tractandum suscipimus, ut, quod plane cupimus, cicatricem ducat, et praevaricatores revertantur ad cor, parati profecto, si secus accidat, quod absit, ulcisci omnem inobedientiam, et iuxta traditam nobis a Domino potestatem ad ulteriora procedere. Specialem itaque curam eiusdem Parisiensis Scholae sub immediata beati Petri protectione a tot seculis susceptae nobis et eidem Apost. Sedi retinentes, (neque enim boni pastoris est, infirmas oves deserere sed vigilantius custodire) ut illius bono et utilitati salubrius et efficacius consulamus; simulque animo reputantes reliquas omnes gratias, quibus ipsa S. Theologiae Facultas a praedicta Sede cumulatissime ornata fuit, ob tot ac tanta in ea perperam gesta iam non in fidei favorem, Ecclesiae decus, Epporum adiumentum, fideliumque aedificationem, ut mens profecto concedentium fuerat, sed in errorum potius fomentum, memoratae Sedis iniuriam, atque Eppalis dignitatis imminutionem fore cessuras: — de nonnullorum ven. fr. nostr. S. R. E. Cardinalium Consilio — omnia et singula privilegia (praefato immediatae subiectionis huic S. Sedi duntaxat excepto), immunitates, libertates — sive a nobis sive a quibusvis Romanis Pontificibus praedictae Facultati Theologicae Parisiensi — concessa — tenore praesentium ad nostrum et dictae Sedis beneplacitum suspendimus, ac suspensa esse et fore decernimus et declaramus. Neminem propterea in posterum eiusmodi suspensione durante ad Magisterii seu Doctoratus, Licentiae etc. gradum in eadem Facultate per Cancellarium Universitatis, sive alium ipsius Facultatis Ministrum promoveri, eidemque Facultati aggregari posse, nec ita forte promotum seu aggregatum a nobis, et Sede praedicta, aut

a quovis alio Praelato — ullo modo admitti debere, neque demum praefatorum graduum vigore ad quasvis Ecclesias, dignitates, beneficia, aliaque munera ecclesiastica, gradus huiusmodi requirentia, idoneum censeri, aut ad illa recipi quoquomodo posse, declaramus. Ceterum quia Romani Pontificis, aequi bonique supremi assertoris est, iustitiae limites non praetergredi, ne videamur virgam peccatorum relinquere super sortem iustorum, magistros omnes, doctores aliosque Facultatis alumnos, qui praedictae Constitutioni nostrae debitam obedientiam praestiterunt, aut in futurum praestiterint, praesenti gratiarum et privilegiorum suspensione minime affici volumus, perinde ac si quoad illos eaedem praesentes literae non emanassent. Quinimo eosdem ut veros obedientiae filios ac germanos egregiae Facultatis alumnos, paternae caritatis sinu complectentes, hortamur in Domino, ut apostolicum illud sedulo cogitantes: ‚si quid patimini propter iustitiam, beati' in suscepto tuendae sanae doctrinae proposito gloriosa stabilitate perseverent: quodque vere christiani doctoris est, eos, qui contradicunt, arguere pro tradita sibi a Domino sapientia non vereantur, certi divinam sibi retributionem atque huius S. Sedis protectionem et gratiam minime defuturam. — Datum Romae die 18 Nov. 1716. — **Bullarium** *Clementis XI.* Romae. 1723. p. 238.

892—893.

Eppi Belgii ad Clementem XI PP. de Constitutione ‚Unigenitus', A. 1718.

892. MON. Votis nostris Deo ter O. M. solemniter redditis pro diuturna Sanctitatis Tuae incolumitate, undevigesimo anno sapientissimi iuxta ac vigilantissimi Ecclesiae Catholicae reiminis feliciter inchoato, ad Apostolatus tui principatum accedimus, ad universalem Pastorem gregis Dominici, cuius partem nobis commissam sub altius praesidente et praeeminente celsiore fastigio Speculae Pastoralis, ad salubria pascua catholicae fidei morumque doctrinae dirigere hactenus conati sumus. *Immobile fidei fundamentum cum S. Augustino et priscis omnibus Eccle-*

siae Patribus in te semper agnovimus, Pater Beatissime, supra quod aedificii ecclesiastici altitudo consurgit, a quo si vel ad latum ungvem recedatur, ruere omnia in praeceps, ac pastores ipsos cum ovibus in manifestam perniciem et interitum prolabi necesse est. Id nos docuit aeterna ipsa incarnata sapientia, id traditio, concilia, aetatum omnium venerandi sanctique Antistites, patres, doctores, verbo nationum omnium scriptores catholici, et olim professi sunt et hodie profitentur, conterendos eos demum, qui a vestra Sede defecerint, quae ipsa principis Apostolorum est, per quem convicta, atque expugnata sunt haereticorum omnium schismaticorumque commenta. Vicina horremus scandala, atque infandam rerum divinarum profanarumque commixtionem execramur, in id totis viribus intenti, ne in Ecclesias nostras vel clanculum irrepat, vel furtive serpat, vel quoquo se modo insinuet inauditum prorsus a catholicis Eppis exemplum. Necessaria sane fuit, Beatissime Pater, diuque a nobis expetita sapientissima illa vestra Constitutio ‚Unigenitus', ex Spiritu S. dictata per os Sancti ac beatissimi principis Apostolorum, a digito vestro scripta, qua 101 perversorum hominum placita solenni anathemate configuntur, quamque proinde in nostris singuli dioecesibus promtissima Summo Ecclesiae Rectori obedientia et submissione incunctanter suscepimus, avide amplexi sumus, continuo publicari curavimus, et toto Belgio Catholico ab omnibus acceptatam illibatam fidei morumque regulam esse voluimus. Hae muneris nostri partes, Pater Sanctissime; quibus id modo superaddimus, ut Sanctitati Tuae debitas pridem gratias referamus, quod tam opportuno remedio renascentes quotidie et ex obtritis olim haeresibus repullulantes errores falce ad radicem missa penitus exstirpaveris. Tantum profecto in hac meditanda condendaque sanctione virtutis et divini luminis ostendisti, ultimos tortuosi colubri flexus rescindendo, ut in te uno collectae videantur dotes illae, quae decessores tuos Rom. Pontifices eiusdem haereseos interemtores pridem nobilitarunt. Promti remedii necessitas numquam clarius apparuit, quam cum eos, quos ista lues afflaverat, principio titubare, sensim immodestius obstrepere, tum apertius refragari, demum in exitialem contumaciam erumpere incredibili cum nostro moerore conspeximus. Quot autem, quantae et quam diuturnae perrumpendae difficultates fuerint, ut eam controversiam dirimeres, quam in-

defesso studio singulos errorum angulos scrutatus sis, quot vigiliis Tibi constiterit, illaesa S. Augustini auctoritate latitantes sub eius umbra errores contundere, grata recordatione meminimus, eaque adeo longe gratiori, quod eo pacto infecta corruptaque pascua detexeris, a quibus greges nostros securius custodiremus. Eandem nobiscum gratitudinem totius orbis catholici Praesules testatissimam reddidere, ut universi plane obstupuerint, repertos nonnullos, qui ad immobilem fidei petram duras cervices allidere non formidarent, deserta Pastoris voce ad profanam novitatem dilapsi, quo paternum tuum animum vehementissime excruciatum non semel demonstrasti, iis nihilominus pacis et lenitatis usus consiliis, quae ad oves periculo proximas retrahendas saluberrima iudicasti, nihil intentatum relinquens, quo aberrantes in viam salutis reduceres. Tum vero incomparabilem illam tuam mansvetudinem, incredibilem tolerantiam, clementiam inexhaustam admirari licuit, dum immorigerorum filiorum audaciam, temeritatem et pervicaciam tam longanimiter sustinuisti, ut dubium putemus, maioremne in edenda ipsa Constitutione, an in harum virtutum tam illustri testimonio gloriam tibi conciliaveris. Lenem te Patrem satis diu experti sunt refractarii homines, at sapientiae tuae, prudentiae, et pastorali fortitudini media non defutura censemus, quibus sanctionum tuarum acerrimum te aliquando vindicem sentiant, depulsisque turbarum nebulis veritas catholica de ipsis inferorum portis triumphet. Turpem maculam parti illi Ecclesiae Gallicanae rebellanti inustam amaris lacrymis deflere cogimur; id interim solatii tuae Sanctitati afferentes, quod devium illum et pervicacem erroris spiritum ab Ecclesia nostra Belgica, saltem pro maxima, potiori nobiliorique parte penitus exulare confidamus, non sine summa fiducia fore, ut si quos forte nobis invitissimis contagiosum malum afflaverit, ii per Dei gratiam ad debitam obedientiam compellantur. Haec nostra nostrorumque regula est, Pater Beatissime, nec aliam agnoscimus, quam ut Cathedrae tuae inviolabili communione consociati, eos, qui tecum non colligunt, ut dispersores dissipatoresque fugiamus. Super Apostolorum Principis Petram aedificatam Ecclesiam scimus, nostri sunt, qui tuae cathedrae coniunguntur, id catholicum credimus, quod a tua Sede proficiscitur, quod contra est, omne respuimus. In hac fide, in perpetua obedientia, in demississima veneratione Ecclesiarum omnium

Capiti, sine ullo typho sacrilegae superbiae, sine ulla inflata cervice arrogantiae, sine ulla contentione lividae invidiae, cum sancta humilitate, cum caritate christiana, indissolubili vinculo aeternum copulabimur. — Die S. Clementi sacra 1718.

893. *Responsum Clementis XI. PP. a. 1719.* — Pietatis vestrae atque filialis in hanc S. Sedem studii insigne accepimus argumentum in literis, quas die S. Clementi sacra anni proxime praeteriti ad nos dedistis. Ex iis enim, quam alacri promtoque animo Constitutioni nostrae ‚Unigenitus' debitam obedientiam praestiteritis, ac ut ab aliis etiam praestetur, omni ope curare decreveritis, abunde cognovimus. Hoc autem illustre et nomine vestro maxime dignum factum eo gratius nobis accidit, quo certius allatum ad nos est, paucos illos, qui sanam doctrinam non sustinent, et a veritate auditum avertunt, hoc potissimum tempore obduratae mentis indicia prodere, apertamque ab Apost. Sede defectionem revelata facie profiteri. Perspectam itaque virtutem vestram uberi et plane merita in Domino laude prosequentes, eum, qui non dat in aeternum fluctuationem iusto, impense precamur, ut vobis coelesti suo praesidio iugiter adesse velit, quatenus ministerii vestri partes strenue, constanter, atque fructuose obire pergatis, unde sacris Belgii Antistitibus maior in dies iustissimae gloriae cumulus accedat, et gaudium, quod nos ex tam praeclara zeli vestri testificatione percepimus, compleatur. — Datum Romae 15. Ianuar. 1719. — *Acta Eccl. Mechliniensis circa Bullam Unigenitus.* Bruxellis. 1719.

894.

Clemens XI PP. fidelibus pastoralia impertitur monita respectu Constitutionis ‚Unigenitus', cui obedientiam praestare nonnulli recusabant, A. 1718.

MON. Pastoralis officii, quod superni dispositione consilii gerimus, cura nos admonet, ut animarum saluti ubique terrarum procurandae ac praesertim orthodoxae fidei, sine qua impossi-

bile est placere Deo, puritati servandae omni studio advigilemus. Eapropter cum in quibusdam ultra montes provinciis, et praecipue in amplissimo Galliae Regno varia pravarum doctrinarum imo et haeresum semina occasione damnati cuiusdam libri gallico idiomate iam pridem editi sub titulo ‚Le Nouveau Testament en francois avec des reflexions Morales sur chaque verset etc.' aliter vero: ‚Abregé de la Morale de l' Evangile, des Actes des Apostres etc.', vel: ‚Pensees Chretiennes sur le Texte de ces livres sacres' germinare cognovissemus: iisdem eradicandis nostri non minus muneris debito admoniti, quam crebris multorum Catholici orbis ac praesertim Galliae Epporum precibus excitati, quin etiam piis ac saepius repetitis clarae memoriae Ludovici XIV, dum vixit, Francorum Regis votis et officiis adducti, quascunque potuimus apostolicae nostrae sollicitudinis partes adiuvante Domino interponere non praetermisimus. Quae autem et quanta in hoc arduo gravissimoque negotio per plures annos egerimus, et passi simus, quaeve inobedientium hominum et paucorum, quod valde dolentes dicimus, illustrium etiam Ecclesiarum Antistitum veritati non acquiescentium opera in idem inclytum Regnum mala provenerint, vobis fere omnibus minime ignotum esse existimamus. Postquam siquidem divino inprimis implorato praesidio, curaque omni, studio ac labore, prout rei gravitas exposcebat, diutissime collatis, adversus praedictum librum Constitutionem nostram, quae incipit ‚Unigenitus Dei Filius', a. 1713. sexto idus Sept. editam promulgavimus, in qua plures noxios articulos ex eodem libro excerptos censuris variis — notatos pro huius S. Sedis more proscripsimus; cuiusmodi remedii necessitatem tum memoratus Ludovicus Rex, tum plerique ex Gallia Eppi iteratis obtestationibus inculcaverant, non aliter suborta dissidia sedari posse constanter affirmantes, tota quidem Christi Ecclesia, Petrum per nos tametsi indignos loquentem secuta, apostolicam eiusdem Constitutionis doctrinam debito obsequio atque obedientia suscepit: at novatores, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident, ex inconsulta eorumdem paucorum Antistitum haesitatione ita animos extulerunt, ut incredibili audacia Constitutionem ipsam perverse interpretari, et incessere, pravaeque etiam doctrinae per impudentes calumnias insimulare non erubuerint. Itaque ut reluctantes illos Eppos ad sectanda fratrum suorum vestigia excitaremus,

ac turbarum malorumque omnium fomitem, quem improvida illa cunctatio ministraverat, extingveremus, canonicas animadversiones post diuturna trium annorum longanimitatis experimenta adhibere constitueramus. Verum ven. fratres nostri S. R. E. Cardinales, quibuscum rationem consilii nostri communicare aequum esse censuimus, nos enixe obsecraverunt, ut paulisper a severioribus remediis supersedere vellemus, dum interim communibus literis collegam suum Constitutioni nostrae sese subiicere detrectantem atque iisdem propterea animadversionibus obnoxium ad unitatis et pacis consilia revocare conarentur. Eorum igitur precibus annuentes, ne quam lenitatis viam intentatam relinqueremus, per illas ipsas inducias nos quoque ad universos AEppos et Eppos Regni Galliarum literas in forma Brevis die 20. Nov. 1716. expeditas dedimus, quibus rerum gestarum serie et Ecclesiarum perturbatione uberius exposita, illos hortati sumus, ut dissentientes Coepiscopos suos nostro etiam nomine convenirent, eosque officii sui fraterna caritate admonerent, nec non omnibus sacerdotalis sollicitudinis argumentis, imploratoque nostris etiam verbis dil. in Chr. filii nostri Philippi Ducis Aurelianensis, eiusdem Regni Rectoris, patrocinio, ad reparanda ecclesiasticae unitatis et disciplinae detrimenta, atque ad avertenda Catholicae Religionis pericula flectere satagerent. Speravimus quidem uberem ex eiusmodi literis nostris fructum, iunctoque nobiscum praeclarissimorum Galliae Praesulum zelo, qui maximo sane numero pro veritate certabant, factum iri credidimus, ut dissidentes fratres, quod nobis adeo in votis erat, lucrari possemus. Atqui spe nostra frustratos confestim nos vidimus, dolentesque clamare coacti sumus: sustinuimus pacem, et non venit, quaesivimus bona, et ecce turbatio: et sane tam gravis, ut qui ex adverso erant, illas ipsas nostras et huius S. Sedis voces variis artibus pene intercludere tentaverint. Neque profecto felicius cesserunt officia illa, quae Cardinales praedicti per impetratas a nobis inducias praestiterunt. Quamquam enim communi totius S. Collegii epistola svasiones, consilia, obsecrationes atque omnem ministerii sui fraternaeque benevolentiae fidem, sedulitatem ac sollicitudinem adhibuissent, frustra se tamen laborasse intellexerunt, neque alium praeter inanes scandalorum ac dissidiorum expostulationes, sed sine voluntate veram amovendi causam, unde illa emerserant, operae suae fructum re-

portarunt. Non tamen propterea concidimus animo, imo necdum a mitioribus consiliis recessimus: nihil interim curantes, quomodo homines modum hunc agendi nostrum interpretarentur, quippe qui sciremus Deo aeque per infamiam et bonam famam serviendum esse. Itaque ut aberrantes in viam iustitiae svaviter revocaremus, iteratis saepius hortationibus nostris etiam preces addidimus, eundemque in scopum privatis literis manu nostra conscriptis ea omnia paternae mansvetudinis officia implevimus, quae suggerere nobis potuit christiana caritas, quae patiens est, benigna est, omnia suffert, omnia sustinet. Plures interea Gallicani Antistites non minus sapientia et doctrina, quam pietate ac studio tuendae Religionis illustres, ex iis scilicet, qui debita submissione Constitutionem nostram amplexi fuerant, dignitatis et muneris sui probe memores, votisque et officiis nostris obsecundantes, favente etiam eorum conatibus memorato Philippo Duce ac Rectore, curas omnes suas, assiduosque labores ad discordantium fratrum animos permovendos enixe conferre non omiserunt. Sed haec omnia prosperum illum, quem summopere praestolabamur, exitum minime habuerunt. Obscurati siquidem sunt renitentium oculi, ne viderent, ac obturatae sunt aures, ne audirent; adeo, ut nonnulli eorum non sine bonorum omnium luctu, hostiumque Ecclesiae plausu, ad ea insuper publice devenire ausi fuerint, quae omnes ex vobis, quibus illa innotuerunt, improbasse non dubitamus, quaeque ipsimet, qui ea perpetrarunt, a nobis et a S. R. Ecclesia palam atque perpetuo damnanda atque execranda esse non ignorabant.

Quare nos, qui supremo Divini Pastoris mandato deesse nec possumus, nec debemus, quo et illius oves pascere, et fratres nostros confirmare praecipimur, animo nobiscum reputantes, quod Verbum Dei non est alligatum, postquam diu tentatis inutiliter consiliis pacis hucusque siluimus, adhuc ulterius tacere nobis non tutum, christiano autem populo perniciosum fore censemus. Ad vos proinde omnes ex unaquaque natione, quae sub coelo est, Christifideles paternas voces nostras dirigimus, quo primum quidem doloris nostri participes vestras nobiscum ad Deum preces deferatis, ut superna adspirante gratia, qui hactenus contumaces fuerunt, non iam ulterius alta sapientes, sed humilibus consentientes ad debitam cum ceteris Christifidelibus in sana catholicaque doctrina profitenda veniant unitatem. Hoc

nempe ex animo unice quaerimus, hoc dies noctesque nec sine lacrymis a Domino imploramus; neque enim oblivisci potest mulier infantem suum, nec S. Rom. Ecclesia filios suos. Deinde ne quis christianum populum seducere pergat inanibus verbis, vos omnes, ut necesse est, monitos volumus, et certos facimus, quod frustra et quidem non sine fermento malitiae et nequitiae istiusmodi homines nobiscum in doctrina religionis consentire se iactant, dum interim heterodoxorum exemplo praeeunte editam a nobis Constitutionem, quam universa Ecclesia veneratione debita complectitur, non modo alienis ab ipso verborum tenore interpretationibus, sed et apertis calumniis superinductis maligne carpere audent, et immanium errorum accusatione perstringere, perinde ac si ipsi soli, aliis Christifidelibus ubique gentium desipientibus, saperent, ipsi soli reliquis coecutientibus lumen veritatis adspicerent. Nec profecto minor est illorum culpa, qui ut facilius incautis illudant, cum haec ipsa moliuntur, eidem Constitutioni nostrae nequaquam adversari, sed solas declarationes in rebus apud ceteros omnes plane perspicuis postulare se simulant, non quidem discere, sed tentare cupientes, ut Ecclesiam, si possint, inutilibus quaestionibus et interminatis immisceant, et luci catholicae veritatis tenebras obscuritatis offundant. Ita sane patientia nostra abutentes, apostolicae auctoritati obsequium ac reverentiam se exhibere gloriantur illo ipso tempore, quo ei gravissimam inferunt iniuriam. Iisdem siquidem explicationem petitionibus satis aperte ostendunt, ideo se Constitutioni nostrae debitam obedientiam nondum praestitisse, quia verentur, ne per illam catholica dogmata convellantur, ne laudabilis et ab hac S. Sede probata eccles. disciplina infringatur, neve demum salubriores christianorum morum regulae subvertantur, quod plane idem est ac vereri, ne defecerit fides Petri, totaque Christi Ecclesia magisterio Apostolicae vocis imbuta a via veritatis et salutis erraverit. Praeterea ut pessimae causae splendidum patrocinium concilient, praefataeque Constitutioni maiorem undecunque invidiam faciant, se ab ea suscipienda retardari affirmant eo, quod suspicentur per illam damnari sententias, atque doctrinas, quas insignes Catholicorum scholae absque ulla censura hactenus tenuerunt ac tradiderunt: cum tamen, nisi ab antiquis semitis, Sanctorumque Patrum vestigiis, imo et ab earumdem scholarum instituto, quod verbis profiten-

tur, reipsa recessissent, probe reminisci deberent, quod illarum principes, quorum nomina pertinaciae suae temere praetendunt, quemadmodum et ceteri illustriores Ecclesiae scriptores suum semper esse duxerunt, ut ab Apost. Sede discerent, quid credere, quid tenere, quid docere deberent, ut ad illam scripta sua examinanda et emendanda dirigerent, ut inde lumen catholicae fidei reciperent, ubi non posset fides ipsa sentire defectum, ut nemo eorum denique sententiam suam adversus Petri auctoritatem defenderet. Ceterum in hoc ipso praepostero iudicio consvetum calumniandi morem non derelinquunt: nisi enim excoecaret eos malitia eorum, ac nisi diligerent magis tenebras quam lucem, ignorare non deberent, sententias illas ac doctrinas, quas ipsi cum erroribus per nos damnatis confundunt, palam et libere in Catholicis scholis etiam post editam a nobis memoratam Constitutionem sub oculis nostris doceri atque defendi, illasque propterea minime per eam fuisse proscriptas. Verum supercecidit ignis contentionis et aemulationis, et non viderunt solem lucidissimae veritatis. Hinc iusto Dei iudicio ambulantes in tenebris nesciunt plane quo vadant; scandalum quippe de constitutione nostra comminiscuntur, sed se ipsos potius de pervicaci sua inobedientia scandalum facere non agnoscunt; sacrosanctam Eppatus dignitatem exaltare se velle declarant, sed reipsa deprimunt, dum interim fraternitatem ipsi contemnunt, audacissimae inferioris cleri rebellioni fomentum tribuunt, universumque eccles. ordinem laicis tribunalibus, vel in ipsa religionis causa indecore ac perperam subiici non attendunt; de veteris ac novae legis discrimine tamquam de re ipsis solis perspecta multa et plerumque inutiliter disputant, novaeque praestantiam, quam omnes agnoscunt et profitentur, inculcare non desinunt, utriusque tamen legis plenitudinem, quae est dilectio, minime observant; caritatem nulli impensius laudant, nulli impudentius violant; divinae gratiae veritatem praedicant, quam catholicus nullus negat, sed damnatis erroribus faventes spiritui gratiae contumeliam faciunt. Quod vero nos de pusillorum scandalo sollicitos plurimum excruciat, illud est, quod dum plerique eorum haec faciunt, vel consentiunt facientibus, adhuc specioso quodam ementitae severitatis amictu se contegentes, rigidioris doctrinae gloriam captare non cessant, instituendaeque in melius christiano-

rum vitae et ad normam Evangelii componendae zelum magnifice ostentant.

Quare nos perniciosam hanc larvam, quae animabus pretiosissimo Christi sangvine redemtis certum parare posset exitium, palam detrahere urgente nos apostolici ministerii debito volentes, ipsos primum aberrantes fratres, ut alias saepe privatim fecimus, publice modo et coram universa Ecclesia monitos facimus, ne sibi ulterius de falsa exactioris disciplinae fama blandiantur. Neque enim vera virtus absque humilitate, pietas absque obedientia, christiana demum perfectio absque caritate potest consistere. Porro quae humilitas: sensum proprium communi fratrum sententiae, quin et supremae beati Petri Cathedrae iudicio obstinate praeferre? quae obedientia: apostolicis definitionibus reluctari? quae tandem caritas: iniuriis et contumeliis agere, iras, rixas et contentiones ubique disseminare? Agnoscant igitur divini luminis irradiante fulgore, quam gravibus coram Deo et Ecclesia reatibus et periculis involvantur. Meminerint scriptum esse, quod quasi peccatum ariolandi est repugnare, et quasi scelus idololatriae est nolle acquiescere. Omnipotentis Dei, qui superbis resistit, tremendum et imminens sibi iudicium timeant, Ecclesiaeque pacem simul et Reipublicae tranquillitatem perturbare tandem aliquando desistant. Reliquos deinde vos omnes per universum terrarum orbem Apostolicae fidei cultores paterne admonemus, requirimus et obtestamur, ut ad eos, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, probe dignoscendos certissimam illam, quam Dominus ac Salvator noster nobis reliquit, regulam adhibeatis, videlicet, a fructibus eorum cognoscetis eos. Qui autem fructus isti sint, ex eorum, qui Constitutioni nostrae sese submittere renuerunt, contumacia provenientes, toti iam pene christiano orbi nimium perspecti sunt et manifesti: de illis propterea, ne acerbissimi doloris nostri vulnera refricemus, prolixius eloqui libenter absistimus. Nolite ergo, filii dilectissimi, vosque potissimum, qui ut loco ita et periculo propinquiores estis, nolite effici participes eorum, nolite omni spiritui credere, doctrinis variis et peregrinis nolite abduci, sed sanam et orthodoxam S. R. E. doctrinam, quae sacrum fidei depositum intemerate servat, tuto sequimini, et firmiter custodite. Nos vero, quos ceteris zelo Domus Dei non minus quam dignitate praeire oportet, ut ingruentium tot malorum gravitati,

quantum rerum et temporum praesens conditio patitur, opportune occuramus, praesertim ne pastores errantes et in errorem mittentes disperdere et dilacerare gregem Domini nemine cohibente prosequantur, neve oves Christi nobis tacentibus rapi in praecipitia se sinant, universis Christifidelibus, quid interim gravissima hac in re nos agere duxerimus, palam edicere ac declarare statuimus. Noverint ergo omnes, qui ubicunque terrarum catholico nomine gloriantur, nos, qui Unigeniti Filii Dei Salvatoris nostri Iesu Christi vices nullo licet meritorum nostrorum suffragio in terris gerimus, eos omnes, — qui memoratae Constitutioni nostrae debitam et omnimodam obedientiam praestare hactenus recusarunt, aut in posterum recusare ausi fuerint, ut veros S. R. E. filios non agnoscere, neque ut nobis et beati Petri Cathedrae, quod falso autumant, adhaerentes et consentientes, sed contra potius uti aperte inobedientes ac notorie contumaces et refractarios habere, tenere, ac reputare. Et quoniam primo ipsi a nobis et S. R. Ecclesia, si minus expressis verbis, factis certe pertinacisque et obduratae mentis multiplici significatione recesserunt, illos similiter a nobis tamquam a nostra et eiusdem S. R. E. caritate prorsus segregatos haberi, nullamque proinde nobis et ipsi S. R. E. deinceps cum illis communionem eccles. extituram, donec (quod faxit Deus) integre resipiscant, reiectaque penitus audacia refragandi, per exhibitionem verae obedientiae, quam complures eorum Romano Pontifici beati Petri successori ac Iesu Christi Vicario in ipsamet solemni catholicae fidei professione interposita iurisiurandi religione ad S. Dei Evangelia saepius spoponderunt, pristinae caritati et unitati ab eadem Apost. Sede restitui mereantur. Ad vos postremo, ven. fr. Patriarchae etc. gaudium nostrum et corona nostra, apostolicae dilectionis nostrae sermonem convertimus, hortantes vos et obsecrantes in Domino, ut pro eo, quo polletis, pastorali zelo, commissas vobis Christi oves a venenatis pascuis, id est, profanarum vocum et doctrinarum novitatibus sedulo arceatis, simulque paternam sollicitudinem nostram in revocandis ad saniora consilia quibuscunque dissidentibus efficacius adiuvetis, ita ut vobis indivulsam cum S. R. E. in doctrina fidei unitatem, quod iam plerique vestrum egregie praestitistis, firmissime profitentibus christiani omnes agnoscant, vos longe ab iis esse, qui elongaverunt se a nobis, ac illorum damnabilem in-

obedientiam una nobiscum aversari, et improbare, eosque, nisi resipuerint, a communis societatis caritate prorsus alienos habere. Utinam qui paternis hactenus humilitatis nostrae vocibus reluctati sunt, vobis omnibus non modo arguentibus, obsecrantibus et increpantibus, sed et ab eorum consortio penitus abstinentibus, erubescant, confundantur et convertantur! detque illis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem, ut secundum Apostolicam doctrinam idem ipsum tandem dicamus omnes, et non sint in nobis schismata, simus autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia, auxiliante nobis per omnia gratia D. N. I. C. cui est honor et gloria in secula. Amen. — Datum Romae a. 1718 quinto Kal. Septembris. — **Bullarium** *edit. Luxemb.* XI. 2. p. 139.

895.

AEppus Senonensis in Gallia de suprema Romani Pontificis auctoritate, A. 1719.

MON. *Epist. ad Eppum Engolismensem.* — In memoriam tibi revocandum est, *nos (Eppos) etsi Iudices, Summo Pontifici tamquam Superiori ac Pastori nostro subiacere.* Hanc veritatem exultantis animi sensu profitemur, inquiebat olim in publicis Cleri Gallicani 1682. Comitiis ‚Bossuetius,' amamus unitatem, et quam exhibemus obedientiam, gloriae ducimus; omnes tam agnos quam oves, matres ipsas haud secus ac natos, vel ipsos Pastores pascere ac regere proprium est ex Christi instituto Petri officium; populorum pastores, oves Petri sumus. Haec magnus ille Meldensium Eppus, cuius suspecta tibi haudquaquam esse potest hac super re auctoritas. Agnoscit ingenue superiorem nobis SS. Patris auctoritatem, cui quidem obedire nobis gloriandum. Hanc ipsi obedientiam in nostra consecratione sub iurisiurandi sacramento spopondimus; huius obedientiae exempla Eppi praedecessores nostri nobis imitanda reliquerunt. Quoties in suis comitiis profectas a Sede Apostolica bullas receperunt, toties easdem a se cum debita submissione ac reverentia recipi palam protestati sunt. Verum quidem est, et pari tecum

animi vigore propugnamus, Eppos esse iudices: nihilominus tamen eorum nullus ab ea recedere potest obedientia, cuius necessitatem imponit iurisdictionis ille Primatus, quem Cathedrae Unitatis ipse Christus affixit. Omnis quicunque fidelis Christi Vicario obedientiam debet. Ita dictat illa, quam tenemus, ita docet, quam profitemur, fides. Eandem hanc fidem Eppi in sacra sua inauguratione profitentur. Illam obedientiae pollicitationem solemniter renovant in tremendo altarium sacrorum conspectu, ac sancta super Evangelia iurant, se deinceps Romano Pontifici pro tempore existenti eiusque successoribus obedituros. — **Antifebronius vindicatus.** Lipsiae et Francof. 1772. I. 372.

896.

Benedictus XIII PP. literis ad Praedicatorum Ordinem directis vindicat a calumniis Iansenisticis doctrinam SS. Augustini et Thomae. A 1724.

MON. Demissas preces, et acquissimas conquestiones vestras, quas dil. fil. Augustinus Pipia totius Ordinis Magister Generalis, religiosae vitae exemplis ac doctrina prudentiaque commendatissimus supplici libello ad nos detulit, ea benignitate complexi sumus, quam et vestra in Catholicam Religionem amplissima merita, et nostra, quam dudum professi sumus, erga Ordinem Praedicatorum observantia filialis, nostraeque demum humilitati impositum paternae caritatis et sollicitudinis officium postulabant. Quod igitur aegre admodum, ut par est, molesteque feratis, erroribus a fel. rec. Clemente PP. XI. praedecessore nostro per Constitutionem ‚Unigenitus' saluberrimo et sapientissimo iudicio reiectis damnatisque Augustinianae et Angelicae doctrinae nomen obtendi, indeque audere nonnullos Apostolicae auctoritati ac vestrae existimationi detrahere, quod ipsa vestrarum sententiarum capita eius Constitutionis censuris notisque inusta esse calumnientur: iustam quidem animorum vestrorum offensionem laudi damus, qua nimirum vos germanos S.

Thomae discipulos maxime probatis. Magisterio enim tanti Doctoris imbutos nihil decet magis, quam ut in addictissima huic S. Sedi fide obedientiaque praecipuum studiorum suorum fructum et laudem collocent, et absonas refragantesque apostolicis decretis opiniones non aversentur modo, sed per arma etiam lucis et veritatis dissipent et evertant. Tantum tamen abest, ut vicem vestram doleamus, ut vobis potius gratulemur, quod hac etiam in parte causa vestra ab huius S. Sedis rationibus seiuncta esse non potuerit, quodque alienae prorsus calumniosaeque interpretationes ad conflandam memoratae Constitutioni invidiam temere excogitatae ad iniuriam quoque vestri nominis redundarint. Ceterum non adeo vobis erat aut dolendum aut mirandum, quod cum ipsis divinorum librorum oraculis et apostolicis definitionibus pro impotenti obfirmatoque partium studio passim vis afferatur, haec eadem contentionis pervicaciaeque licentia angelicam doctrinam attentare non dubitaverit. Illud potius iure mirandum, quod tam praepostero consilio in hac causa locus esse potuerit, ubi S. Thomae exploratissimis sententiis damnati errores disertissime confutantur. Quandoquidem Omnipotentis Dei providentia factum est, ut Angelici Doctoris doctrinae veritate non solum innumerae, quae vel ipsius aetate vel antea grassatae sunt, sed multae etiam quae deinceps exortae sunt haereses, confusae et coniunctae dissiparentur. Magno igitur animo contemnite, dilecti filii, calumnias intentatas sententiis vestris de Gratia praesertim per se et ab intrinseco efficaci, ac de gratuita praedestinatione ad gloriam sine ulla praevisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuistis, et quas ab ipsis SS. Doctoribus Augustino et Thoma se habuisse, et verbo Dei, Summorumque Pontificum et Conciliorum decretis, et Patrum dictis consonas esse Schola vestra commendabili studio gloriatur. Cum igitur bonis et rectis corde satis constet, ipsique calumniatores, nisi dolum loqui velint, satis percipiant, SS. Augustini et Thomae inconcussa tutissimaque dogmata nullis prorsus antedictae Constitutionis censuris esse perstricta : ne quis in posterum eo nomine calumnias struere et dissensiones serere audeat, sub canonicis poenis districte inhibemus. Pergite porro Doctoris vestri opera sole clariora sine ullo prorsus errore conscripta, quibus Ecclesiam Christi mira eruditione clarificavit, inoffenso pede decurrere, ac per certissimam illam doctrinae christianae regulam sacrosanctae religio-

nis veritatem incorruptaeque disciplinae sanctitatem tueri ac vindicare. Haec sunt, dilecti filii, quae praedecessores nostri de S. Thomae doctrina senserunt et praedicarunt, quaeque nos non modo ad curarum vestrarum lenimentum, sed ad animi quoque nostri solatium libentissime usurpamus, et praeconio apostolicae vocis efferimus. Inclytus enim Ordo iste, cui nomen dedimus, et quem expresse Domino miserante professi sumus, eodem angelicae doctrinae lacte nos aluit, ac licet impari institutionis fructu ad gerendam Ecclesiarum sollicitudinem eduxit, ut privato etiam diuturnoque colendarum artium experimento edicere potuerimus, quod ex apostolatus specula per hasce literas annunciamus. Deum interea, qui pacem et veritatem diligendam praecipit, supplices rogate, ut sincero angelici Doctoris studio omnes in simplicitate cordis nitantur quae ille docuit, intellectu conspicere, atque in unitate spiritus et caritate fraternitatis, quae ille egit, imitatione complere. Datum Romae die 6. Nov. 1724. — **Bullarium** *edit. Luxemb.* XI. 361.

897.

Benedictus XIII Catholicis Belgii Foederati irritam declarat electionem ac consecrationem AEppi Ultrajectini Iansenistici, A. 1725.

MON. Qua sollicitudine ad animarum vestrarum salutem haec S. Sedes advigilet, quove studio curet et nitatur, ut adversus insidias diaboli nulla vobis desint sanae doctrinae, salutaris disciplinae, et vigilantiae pastoralis praesidia, iam assiduis hactenus argumentis exploratum vobis esse non dubitamus. Haec ipsa tamen doloris acerbitas, qua gemitus nostros ad vos deferre, moerorisque causas iteratis questubus replicare, et recentibus scandalis obviam ire compellimur, novum vobis nec obscurum esse debet paternae nostrae caritatis testimonium. Nostis autem, dil. filii, quibus artibus pravae doctrinae semina spargere molientes dissensionis filii non solum catholico nomine sed pastoralium etiam munerum inducta larva et conflictis ecclesiastici ministerii titulis abutentes, ad animarum curam et sacramenta administranda obrepere aut irrumpere tentaverint. Sed

superbia eorum, quae ascendit semper, eo demum temeritatis evasit, ut postquam a septem clericis, qui Canonicorum nomen iactabant Ultrajectini Capituli, quod iam ante annos abhinc plures supra centum intercedit, perperam ac temere facta esset die 27 mensis Aprilis A. 1723. electio ‚Cornelii Steenoven' turbulentae factionis antesignani et eccles. censuris obstricti in AEppum Ultrajectinum, quamquam ab hac S. Sede reiectam eiusmodi electionem certo et palam rescivissent, curarunt tamen atque effecerunt, ut eidem Cornelio die 15 Oct. 1724. apostolica auctoritate et SS. Canonum contemtis regulis, per detestabilem ac sacrilegam manuum impositionem episcopalis consecrationis munus traderetur. Ne autem factiosorum conatus ulla pravitate vacarent, consecratio peracta est a Dominico Maria Varlet Eppo Babylonensi, iam ab exercitio eppalis ordinis suspenso, eius suspensione per literas Sacri Cardinalium Collegii apud vos typis impressas denunciata. Sed ad haec inde etiam cumulus perversitatis accessit, quod memoratus Eppus Babylonensis minime assistentibus ex praescripto ss. Canonum duobus aliis Eppis nullaque apostolica dispensatione suffultus, solus antedictum Cornelium consecrare ausus fuerit. Ut igitur pro nostrae servitutis officio opportuna remedia tantis scandalis adhibeamus, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus et declaramus: tam electionem eiusdem Cornelii in AEppum Ultrajectinum fuisse irritam, ac prorsus nullam, quam eius consecrationem fuisse omnino illicitam et execrandam, ac proinde ipsum temere nulloque iure electum Cornelium omni ecclesiastica et spirituali iurisdictione pro animarum regimine carere, atque illicite consecratum ab omni exercitio eppalis ordinis esse suspensum. Mandamus propterea, districteque interdicimus memorato Cornelio sub poena excommunicationis ipso facto sine alia declaratione incurrendae, ne audeat pastores, missionarios, ministros, aut alios quocunque nomine nuncupenter, ad animarum curam et sacramentorum administrationem quovis etiam necessitatis praetextu constituere ac deputare. Simul etiam palam edicimus et declaramus, omnes et singulas praedictorum officiorum deputationes pro animarum regimine quocunque nomine factas aut fortasse faciendas cum omnibus inde secutis prorsus irritas esse, ac nullius roboris et momenti. Rursus eidem Cornelio praecipimus et inhibemus, ne sub simili excomm. poena audeat illi-

cite Sacramentum Confirmationis aut Ordines conferre, aut quoquo pacto Ordinem Eppalem, a quo suspensus est, exercere. Vobis autem, dil. filii, graviter iniungimus ac vetamus, ne antedictum Cornelium pro vero AEppo Ultrajectino habeatis, et agnoscatis, neve cum eodem ullo pacto praesertim in divinis communicetis, aut ab ipso vel ab aliis per ipsum perperam et inaniter deputatis sacramenta aut ordines accipiatis. Noverit enim, qui ordinibus initiatus ab ipsis fuerit, suspensionis se vinculo constrictum atque irregularitati praeterea obnoxium, si susceptos ordines exercuerit. Reliquum est, ut paternis curis nostris filialis obedientiae fideique vestrae officia respondeant. Nullum enim iucundius dolori nostro solatium afferri potest, quam ut intelligamus, vos caute ambulantes non vocem alienorum audire, sed Pastorem sequi et domum aedificare supra firmam petram. — Datum Romae die 21. Febr. 1725. — **Bullarium** *edit. Luxemb.* XI. 375.

898.

Idem PP. irritat novam electionem AEppi Ultrajectini per Iansenistas factam, A. 1725.

MON. Novis istic in dies per paucorum Clericorum contumaciam erumpentibus scandalis, novisque saluti vestrae intentatis periculis, iterum ad vos paterni doloris et sollicitudinis voces gemitusque convertimus: ne remissior ad custodiendum gregem esse videatur vigilantia Pastoris, quam diabolica malignitas ad perdendum. Eo autem acriori sensu acerbitatis ruinam coecitatemque factiosorum deflemus ac detestamur, quo pugnacius pergunt non modo apostolicis sed divinis etiam animadversionibus obluctari. Non enim vos latet, quidquid ad evertenda et emendanda perversitatis exempla contra sanam doctrinam, disciplinamque canonicam istic suborta ediximus ac gessimus, irritam praesertim electionem et sacrilegam consecrationem ‚Cornelii Steenoven' declarantes ac reiicientes, eumque eccles. censuris per datas die 21 Febr. literas ab omni iurisdictione arripienda, et pontificalibus exercendis prohibentes ac deterren-

tes. Filiis tamen dissensionis obturantibus aures suas, Deus terribilis et fortis, quem illi per nos licet immeritos loquentem audire noluerunt, et quem spreta nostra auctoritate spreverunt, extendit manum suam, ut errantes per ostensionem virtutis suae a viis pessimis revocaret. Nam literis nostris die 17 mensis Martii apud vos evulgatis, cum idem Cornelius in sua pervicacia obfirmatus sacrilega manu sacramentum Confirmationis palam administrare, ordinesque conferre non formidasset, lethali morbo correptus brevique consumtus ad tremendum Christi iudicium, reddendamque tot malorum turbarumque rationem die 3 mensis Aprilis evocatus est. Eo quidem metu concussos damnatae factionis clericos ad cor redituros sperabamus, cum praesertim anni spatio nondum exacto tam antedictus Cornelius, quam presbyter Iacobus Krüs, qui vehementior prae ceteris auctor fuerat sacrilegae consecrationis, et laicus Donkers, in cuius aedibus illa peracta erat, nullo edito salutaris poenitentiae signo in sua vere damnabili inobedientia mortem obiissent. Sed poenalis illorum coecitas conceptam a nobis fiduciam elusit, et Domino etiam visitante in virga iniquitates eorum, apposuerunt adhuc peccare ei. Etenim, quod non sine intimo paterni cordis dolore nuper accepimus, iidem incredulitatis filii a tot vere orthodoxis, nobisque et S. R. Ecclesiae in unitate fidei per foederatum Belgium obsequentibus dissidentes, Lugduni Batavorum iterum convenerunt, atque inani Canonicorum Ultrajectinorum titulo temere assumto, die 16 eiusdem mensis Aprilis clericum suarum partium suaeque pertinaciae consortem ‚Cornelium Berkman‘ AEppum Ultrajectinum pari temeritate consilii ac iudicii perversitate eligere non erubuerunt. Nos proinde adversus iteratam praeposterae invalidaeque electionis audaciam apostolicae auctoritatis officium renovantes, quemadmodum per superiores ad vos literas nostras electionem antedicti pseudoepiscopi Cornelii Steenoven reiecimus, ita novam quoque electionem memorati Berkman eadem auctoritate apostolica reiicimus, irritamque ac prorsus nullam fuisse et esse declaramus; eidemque perperam ac temere electo sub poena excomm. latae sententiae interdicimus, ne a quocunque Eppo, etiamsi alias legitima auctoritate suffulto, ordinem seu consecrationem eppalem suscipere, neve ullo modo se pro Eppo gerere, aut Ultrajectensis vel alterius cuiusvis Cathedralis Ecclesiae Antistitis titulo nominare

praesumat. Atque insuper sub simili excomm. poena eidem inhibemus, ne iurisdictionem ullam, proque animarum regimine auctoritatem facultatemve sibi arroget, aut pro suscipiendis ordinibus dimissorias literas dare, aut pastores ac missionarios pro sacramentis administrandis gerendaque animarum cura deputare, et constituere audeat: quas nos literas et deputationes, si quae datae factaeque sint, aut in posterum dari fierique contingat, nullas et inanes esse ac fore decernimus. Praeterea Ven. fr. AEppos et Eppos universos aliosque Ecclesiarum Superiores Praelatos serio admonemus, iisque sub canonicis poenis gravissime interdicimus, ne eidem Berkman ad eppalem consecrationem sacrilegas manus imponant. Vobis vero, dil. filii, praecipimus, ne ulla ratione pseudoelectum eiusmodi pro vero AEppo et animarum pastore habeatis, quem potius ut alienum declinare, et tamquam huic S. Sedi contumacem et ss. canonibus mandatisque apostolicis refragantem aversari et vitare debeatis. — Datum Romae die 23. Aug. 1725. — **Bullarium** *edit. Luxemb.* XII. 25.

899.

Conc. Ebredunense de Constitutionibus Sedis Apostolicae, A. 1727.

MON. *Cap.* 2. Cum fides sit humanae salutis initium, et fundamentum, ac sine illa impossibile sit placere Deo: primum ac praecipuum pastoralis sollicitudinis caput est, illam integram illibatamque servare. Quoniam igitur in simplicitate fidei quidam non ambulantes, Constitutionibus Apostolicis, quibus succrescentes novissimis temporibus errores damnati sunt, palam et aperte refragantur, aut eas subdolis interpretationibus conantur eludere, idcirco de obedientia illis Constitutionibus debita sequentes articulos promulgandos iudicavit haec S. Synodus: 1. *Constitutio ‚Unigenitus'*, qua 101 Quesnelli propositiones damnatae sunt, cui suffragata est universalis Ecclesia, est *dogmaticum, definitivum, et irretractabile iudicium* illius Ecclesiae, de qua divino ore dictum est: portae inferi non praevalebunt adversus eam.

Si quis igitur eidem Constitutioni corde et animo non acquiescit, aut veram et sinceram obedientiam non praestat, inter eos habeatur, qui circa fidem naufragaverunt. Quodsi nonnulli crescente contumacia, haereticorum vestigiis insistentes, a praefato dogmatico iudicio, quo non laudabiles Patrum sententiae, non innoxiae Catholicarum Scholarum opiniones, ut calumniantur novatores, sed inprimis Baii et Iansenii errores iam dudum damnati iterum damnantur, ad futurum Generale Concilium provocare praesumserint, huiusmodi provocationem noverint esse ipso iure irritam, scandalosam, schismaticam, iam damnatis erroribus faventem, Sedi Apostolicae et Ecclesiae iniuriosam. 2. Quoniam autem quidam eorum, per quos oborta sunt memorata scandala, praescriptae ab Alexandro VII formulae reluctantes diversis cavillationibus vim illius eludere conantur, obtenduntque Ecclesiam non exigere, ut quisque subscribendo praefatae formulae iuramento profiteatur, sensum haereticum in quinque propositionibus ab Innocentio X. damnatum contineri in Cornelii Iansenii libro: ideo nos eiusdem Alexandri VII Constitutioni inhaerentes praefatam illam subscriptionis interpretationem declaramus perniciosam, temerariam, Ecclesiae et eius praxi iniuriosam, schismaticam, nec non haereticis et haeresibus faventem, et ut talem reiicimus ac damnamus. 3. Quod spectat ad inquietos illos homines, qui non sine gravi Sedis Apost. iniuria, maximoque totius Ecclesiae scandalo docere non verentur, ad obedientiam praefatis Constitutionibus debitam non requiri, ut quis praedicti libri Ianseniani sensum in antedictis V propos. damnatum interius ut haereticum damnet, sed satis esse, si ea de re obsequiosum, ut vocant, silentium teneatur, doctrinam illam declarat haec S. Synodus ab omni catholico abhorrendam, fallacem, perniciosam, et periuriis faventem; huius enim doctrinae pallio non deponitur error sed absconditur, Ecclesiae illuditur non paretur, et lata filiis inobedientiae via sternitur ad fovendam silentio haeresim; statuitque iuxta Constit. Clementis XI ‚Vineam Domini Sabaoth' obedientiae, quae memoratis Const. Ap. debetur, minime satisfieri, sed damnatum in V propos. Iansenii libri sensum, quem illarum verba praeseferunt, ab omnibus Christifidelibus ut haereticum non ore solum, sed corde reiici, ac damnari debere, et qui secus docuerint, vel quovis modo asseruerint, subiacere censuris et poenis in supradictis Const. contentis. 4. Neminem ad

SS. Ordines promoveant Eppi, aut ad confessiones audiendas et munia Concionatoris obeunda applicent, vel ad beneficia possidenda admittant nisi prius Constitutionem Innoc. X. et Alex. VII subscriptionem exegerint, et de praestita Clementis XI Constitutionibus ‚Vineam Domini Sabaoth' et ‚Unigenitus' sincera ac demissa obedientia certiores facti fuerint. 5. Denique cum novatores sparsis ubique virulentis ac fallacibus libellis incautos homines, ipsosque etiam, si fieri posset, electos in errores suos inducere conentur, eaque praevaleat iniquitas temporum, ut libri improbi quo graviori anathemate feriuntur eo curiosius requirantur et legantur avidius, ne venenum latius serpat, et ut a noxiis pascuis Christi oves arceantur, piorum Conciliorum vestigiis inhaerens declarat haec S. Synodus, omnes, qui prohibitos libros seu libellos et praesertim adversus praefatas Constit. Apost. recens vulgatos — legere — ausi fuerint, excomm. vinculo esse ipso facto innodatos, a qua nisi speciali licentia — absolvi nequeant. — *Concilium Provinciale Ebreduni habitum.* Gratianopoli. 1728. p. 7.

900—904.

Eiusdem Concilii Ebredunensis acta, quae ad errores **Eppi Senecensis** Iansenisticos se referunt. 1727.

900. MON. *Epistola synodica Concilii ad Summum Pontificem, in qua significat Concilium, quod Eppum Senecensem ab omni iurisdictione et exercitio potestatis suspenderit.* Antiquae traditionis exempla servantes, et ecclesiasticae memores disciplinae Concilii nostri Ebredunensis gesta ad Ecclesiarum matrem et magistram referenda esse censuimus, ut statutis nostris etiam Sedis Apost. adhibeatur auctoritas. Officium vero illud nostrae erga Petri Cathedram reverentiae eo propensius exequimur, quo Sanctitatis Vestrae pro synodalibus Epporum coetibus sive restituendis sive confirmandis studium novimus ac sollicitudinem. Horum, quibus olim, Beatissime Pater, praecipue florebat, celebrationem conventuum instaurari iamdudum efflagitabat Eccle-

sia Gallicana. Nostrorum tandem illustrissimo promovente Ebredunensi AEppo, et Rege annuente Christianissimo compotes facti votorum in nomine Domini convenimus, summa omnium provinciae ordinum frequentia. Cum autem Epporum, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, primum munus sit, fidei depositum custodire intemeratum, *prima* quoque *nobis cura fuit, ut apostolicas constitutiones ad profligandas recentes haereses toto plaudente orbe christiano promulgatas ea qua par est animi sinceritate atque demissione servandas esse declararemus.* Delatum exinde tartareum quoddam opus, quo sub obtentu ineundae Anglos inter et Catholicam Ecclesiam concordiae a SS. Tridentina Synodo execratae haereses circa adorandum praesertim Missae Sacrificium aperte retractantur, damnavimus et reprobavimus. Mores demum restaurare aggressi ea statuimus, quae in Ecclesiarum nostrarum utilitatem cessura in Domino iudicavimus. Quot ex illo nostro Concilio in hanc provinciam, quot in Ecclesiam Gallicanam fructus atque emolumenta redundatura essent, boni omnes laeto animo prospiciebant. Sane abundabat per Christum consolatio nostra: sed heu! quam cito ex laetitia ad luctum reciderunt omnia, cum RR. *Eppi Senecensis* pastorale documentum permultis audivimus insimulante Concilii promotore scatere erroribus! In iudicium deductum opusculum, prout rei gravitas postulabat, diligenter expendimus: plurima autem in eo deprehendimus Ecclesiae, Summis Pontificibus, et Gallicanis Eppis iniuriosa, plurima scandalosa, schismatica, et spiritu haeretico plena, uno verbo nihil in eo documento comperimus, quod, ut aiebat Innocentius I, placeret, et nihil pene quod non penitus displiceret, a quovis damnandum atque culpandum, cuius similia, nisi qui ea scripserat, nemo alter in mentem reciperet atque sentiret. Exitialis quippe libellus iste formulae ab Alexandro VII ad excidendam radicitus Ianseniauam haeresim sapienter perscriptae, futilibus distinctionibus vim omnem conatur adimere, Clementis XI irretractabilem Constitutionem ‚Unigenitus' palam et aperte proscindit, perniciosum denique Quesnelli considerationum moralium librum totius Ecclesiae iudicio damnatum summis, verius dixerimus, horrendis encomiis extollit, ac veluti nutriendae fidelium pietati idoneum praedicat atque commendat. Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis, inexpertum nihil reliquimus, Beatissime Pater, ut fratrem devi-

um ad debitam S. Matri Ecclesiae obedientiam revocaremus. Sed hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, deditus consiliis et deceptus, omnium nostrum plenissimis amoris et officii monitis corde restitit obfirmato. Quocirca ne, ut scribebat Synodus Carthaginensis, diu inultus multa occupans insanabilis error accresceret, neve aberrante pastore oves commissi gregis abducerentur in praeceps, advocatis e vicinioribus provinciis plurimis Eppis, ut causae plenior cognitio haberetur, iudiciumque ageretur splendidius, praefatum Rss. *Eppum Senecensem uti damnatos saepius errores fovent em et Ecclesiae rebellem omni iurisdictione eppali et exercitio potestatis tum eppalis tum sacerdotalis suspendendum esse decrevimus et suspensum ore unanimi pronunciavimus.* Quid superest, Beatissime Pater, nisi ut Concilio nostro Sanctitatis Vestrae maior accedat auctoritas, qua decreta robore firmentur apostolico, et qua plenissime constet Rss. Eppi Senecensis causam rite et legitime diiudicatam fuisse. Nostras hac super re demississimas preces Beatitudinem Vestram audituram benigne spem non dubiam faciunt vigor ille sacerdotalis et pastoralis illa vigilantia, qua dominicum gregem verbo pascitis et exemplo; hancce fiduciam multum iuvant vestrae ad ducem nobis et auctorem operis Ebredunensem Metropolitanum literae erga ipsum et Synodum officiosissimae. —

901. *Epistola synodica ad Clerum et populum Senecensem.* Vobis omnibus scribendum duximus, fratres dilectissimi, de eo, quod spectat ad omnes. Urimur graviter nimis Ecclesiam vestram procellis errorum iactari, et, quod magis exacerbat dolorem, inde ortam esse tribulationem, unde consolatio sperari debuerat. Indixit Antistes vester bellum veritati, auctoritati, iudiciis, et sponsae Christi proelium movit, filiis inobedientiae non solum manus dedit, sed etiam ducem et antesignanum se praebuit. Ad Synodum nostram delatum est documentum pastorale datum Castellanae die 28 Aug. proxime elapsi, quod Rev. Senecensis Eppus suum agnovit, et in parochiis vestris suo iussu fuisse promulgatum ultro confessus est. Legimus documentum illud et exhorruimus. Quis enim talia non exhorreat, nisi attendens spiritibus erroris iam a fide discesserit? Auctor illius subscriptioni purae et simplici formulae ab Alexandro VII praescriptae ad eiurandas quinque Iansenii propositiones in sensu

ab auctore intento aperta fronte refragatur; constitutionem ‚Unigenitus', quam universalis Ecclesia amplexata est, non solum audacter respuit, sed pravae etiam doctrinae per insignem calumniam insimulare non veretur, et dicens malum bonum et bonum malum Quesnelli librum per praefatam Constitutionem damnatum cum 101 propositionibus inde excerptis gregi suo tamquam ab omni erroris labe immunem et ad fovendam pietatem saluberrimum commendat, acsi ipse solus cum paucissimis sequacibus, aliis Christifidelibus ubique gentium desipientibus, saperet, ipse solus reliquis coecutientibus lumen veritatis aspiceret. In lacrymis luctuque iacentes diu obtestati sumus eum, qui aperit oculos coecorum et aures surdorum patere facit, ut fratri nostro in tam gravi delicto praeoccupato daret poenitentiam ad cognoscendam veritatem; simulque nihil intentatum reliquimus, ut iuxta Apostoli praeceptum in spiritu lenitatis illum instrueremus, et a doctrinis variis et peregrinis abductum, quod unice in votis erat, lucraremur. Credebamus hortando, svadendo, obsecrando, in quo toti fuimus per dies plurimos in omni patientia et doctrina, credebamus, inquam, factum iri, ut qui hactenus sibi quodammodo derelictus in suo sensu abundare falso praesumserat, S. Synodi in Spiritu S. congregatae sanis sermonibus et eius, quae secundum pietatem est, doctrinae tandem aliquando, ut par erat, acquiesceret. Sed proh dolor! inani spe iactati sumus, imo vero dolori nostro novam dolendi materiam suppeditans tamquam aeger multa febre laborans contra medicos insanivit, et priores excessus gravioribus excessibus in ipsa Synodo cumulavit, ita ut cum Propheta dicere possimus: expectavimus pacem, et non est bonum, tempus curationis, et ecce turbatio. (Ier. 14, 19.) Cum igitur nec caritatis officiis victus, nec etiam monitionibus ecclesiasticis permotus, pertinaciter renuerit intelligere ut bene ageret: ulterius dissimulare nobis non tutum est, christiano autem populo et vobis praesertim perniciosum, atque adeo censuimus cohibendum, ne diutius noceret ovibus, et sangvis earum de manu nostra requireretur. Itaque *ad lugubrem sententiam contra vestrum RR. Eppum et illius institutionem pastoralem coacti venimus, doctrinam istius praesertim tamquam seditiosam, scandalosam, schismaticam, spiritu haeretico plenam, erroribus refertam, et haereses foventem, damnavimus, illum ab officio et iurisdictione eppali et ab omni*

officio ordinis tum eppalis tum sacerdotalis suspendimus, donec profana vocum novitate relicta, quae recta ac decentia sunt sapiat; simulque saluti vestrae consulentes quasi rationem pro animabus vestris reddituri, dioecesi vestrae regendae praeposuimus virum enutritum verbis fidei et bonae doctrinae, et iamdudum pietate, scientia, zelo et eccles. rerum usu de Ecclesia bene meritum. Mirum non sit, dil. fratres, Eppum cum tanta contumacia Ecclesiae iudicia et auctoritatem aversantem, et ab iis gregem sibi commissum avertere conantem non eas dedisse poenas, quas postulare videbantur regulae canonum, et ipsum etiam iudicium divino ore prolatum contra Prophetas, qui locuti sunt vana et vident mendacia, de quibus dixit Dominus: in concilio populi mei non erunt, in scriptura domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur, eo quod deceperint populum meum. Decebatne dum fratri nostro zelo veritatis et iustitiae irasci cogebamur, misericordiae non recordari, docente Apostolo servos Dei mansvetos esse ad omnes, cum modestia corripientes eos, qui resistunt veritati? Quapropter sic in errantem animadvertimus, ut medicinam potius adhibuisse videamur quam poenam; sin autem mitiori manu tractatus ad cor non redeat, in amaritudine animae nostrae consolabimur invicem in verbis istis: quid debuimus facere Praesuli indurato et rebelli, et non fecimus ut converteretur et viveret? Quod ad vos spectat, fratres dilectissimi, rogamus et obsecramus vos in Domino Iesu, ut quemadmodum per praedictam sententiam accepistis a nobis, quomodo vos oporteat sentire et placere Deo, sic et sentiatis; si fidem vestram a tramite veritatis insinuatio male docentis Pastoris averterit, hodie vocem matris Ecclesiae benignissime revocantis audite; doctrinam ab illa in Iansenii et Quesnelli libris damnatam religiosa detestatione damnate, illi repugnare vel ipso trahente proprio Eppo quasi peccatum ariolandi est, et quasi scelus idololatriae nolle acquiescere. Sit igitur vestri erga S. Synodum obsequii debiti indicium, a venenatis pascuis pastoris vobis subducti recedere. Sit vestri in ipsum amoris officium, errantem deflere, et supplicibus a Deo precibus quotidie postulare, ut illuminans sedentem in tenebris et umbra mortis in viam obedientiae, unitatis et pacis pedes eius quam citissime dirigat. Charitas nostra, dil. fratres, cum omnibus vobis in Christo Iesu. Datum Ebreduni die 23. Sept. 1727.

902. *Epistola Synodica ad Eppos Galliae.* Quod olim tantopere commendabant Oecumenica Concilia, quod tot abhinc annis expetebant Cleri Gallicani comitia, quod demum exigebant vel ipsa Ecclesiae discrimina undique ingruentia : hoc a summa nec satis laudanda Regis pietate consecuti sumus et studuimus religiose exequi. Obtenta igitur celebrandi Concilii licentia RRmos provinciae nostrae Eppos Ebredunum convocavimus, ibique sacra fidei dogmata acerrime propugnari, expurgari mores, sanctioresque universalis disciplinae leges in integrum restitui curavimus. Unum nos summo moerore perculit : fratrem amantissimum arctissimis huic nostrae provinciae obstrictum vinculis et vel ipsa sua provectiori aetate venerandum Rmum Eppum Senecensem doluimus graviter accusatum. Eius nomine inscripta prodierat anno proxime elapso ‚Instructio Pastoralis' sub die 28 Aug. typis impressa. Hoc idem documentum ad nos detulere Concilii promotores, prout scatens erroribus, refertum conviciis, et schismatis ignibus accensum. Tria praecipue eaque gravissimi ponderis hoc in scripto mature perpendenda ob oculos posuere : auctoris videlicet audaciam in damnanda pura et simplici Formularii subscriptione, temeritatem tum in lacessenda constitutione ‚Unigenitus' tum in impugnanda illius acceptatione ubique terrarum ab Eppis facta, obstinatissimam denique animi pervicaciam in tuendo ‚Reflexionum Moralium' libro. Praedicto et coram adstanti Eppo Senecensi ex iuris praescripto iniunximus, ut gravibus adeo querelis in ipsum contortis responderet, dilueret impositum crimen, et gravissimam suspicionem a se amoveret. Respondit quidem ille interroganti, sed proh dolor! detestandum illud opus suum esse agnovit, manu propria suo nomine obsignavit, asseruitque promtum se esse, qui illud acriter propugnaret. Quis tunc fuerit omnium sensus, quis spiritus, quantoque fuerimus pressi dolore, vix coniici posset. Quos labores non suscepimus, quas non impendimus curas, quo eum errantem ad saniorem sensum revocaremus? Sed frustra. Accire ergo e vicinioribus provinciis Eppos numero plures operae pretium duximus, in Domino confisi futurum, ut dictum Antistitem aut suis precibus et colloquiis devictum, aut solemnioris iudicii apparatu perculsum Ecclesiae matri restituerent. Incredibile dictu, quantis eum humanitatis et religionis officiis prosecuti sint. Nihil intentatum, inexpertum nihil omisere, ut illius animum pravis exasperatum

consiliis, falsis opinionibus imbutum, et in suis erroribus pertinaciter obfirmatum e mendacii tenebris eruerent. Verum quid prosunt obdurato cordi rationum momenta, vel adhortationum pondera? haereticorum more iudicibus recusationem, rationibus cavillationem, citationibus et interrogationibus appellationem, monitionibus contemtum, dilationibus tandem contumaciam opposuit. Pessimo eo in rerum statu quid facto opus? Nec crimen omnino inultum relinquere ferebat religio, nec etiam meritas ab eo poenas summo iure expetere commiseratio svadebat. In illud igitur Davidicum plene intenti, cum iratus fueris, misericordiae recordaberis' satius duximus si in reum nec severius nec segnius vindicaretur. Ulti praeterita, futura prospeximus, et absolutioni locum, si forte resipiscat, in Domino concedendum iudicavimus, sicque fidei deposito, saluti Praesulis, gregis utilitati, ac denique totius Ecclesiae expectationi consultum fuisse confidimus. Faxit Deus, ut quae unanimi Patrum consensu gesta sunt, Amplitudinis Vestrae suffragio comprobentur; faxit etiam, ut quem in exemplum aegre dedimus, in se tandem reversus ceteris sit exemplo redeundi. — P. S. Post exaratas praesentes literas et iam in pleno consessu perlectas ad nos pervenit typis impressa, quae Rev. Eppi Senecensis nomine inscripta et ad cunctos Galliae Eppos data fuit epistola encyclica. Commentis, calumniis et factis suppositititiis eam esse plenam luculenter demonstrabunt vel ipsa acta concilii quantocius, ut speramus, in lucem edenda. Ratum interim illud et fixum est, salvam omnino, penitus illaesam, et integerrimam esse et semper fuisse huius S. Synodi libertatem. Imo notorium est, omnes et singulos huius Concilii nostri Eppos et nominatim praefatum RR. Eppum Senecensem eandem prorsus libertatem habuisse, et ad ipsum saepius in qualibet hebdomada nuntios et cursores pervenisse.

903. *Benedictus XIII PP. acta Synodi approbat.* Bonam sobolem institutionis et antiquae traditionis memorem ad sinum matris Ecclesiae recurrere gavisi sumus, cum a vobis conditas in Concilio provinciali constitutiones et literas synodalis conventus accepimus, per quas nostri apostolatus officium implorastis, ut vestris pro ecclesiastica unitate disciplinaque statutis inde principalis auctoritatis robur accederet, unde unitas sacerdotalis exorta est, unde episcopatus in Christo coepit exordium et unde in Galliarum regionibus fides sancta prodivit. Fructum

sane uberrimum cepimus diuturnae sollicitudinis, qua pristinam Synodorum provincialium consvetudinem, huius etiam S. Sedis exemplo decretisque nostris nuper in Romano Concilio editis restituere ac promovere contendimus, quam nimirum erroribus et corruptelis avertendis aptissimam Tridentina Synodus commendavit, ac tertio quoque anno celebrandam praecepit, tum ipsa salutarem inprimis christiana sensit ac praedicavit antiquitas. In hac vero temporum gravitate, qua florentissimi Galliarum regni laborant Ecclesiae propter paucos Eppos officii sui immemores et apostolicis Constitutionibus detestabili pertinacia refragantes, cum nihil esse ad removenda scandala conducibilius reputaremus, omnem dedimus operam, ut habendis pro colenda firmandaque disciplina et contra Eppos obedientiam detrectantes Conciliis provincialibus nulla obiicerentur impedimenta; propterea ven. fratri Bartholomaeo AEppo Atheniensi, nostro atque huius S. Sedis Nuntio diligenter iniunximus, ut apud Maiestatem Christ. Regis ageret et instaret, ut si quae occursarent difficultates ammoverentur, et celebritas illa Synodorum Gallicanarum, quae dudum per omnes Christi Ecclesias inclaruit, iamdiu intermissa reflloresceret; eidem praeterea ven. fratri in mandatis dedimus, sedulo curaret ac niteretur, ut per Eppales Conventus ab ordine et iurisdictione temere exercenda pervicaces Eppi abstinerentur; verebamur enim, ne dum canonica a nobis pararentur remedia, ad alendam interea impunitatem mora proficeret, et oves Christi veris pastoribus destitutae coecisque pastoribus obsequentes fierent in dispersionem; opportunum igitur rati sumus ut earum saluti per eppalem zelum caritatemque opera mandatis curisque nostris instructam pro tempore prospiceretur, et qui superiora apostolica iudicia parvipendentes creditum sibi gregem corrumpere potius pergerent quam servare, per Coepiscoporum vigilantiam cogerentur pravitatem suam a seducendis ovibus continere. Nostrae autem voluntati cum sapienter ante ceteros obsecundaverint fraternitates vestrae, *satis explicare non possumus, quanta consolatione repleti simus ex synodali providentia, qua Eppum Sanitiensem exercendo ordine pontificali et sacerdotali atque ordinaria iurisdictione abstinere coegistis, donec ad saniora consilia rediret, eaque resipiscentia salutari uberiores ac meritas declinaret huius S. Sedis animadversiones, irrita, scandalosa, schismatica eiusdem appellatione reiecta,*

atque intercluso inani illo ad fovenda schismata comparato dissensionis perfugio. Non solum igitur precibus vestris annuentes, sed Constitutionum etiam gravitate et sapientia postulante *quae ad nos misistis Concilii decreta, mature a nobis expensa, praesertim vero de contumaci Eppo providum consilium libenti animo collaudamus et comprobamus, nostraeque auctoritatis subsidium ac robur adiicientes plenissime confirmamus.* Deus autem, qui pacem posuit fines Ecclesiae, studia nostra et vestrae vigilantiae exempla secundet et provehat ad fraternitatis incitamentum, ut animabus Christi sangvine redemtis nulla desint eppalis sedulitatis praesidia, ac stultis pastoribus detracta seducendi licentia novus quaerendae veritatis et pacis stimulus admoveatur, ut et ipsi aliquando intelligant, *in Cathedra Unitatis positam esse doctrinam veritatis;* ac vobis apost. bened. intimae caritatis susceptaeque laetitiae testem peramanter impertimur. Datum Romae die 17. Dec. 1727.

904. *Epistola AEppi Ebredunensis, qua Summo Pontifici pro confirmatione Concilii gratias agit.* Literas, quas die 17. Dec. proxime elapsi ad me mittere dignata est Sanctitas Vestra, incredibili laetitia parique observantia accepi. Eodem animo lectae sunt ab Eppis, qui mecum Concilio Ebredunensi adfuere, rogaveruntque RR. Praesules, ut communes gratae voluntatis sensus Beatitudini Vestrae exponerem. Felices nos, quorum iudicia ad tuendam fidem servandamque unitatem catholicam synodaliter lata muniuntur auctoritate sanctissimi illius Pontificis, cuius est confirmare fratres suos, et quem in diebus misericordiae Deus Ecclesiae concessit, non minus operibus quam eminenti Vicarii Christi et Principis Apostolorum successoris dignitate conspicuum. Si nobis ipsis gratulamur, quod omnia Synodi Ebredunensis decreta suo suffragio corroboraverit Sanctitas Vestra, speciatimque sententiam, quam tulimus aegre licet adversus Eppum Sanitiensem, cuius heu! infaustas animi praeiudicantis opiniones dolere vix unquam satis possumus; si probe intelligimus, quanta ex apostolica confirmatione in nos gloria redundet, quantusque in rei catholicae bonum fructus excrescat: non minus gratum tibi, Beatissime Pater, accidere debet, quod magnam huiusce operis partem non uno sed multiplici titulo possit sibi vindicare Sanctitas Vestra. Enimvero cum te vigilantissima Ecclesiae Beneventanae administratione ad capessendum universalis Ecclesiae regimen efformaret et institueret Deus, pristinam

Conciliorum provincialium consvetudinem ferme obsoletam pluribus habitis Beneventi Synodis Canonum vindex et assertor revocasti, quod Romae etiam vix inauguratus Summus Pontifex ad Epporum omnium aemulationem et gaudium solemniori pompa religiose praestitisti; apostolicae postmodum adhortationis officiis Regis pietas excitata nostris flagitationibus studiisque ardentibus cessit, permisitque, ut Ebredunum synodaliter conveniremus; vestris denique precibus annuens Deus misit de sancto auxilium, quo tantopere indiguimus pro sustinendis molestiis et aerumnis, inter quas nostra sollicitudo pastoralis versata et agitata fuit. Dolendum sane, quod Synodale Concilium tot abhinc annis in Gallia primo habitum inflicta adversus unum de nostris fratribus poena ac censura memorandum sit; hoc procul dubio ad maiorem sui nominis gloriam et ad amplius Ecclesiae ac Religionis incrementum permisit Deus, ut non glorietur omnis caro in conspectu eius, quoniam in angelis suis reperit pravitatem. Illud saltem testimonium nobis ipsis perhibere possumus, quod cum Eppo Sanitiensi egerimus in omni patientia, mansvetudine et longanimitate, quas amor vere fraternus suadere poterat; speramus semper futurum ut sibi ipsi redditus saniora consilia amplectatur, sicque agnita veritate dignum se praebeat, cui ordinum et iurisdictionis exercitium eppalis caritas iuxta synodale iudicium restituat. Visus fuerat eius animus nostris precibus et conatibus tantisper commoveri; reservatum certe Beatitudini Vestrae credimus, ut cor eius penitus emolliatur, ipseque demum ad unitatem, unde recedit, feliciori exitu revocetur. Obstrepant Ecclesiae hostes, lacessant nos indigne conviciis, librum ‚Considerationum Moralium' iudiciis solemnibus damnatum licet magnificis tamen efferant laudibus, voce et scriptis in Constitutionem ‚Unigenitus' et in puram ac simplicem formularii subscriptionem Alexandri VII bulla praescriptam invehantur, detrahant de auctoritate Concilii Ebredunensis, in quo nihil prius habuimus quam Ecclesiae iudicium adversus 101 propositiones et librum unde sunt excerptae sartum tectumque tueri ac decretorum apostolicorum circa formularii subscriptionem executioni allaborare: illud utique singulis atque omnibus aperte constabit, Pontificem inter eos, qui Petri Cathedram virtutibus suis adornarunt, praestantissimum, Pontificem catholicae doctrinae ac praesertim doctrinae S. Thomae, in cuius schola educatus et nutritus fuit, stu-

diosissimum assertorem, Pontificem purioribus et sanctioribus morum ac disciplinae eccles. regulis maxime addictum censuisse ex praedecessorum suorum sancitis et actis, ex veritatis iustitiaeque legibus ac ipso religionis iure, iudicium nostrum sigillo apostolicae auctoritatis obsignandum. Opponant etiamnum adversus Constitutionem ‚Unigenitus' provocationes istas, quibus in causa finita orbem catholicum, quem Domino iis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur, quibusque Ecclesiam cum Ecclesia veluti committentes illam ignorant aut contemnunt, cui tamen Christus promisit se adfuturum omnibus diebus usque ad consummationem seculi: notum erit ac perspectum, Sanctitatem Vestram nostrum hac de re decretum approbasse, sicque nobiscum interclusisse bullae ‚Unigenitus' adversariis illam recursus viam, qua tam indigne utuntur, rati hac ratione pervicaci suae contumaciae et schismati quod inde nascitur posse asseri impunitatem. Ita, Beatissime Pater, vincit Ecclesia et confunduntur qui insurgunt in eam. Apostolorum successores, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, respicis nos ut fratres Pater Sancte; *Sanctitatem Vestram, in qua veneramur Primatum beato Petro a Christo concessum, agnoscimus ut Patrem, et ab hacce Capitis cum membris unione pendere existimamus rectam Ecclesiae ordinationem praecipuamque ad sustinendam veritatem et coercendos errores Christi sacerdotii virtutem.* Accipe igitur, Sanctissime Pater, pro tua in nos bonitate observantiae nostrae et grati animi significationes cum sinceris votis coniunctas: Beatitudinem Vestram reveremur ut filii obsequentissimi; assiduas ad Deum fundimus preces, ut supremam illam Sedem, in qua ad Vestram gloriam, ad nostram vero felicitatem nostrumque praesidium positus es, diutissime teneas; coram Deo et hominibus profitemur, quae Concilium Ebredunense paternae pietatis sentit officia, nos ea numquam oblituros. — *Concilium Prov. Ebreduni habitum.* Gratianopoli. 1728. p. 216. ss.

905.

Eppi Galliae in Conventu suo A. 1728. plenitudinem potestatis in Romano Pontifice recognoscunt.

MON. — Iesus Christus ipse sua institutione limites praescripsit huic potestati (Epporum), quam subiecit Sedi Petri, in qua posuit plenitudinem apostolicae potestatis. — *Iura Sedis Romanae.* Colon. 1797. p. 73.

906—909.

Noaillius Card. AEppus Parisiensis Constitutionem ‚Unigenitus,' quam diu impugnabat, acceptat, suasque adversus eam vulgatas pastorales literas rectractat. A. 1728.

906. MON. *Epistola AEppi ad Papam dd. 19. Iul. 1728.* Tandem post iteratas preces et vota ad Sanctitatem Vestram confugio, multis hucusque experimentis edoctus, quod immensa eius caritas nec supplicationes meas penitus reiecerit, nec etiam plene exaudierit. Nunc tamen me exaudiendum confido, recipiam certe tot votis exoptatam benevolentiam, et S. Sedis favorem; firmum enim fixumque mihi est, Sanctitatis Suae iussis ac voluntati in omnibus obsequi, et quidem tam perfecta et sincera obedientia, ut eorum, quibus hucusque Sanctitati Vestrae displicui, memoria penitus deleatur, et posteritati testimonium relinquatur, meam doctrinam nec modo esse nec unquam fore diversam ab ea, quam Sanctitas Vestra, Emin. Cardinales collegae mei, omnesque Eppi mei confratres profitentur. Ex eodem salutari hoc consilio et firmo ac stabili proposito, quod Spiritus S. post maturas et in Christi Iesu conspectu factas reflexiones menti meae indidit, iam ingens sentio solatium gaudiumque; experior in me vivifici huius luminis radios, et reddita est animo meo pax

et tranquillitas; securus quoque quiesco in sinu Sanctitatis Vestrae, cuius sapientiae divinae studium, omniumque virtutum suarum splendor eminentem Summi Pontificatus gradum exornat. Beatissime Pater, brevi consummabo vitae et sacerdotii mei cursum, et tempus resolutionis meae instat, taedet animam meam vitae meae. Iam ad ianuam stat Iesus Christus, Dominus et Iudex meus, in cuius conspectu testor: bullam ‚Unigenitus' me sincero corde admittere, librum ‚Reflexionum Moralium,' ac 101 propositiones ex eo extractas in eodem sensu, quo damnatae sunt in praefata Constitutione, me damnare; insuper revocare meam Instructionem Pastoralem a. 1719. contra praefatam Constitutionem quamvis meo sub nomine promulgatam; ac proinde Sanctitati Vestrae promitto, aliud mandamentum me editurum, illudque pro eiusdem bullae observantia in tota mea dioecesi promulgaturum. Confiteor tibi, Beatissime Pater, postquam Dei gratia hanc deliberationem suscepi, summa consolatione animum meum esse perfusum, dies factos esse mihi magis serenos, animamque meam ea pace ac tranquillitate frui, quam post diuturnum tempus numquam expertus fueram. Hac declaratione sincera et vere episcopali, Beatissime Pater, me ea, quae antea pollicitus sum, praestitisse confido: restat iam, ut et Sanctitas Vestra filium obsequiosum ac submissum consoletur, suoque amore foveat; nil enim amplius obstare videtur, quominus paternum suum affectum et bonitatem in me effundat, ac benigne concedat, ut coelestis Patris gratia et paternae bonitatis effectus, cuius cursum fuisse interruptum doleo, ad nos usque pertingat. —

907. *Responsum Summi Pontificis dd. 21. Aug. 1728.* Prudentissimum iuxta ac sanctissimum consilium, quod iam dudum in Christo conceperas et per eius gratiam nunc adimplere cogitas, non minori nos solatio replevit, quam divina illa illustratio, quae animo tuo pacem et tranquillitatem reddidit. Satis ergo exprimere haud possumus gaudium nostrum, quo nupernas tuas literas die 19. Iul. ad nos datas recepimus, non sine singulari S. Sedis satisfactione intelligentes, quod post tot moras tandem luculenta perfectae obedientiae specimina sacerdotali charactere dignissima edideris, ac praecipue spoponderis, te omnem adhibiturum curam, ut tandem dissensio, quae nos seiunxit, tollatur, et grex tibi commissus conservetur. Fecisti ea omnia, quae nos pro veteri nostra erga te amicitia, et ex paterno zelo adhibitis labori-

bus iam dudum speravimus et ardenter desideravimus. Nec dubitamus te ex his literis nostris plenum gaudium fore percepturum, dum palam profitemur, te omni laude esse dignissimum, tuaque obedientia nostris votis tantopere consona virtutibus ac praeclaris dotibus, quas generis tui nobilitas et status tui dignitas concessit, novum splendorem tribuisse. Postquam igitur literas tuas per quosdam Cardinales fratres nostros mature examinavimus, omnium iudicio comprobatum est, in illis verae obedientiae et perfectae acceptationis Constitutionis ‚Unigenitus' signa reperiri, teque, ut omnis dissidii cum S. Sede scintilla penitus extingveretur, Pastoralem Instructionem die 14 Ianuar. 1719 promulgatam, cunctaque Bullae receptioni adversa sincero corde et animo revocasse. Compellimur itaque dignissimum filium nostrum veluti quadam temporis procella divulsum rursus amplecti, eique victoriam promta sua obedientia gloriose reportatam gratulari. Uberes quoque illos fructus, quos ex hac tua erga S. Sedem subiectione nobis pollicemur, avide expectamus, ut eo promtiores, alacrioresque efficiamur ad concedendam tibi plenam omnium veniam. Tuum iam est, promissa exequi, et pastorali epistola obstinatos et praefatae Constitutioni adhucdum rebelles, ad obsequium reducere, ut illi, qui te pertinacem sequuti sunt, obedientem quoque imitentur; — nulli ergo, dilecte fili, parce labori, ut quem olim S. Sedes in Clementis XI fel. rec. praedecessoris nostri literis ceu sedulum Apostolicarum Constitutionum cultorem commendavit, nunc quoque laudem nostram eo uberius promerearis, quo studiosius laboraveris, ut minimum etiam schismatis in Ecclesia vestigium penitus tollatur, atque illi, qui sese ab Ecclesia infausta sorte separarunt, rursus ad perfectam unitatem et diuturnam pacem reducantur. Inde fiet, ut postquam bonum certamen certasti, et cursum consummasti, tandem etiam coronam iustitiae tibi repositam habeas, quam iustus Iudex bene certantibus reddere solet. —

908. *Pastoralis litera AEppi ad dioecesim de sua retractatione, dd. 11 Oct. 1728.* Quo viciniores indies sumus nocti illi, in qua nemo amplius potest operari, eo magis sentimus augeri dolorem continuum, qui affligit cor nostrum, ex consideratione tristium dissensionum, quae adhuc perdurant in ista dioecesi propter Constitutionem ‚Unigenitus.' Quid enim plus amaritudinis et doloris offerri nobis possit, quam videre perpetua diver-

sorum studia ad excitandas suspiciones de sinceritate profundi respectus nostri erga S. Romanam Sedem, atque de candore filialis nostri affectus erga ipsum Summum Pontificem, qui in eadem tanta cum dignitate praesidet, quasi causa adhuc subesset dubitandi de nostra unione cum collegis nostris in Eppatu, et quod neglecta intentione, ipsoque charactere nostro usurpetur nomen nostrum pro nomine partialitatis ac dissensionis. Ad os igitur obturandum, rumores veritati adeo contrarios spargentibus, ardenter desideramus in lucem publicam protrahere animi nostri sensa, quae cordi etiam nostro insculpta manent; et si forte nimis diu distulimus sequi inclinationem nostram, id factum fuit unice ex spe, mentes etiam durissimas reducendi per viam claritatis indulgentia plenae, antequam uteremur auctoritate nostra. Verum indulgentiae huic meta iam figenda est, atque aetas nostra, quotidie per ipsum defectum virium nostrarum nos admonet, quod brevi a nobis Deo reddenda sit ratio de administrato tam diu et laboribus pleno Eppatu: ea insuper iusto nos metu percellit, ne ingruente subito morte praeveniamur, antequam dedissemus argumenta certa et irrefragabilia obedientiae nostrae erga S. Romanae Sedis decreta, atque conformitatis sententiae nostrae cum sententiis Epporum Galliae et totius Ecclesiae in acceptatione Bullae ‚Unigenitus.' Quapropter plene consideratis omnibus et sacrosancto Dei nomine invocato, acceptamus cum sincerissimo respectu et submissione Constitutionem ‚Unigenitus Dei Filius' datam 8 Sept. 1713.; librum vero ‚Reflexionum moralium' aeque ac 101 propositiones, quae ex libro illo extractae sunt, condemnamus modo eodem, ac cum iis qualificationibus, quibus Summus Pontifex librum illum ac propositiones condemnavit. Unde et omnibus fidelibus utriusque sexus in nostra dioecesi existentibus testatum facimus, quod nullatenus liceat sentire quidquam contrarium illi, quod definitum est in memorata Constitutione ‚Unigenitus.' Pariter prohibemus legere et asservare praedictum librum, ac omnes illos libros vel instructiones manuscriptas aut impressas, quae hactenus editae sunt, vel edi deinceps possent pro defensione praedicti libri ac damnatarum propositionum. — Et ut plura adhuc ac maiora demus documenta sincerae nostrae erga S. Sedem submissionis, revocamus corde et animo tam Instructionem nostram editam 14 Ianuar. 1719. quam omne id, quod nostro nomine publicatum et

contrarium est praesenti acceptationi, prohibentes simul omnibus et singulis omnem usum et praxim eorum, quae tenore huius decreti revocamus. —

909. *Allocutio Summi Pontificis ad Cardinales dd. 8. Nov. 1728.* Probe cognitum habetis, ven. fratres, quanto labore ac sollicitudine S. Sedes doctrinae puritatem contra errores in Constitutione ‚Unigenitus' proscriptos tueri studuerit: notum quoque est, quam invicta fortitudine et patientia Clemens XI et Innocentius XIII, ambo Summi Pontifices apostolici sui officii partes ad id impleverint, ut ad veritatis semitam illos, qui ab ea infausta sorte deflexerunt, per debitam obedientiam revocarent, atque inter eos praecipue celebrem vestrum Collegam, Noaillium Cardinalem AEppum Parisiensem, cuius nomine et auctoritate freti pertinacissimi quique appellantes pervicaciae suae vexilla erigebant. Erat nimirum hisce praedecessoribus nostris persvasissimum, quod hoc antesignano ad sinceram et S. Sedi debitam subiectionem redacto, a recto tramite devii tam ipsius exemplo, quam eius mandato ad obsequium facili negotio revocari possent. Scitis pariter, quod per infinitam Dei sapientiam inter maximas hasce turbas Ecclesiae Catholicae clavum tenere selecti nulli unquam labori pepercerimus, ut dilectum hunc filium paternae nostrae voluntati obsequentem redderemus. Tandem vero dextera Excelsi sua virtute vicit, et consolationes divinae afflictam animam nostram eo magis erexerunt, quo graviores ac innumeri dolores atque anxietates nos a die exaltationis nostrae depresserant. Hae sunt svaves illae deliciae, quarum vos, ven. fratres, participes fieri volumus; aequum enim est, ut qui passionum et curarum nostrarum socii fuistis, nunc quoque gaudii et solatii nostri sitis. Gaudeamus: confrater enim vester Dei gratia excitatus cordis sui sinum nobis aperuit, data ad nos epistola, quam vobis exhibemus. Huic igitur dilecto filio nostro tenero affectu caritatis in Christo responsum in forma Brevis dedimus. Cum ergo praefatus Cardinalis de Noailles iamiam Mandamentum suum promulgarit, facile intelligetis, aequissimi doloris nostri causam esse sublatam; commisso enim gregi suo luculenta perfectae submissionis erga apostolicam Constitutionem specimina praebuit. Exultemus in Domino, ven. fratres, gratias agamus Domino Deo nostro, humiliter eum rogantes, ut hoc opus perficere, ac disponere dignetur, ut decrescente dis-

sensione pax rursus in Ecclesia floreat, et unitas cum christiana caritate semper de suis hostibus triumphet. — **Fleury** *Hist. Eccles.* lib. 224. §. 60. ss.

910.

AEppus Mechliniensis ad AEppum Ebredunensem de Iansenismo per Concilium Ebredunense profligato, A. 1729.

MON. Acta Concilii provincialis Ebredunensis te humanissime mittente accepi. Accepi, inquam, monumentum pastoralis vigilantiae, ecclesiastici vigoris, spiritualis zeli, et susceptorum pro veritate certaminum, atque orthodoxae fidei praedicationem gloriosam. Benedictus Deus! pacis Dominus, et vindex ruptae pacis; cuius nomen zelotes, qui est aemulator honoris sibi debiti, et sponsae Christi sui Ecclesiae Catholicae, qui non patitur populum suum ad profanas vocum novitates quasi ad opinionis propriae idola, quae sibi fabricaverunt filii hominum, libere deflectere, illis perdite adhaerere, et ea constanter adorare. Infaustam temeritatem huius et superioris seculi novatorum, illata a perversorum dogmatum sectatoribus scandala, et nata inde salutis discrimina saepe multumque deflevimus Eppi Galli et Belgae. *Perfugium habuimus, ex solemni Ecclesiae more ad illam Sedem, in qua Petri fides numquam deficiens praestat quaerentibus et petentibus veritatem. Hinc accepimus, quid credere deberemus, quid docere.* Docuimus sane, et auscultavit populus Dei, ac fidei catholicae robur accessit ex sacra auctoritate, ex qua praedicavimus. Superari potuerat tota tempestas Ianseniana, et Quesnellianae insidiae procul haberi, si supremi Pastoris vocem et Ecclesiae loquelam ac sensum audivisset et amplexata esset fraternitas universa. Sed surrexerunt magistri prurientes auribus, a veritate auditum avertentes, ad fabulas autem et ineptias atque ad haereses ac schismata conversi. Quibus reducendis in viam, quam dereliquerant, quid non impendimus? quid non fecit Ecclesiae Rector et Pastor, quid non Eppi Catholici omnes? Post positam in hac re curam omnem, post

adhibitos labores, impensum tempus, post exhaustam patientiam, post consumta media omnia, exerendus tandem fuit mucro ecclesiasticae disciplinae et canonici rigoris. Ego in presbyteros aliquos, tu etiam in Eppum animadvertere debuisti, illustrissime AEppe. (Ep. *Sanitiensis* intelligitur.) Synodum convocasti Romano probante Pontifice, et Rege Christ. promovente, qui memor fuit Iustinianei testimonii: ‚Semper studium fuit orthodoxis et piis Imperatoribus, Patribus nostris pro tempore exortas haereses per congregationem religiosissimorum Epporum amputare, et recta fide sincere praedicata in pace sanctam Dei Ecclesiam custodire.‘ — Religiose admodum et prudentissime renovatur et praescribitur obedientia Constitutionibus Apostolicis debita, et praecipue observantia Constitutionis ‚Vineam Domini,‘ per quam securis posita fuit ad superbam audaciam haeresis Ianseniana, cuius veluti tortuosi colubri caput per eam obtritum fuit; vera etiam exigitur et sincera obedientia Constitutioni ‚Unigenitus,‘ quae quasi posita hodie in signum, cui ab omnibus iniquitatis filiis contradiceretur, facta est orthodoxiae catholicae lapis lydius. Sed illa sapientissima sanctaque Constitutio facta est Eppo Senecensi (seu Sanitiensi) lapis offensionis et petra scandali. — *Movit collega vester proelium veritati, antiquae fidei intulit manus, impugnavit apost. Sedis definitiones,* Ecclesiarum consensionem respuit, et ipsius quoque populi orthodoxi animum, sensum, voces secutus non est. Confisus est in virtute sua, et in virtute collegae sui unius, qui a Petri quoque soliditate recessit, et ab universa fraternitate Eppali divortium fecit. (Eppus *Montispessulanus.*) Huius auctoritate adortus est vestram, et fortis sibi visus est, dum in eodem errore habuit socium, et in eadem pertinacia consortem. Sed est Deus, qui non solum bene attritos non alligat, sed etiam conterit male alligatos; non solum iuste elisos non elevat, sed infortunate elevatos etiam elidit; non solum perperam dispersos non colligit, sed etiam nequiter collectos dispergit. Verum, quae est consolatio nostra et divinis innixa promissis, conteri non potest adunatio sancta, nec elidi congregatio in nomine Domini facta, nec sacra turba dispergi, quae ad divinorum canonum normam cuncta disponens *a Petri successore solemne meruit laudis encomium et apostolicae tulit confirmationis praesidium.* Contra eccles. conventum tuum locutus est collega vester, insurrexit in iudices Eppos plu-

res, et eius capiti non perpercit. Non vos ista discrucient; nam et haeresis illa, a qua poenas sumsistis, non pepercit omnium nostrum Capiti Christo Deo; et maior est gloria in labore maiore, ac certaminis difficultas proemii meritum facit. Si certamen cum gentibus habuissetis, esset utique magna victoria superasse eos, quos semper haberetis inimicos; nunc fratrem et collegam non tam vicistis, quam instruxistis, ut qui factus est inimicus sibi magis quam vobis, cum conversus fuerit, denuo amicus fiat, et vobis maius quam sibi inferat solatium, angelis maius quam hominibus gaudium. Longum est ire per singula, et recti iudicii seu potius misericordis iustitiae omnia capita attingere. Vigor eppalis et ss. canonum sancta severitas praesentis mali postulavit remedium; et cum non esset tuta longior conniventia (quia tanti pene criminis erat connivere in talibus, quanti sceleris fuerat tam sacrilega praedicare), ideo Eppum Senecensem a sacrorum dispensatione mysteriorum tantisper segregastis, donec retractatis erroribus perversitatem, quam coeperat docere, condemnet, et fidem, quam secundum apostolicam doctrinam Romana et Catholica ubique tenet Ecclesia, amplectatur, veneretur et praedicet. Iudicastis a Sede Eppali remotum, qui se iam praebuerat ipse removendum, iuxta illud Osee 4: ‚quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.‘ Non hic dicam maiorem potuisse irrogari poenam, sed agnoscam maiorem non potuisse adhiberi clementiam; occurrit etiam illud S. Hieronymi super illud: vis imus et colligimus ea? quod de zizaniis dicitur, ubi ait: ‚datur locus poenitentiae, et monemur, ne cito amputemus fratrem, quia fieri potest, ut ille, qui hodie noxio depravatus est dogmate, cras resipiscat, et defendere incipiat veritatem.‘ In hanc spem aut saltem expectationem ac desiderium te erexisti, illustrissime Antistes, et universi tecum Concilii Patres; qui officio suo iam functi volunt Eppum Senecensem ita deflere superbi erroris arreptam defensionem, ut vana spe hominum delusum se agnoscat, cui post tantam lenitatem sola potest subvenire poenitentia. Memorari etiam debet cumulatissime impletum coelestis Patrisfamilias praeceptum, ex quo Concilii Ebredunensis Rever. Patres probe intellexerunt, minime sufficere, ut ex media agri Dominici planitie sacra manus ecclesiastica evellat, et destruat, et disperdat ac dissipet zizania, nisi simul et aedificet ac plantet herbam salutiferam, fru-

gem bonam, palmitem odoris, et fructum vitae aeternae. Quare conspexi in gaudio cordis providam illam Concilii sollicitudinem mandantis, ut in Dioecesi Senecensi et formulae Alexandrinae pura et simplex subscriptio, et Constitutionis apostolicae ‚Unigenitus' sedula publicatio et observantia sincera adhiberentur, tamquam medicina inibi langventibus maxime necessaria. Restat, ut illustr. Dominationi tuae et Rev. DD. Eppis de universo opere synodice patrato gratuler in Domino, illisque edicam, quod sicut huius sacrae rei non solum non potest tempus edax abolere memoriam, verum etiam de die in diem magna apud orthodoxos fama loquetur, ita universorum catholicorum expectationi satisfactum plenissime sit, quibus hoc iam unicum votum est, ut tali iudicio, quamvis recto, quamvis iusto, quamvis canonico, nostris diebus iterum opus non sit, obversante nimirum ante animos S. Coelestini Papae sententia, quod Eppos iniusta dicentes sedibus suis expellat iusta damnatio. — Mechliniae 4. Ianuar. 1729. — **Ram** *Synodicon Belgicum.* II. 480.

911.

Facultas Sorbonica retractando decretum suum contra Constitutionem ‚Unigenitus' editum, eandem Constitutionem datis ad Coloniensem et Pragensem Academias literis obsequiosissime acceptat, A. 1730.

MON. Si iuxta monitum Sapientiae curam habere debeamus de bono nomine: tum maxime, cum famae nostrae aspersam labem novimus in iis, quae religionis et fidei nostrae integritatem spectant, in quibus, ut ait D. Hieronymus, nefas est quemquam esse patientem. Cum igitur ex iis, quae statim ab obitu Ludovici XIV. invictissimi Galliarum Regis in nostra Theologica Parisiensi Facultate adversus Constitutionem ‚Unigenitus' a nonnullis turbulentis tentata sunt, iste rumor infaustus de Parisiensibus Theologis per universum orbem catholicum increbuerit, decretum nempe, quod a. 1714. pro acceptanda et observanda Constitutione sanctissimae memoriae Clementis PP. XI.

emiserant, subinde declaratum fuisse nullum, falsum et adulterinum (quod tamen invictissimis argumentis ostendimus in actis nostris. esse falsissimum) imo communi Magistrorum suffragio renitentibus admodum paucis interiectam fuisse ad futurum Generale Concilium scandalosam provocationem, uno verbo adversus Apostolicum decretum ab Eppis acceptatum et promulgatum insurrexisse nihilominus totam Facultatem nostram, atque inde vulgo traducerentur Parisienses Theologi non secus ac si per stupendam animorum conversionem a priscis maiorum suorum moribus, et ab antiqua, quae hucusque in ordine suo doctrina viguerat, plane recessissent, spretaque docentis ac iudicantis Ecclesiae auctoritate, quam qui non audit, tamquam ethnicus et publicanus ipso pronunciante Christo Domino haberi debet, se solos aliter docentes esse audiendos iactitarent, eorum ritu scilicet, qui ut soli sapere videantur, coelum ipsum vituperant; et rerum novarum amatores, quorum os abundat malitia, sparsis undequaque famosis suis libellis tamquam totidem funestis flabellis falsum hunc rumorem augere non cessarent, quemadmodum hodierna die nec adhuc desinunt, adeo ut in istis florentissimis academiis Catholicis nemo ferme foret, qui attendendo ad ea, quae de nobis sinistra fama renunciante passim circumferebantur, et ex altera parte revocando in memoriam felicem praeteritorum temporum nostram conditionem, in haec verba luctu et moerore percitus non statim erumperet: ‚haeccine est illa perfecti decoris Theologica Parisiensis Facultas, gaudium olim universae terrae? quomodo obscuratum est aurum? mutatus est color eius optimus?:‘ ad tot tantaque reformanda mala duximus strenue ac fortiter esse adlaborandum. Ut autem praestaremus feliciter, intelleximus non satis sufficienterque consultum iri famae nominis nostri, si quae per summum nefas nebulosis temporibus inserta fuerant in commentariis nostris, et quae evulgata falso rumori ansam aliquodque fundamentum hactenus praebuerant, plane penitusque apud nos rescinderentur, et iis substituerentur meliora; sed insuper oportere ad amoliendam hanc labem, ut acta quaecunque a nobis ea de re sancirentur, publici iuris fierent, ut quocunque ad dedecus et opprobrium nostrum rerum male gestarum iniquitas accesserat, ibi pariter ad resarciendum honorem nostrum damni fortiter ac fideliter reparati notitia perveniret, nec minus hodie ad propulsandam gravem

iniuriam diffunderetur factis certissimis cognitio veritatis, quam ad conflandam turpem calumniam sese pravis artibus diffuderat antea propagatio falsitatis. Quapropter quae duo erant aeque necessaria, statim atque potuimus, eodem ferme momento praestitimus. Alterum, in quo agebatur de statu nostro, ut verbis utamur S. Augustini, necessarium erat nobis, quod erat de recuperanda fama nominis nostri necessarium aliis; utrumque debebamus aequitati, honori nostro, religioni, itaque ubi sese fausta obtulit occasio, cui iam dudum praestolabamur impatientes morae, emendavimus, quae iam dudum debuissent emendari. Decretum latum a. 1714. suae, ut par erat, sinceritati restituimus, et auctoritati; atque ut nihil deesset opere in tanto, et omnibus, quae occurrere possent, incommodis consuleremus, nova sanctione, eaque priore authentica magis ac solemniori Facultas nostra declaravit' de 15 Dec. ultimi in suis generalibus comitiis apud Collegium Sorbonae congregata, amplecti se de novo Constitutionem ‚Unigenitus' tamquam dogmaticum universalis Ecclesiae iudicium, cui refragari nefas, cui non obsequi nihil aliud est, quam velle partem habere cum iis, qui de foris sunt, nec ad Ecclesiam ulterius pertinent. Adhibuimus cautiones, ne quid huic simile, quod evenerat, deinceps contingeret, neque ad gradus nostros theologicos admitterentur, nisi de quorum constaret apud nos fidei sinceritate et obsequio, ceteris quae expendi solent non neglectis. Hoc bene ac recte sapienterque factum — profecto videbitur: et illud idem valde fuisse non opportunum duntaxat sed plane necessarium iudicabunt, quotquot sunt aequi aestimatores rerum; neque enim sufficit praeteritis aut praesentibus domesticis malis attulisse remedium, verum prudentiae est, in posterum prospicere ac providere. Aliud supererat necessarium non minus, a quo exordium duxit praesens epistola, quod similiter non censuimus omittendum, nempe ut non solum typis ad usum nostrum mandarentur acta nostra, sed etiam eorum exemplaria per orbem catholicum affatim spargerentur, et lata eam in rem expressa conclusione voluimus, ad insigniores Academias, quarum catholica fides bonus est odor Christi in Ecclesia, quantocius nomine nostro mitterentur; nec dubitamus, quin pro vestra erga ordinem nostrum propensa voluntate ad aspectum eorum, quae favente coelo novissimis istis temporibus feliciter gessimus, non plurimum gaudeatis in Domino, nobisque

velitis ex animo gratulari. Accedit ad istud bonum, quod a se magnum est, descendens a Patre luminum, a quo fluit quodcunque donum est optimum, quod ex quo prodiit decretum novum dici 15 Dec. sexcenti et amplius numero Magistri, quos officiorum necessitas procul ab urbe et comitiis nostris dissitos retinet, scriptis eximiis epistolis huic applaudere gestiant, suaque suffragia nostris adiungere glorientur, et singulis diebus accedant ad illud idem roborandum decretum e variis orbis plagis certissima testimonia non inferiora prioribus, adeo, ut exceptis adhuc nonnullis numero paucis de sua nuditate confusis, qui suis privatis opinionibus abrepti a ceteris dissident, atque idcirco tamquam viri turbulenti iussi sunt a comitiis nostris abstinere, affirmare merito iam possimus, utendo verbis Eutychii CPni in sua nomine V Concilii ad Vigilium Papam epistola, ‚submota confusione discordiae pacem reformasse Deum in ordine nostro, et collectos in unum magistros unum idemque sapere in recta fidei confessione', quod sane catholice sentientibus gratissimum esse debet, et multum habet in se non mediocris solatii. — **Fleury** *Hist. Eccl.* lib. 225. §. 49.

912.

Clemens XII PP. ad **Patriarcham Graecorum Alexandrinum** pro firmiter retinenda unione cum S. Romana Ecclesia, A. 1731.

MON. Literae tuae, quibus te maxime cupere significas, ut sublatis dissidiorum causis, *cum S. Romana Cath. et Apost. Ecclesia omnium Ecclesiarum matre et magistra* in unitate fidei et vinculo caritatis coniungaris, pergratae nobis periucundaeque fuerunt. Quid enim ingenio moribusque nostris, qui pacis sumus et concordiae amantissimi, ovesque omnes Christi Dei nostri sangvine redemtas nostraeque humilitatis curae in persona beati Petri apost. principis commissas in unum ovile revocari summopere optamus, magis proprium et consentaneum accidere potest, quam *ut schismata tollantur, et omnes in unione pacis et caritatis illam ipsam catholicam fidem recipiant, quam tenet S. Ro-*

mana Ecclesia omnium per universum orbem Ecclesiarum vera et unica mater ac magistra? Ne quid igitur nos elabi sinamus, quo nostrum hoc explicatum cordis desiderium tibi magis persvasum, et indubium efficiamus, super his, quae de missionariis nostris in literis tuis nobis significasti, nihil posthac studii et vigilantiae intermittemus, ut eos, si qui sunt, quos asseris de sacris Ecclesiae tuae probatis ritibus non recte sentire, non monitionibus modo et animadversionibus, sed etiam quibuscunque rebus possumus, coërceamus, ne dissidiorum sint auctores, sed quiescant seque contineant, neque pergant Ecclesiam probatasque a sacris legitimis conciliis summisque Pontificibus consvetudines et ritus ausu temerario improbare; quamquam in animum nostrum non facile inducere possumus, ut credamus de nostris esse isthic qui haec doceant ac sentiant. Est enim res exploratissima, inque antiquis ac recentibus decessorum nostrorum Rom. Pontificum decretis toties promulgata ac satis pervulgata, Sanctam nimirum hanc Sedem ab iis, qui communionem cum ipsa habere volunt, et sine qua impossibile est placere Deo, nihil aliud expetere, quam ut salvam et integram catholicae fidei veritatem amplectantur, et custodiant. Ceterum ad ritus ecclesiasticos quod attinet, cautum saepe fuisse, ut ii, qui eidem catholicae fidei non adversantur, ad amussim serventur ab omnibus iuxta probatas Ecclesiarum suarum consvetudines, ac praesertim a Graecis, sive ii in Orientalibus regionibus, sive alibi, sive etiam hic in urbe nostra commorentur, quod est validissimum veritatis et sinceritatis nostrae argumentum. Haec quidem grato libentique animo scripsimus, veluti significationem paterni nostri cordis, ex his, quae plene de tuo in nos studio ac devota in hanc S. Sedem voluntate audivimus a dil. filio Magistro Iosepho Assemano familiari nostro, cui animum resque tuas omnes probe notas perspectasque esse voluisti. Quod igitur salutari consilio divina superni Spiritus aura afflante animo iam concepisti, ven. frater, ut *cum hac omnium Matre et Magistra Ecclesia, extra quam non est salus,* abrupto schismatis vinculo ex animo coniungaris, sicque per te celeberrima ista Patriarchalis Sedes, quam ipse Apostolorum Princeps, Ecclesiae Caput et Christi Vicarius per S. Marcum erexit, atque fundavit, ad pristinam dignitatem et gloriam redeat, ex toto apostolici cordis nostri affectu te hortamur et monemus, ut in re supremi momenti, in

qua aeterna animarum salus versatur, nulla difficultate te praepediri sinas, nulla te patiaris cunctatione detineri, quominus statim corde, scripto et opere compleas, quod summa cum animi magnitudine nominisque tui laude ad gloriam Dei feliciter animo es adgressus. Quamobrem ut perficiatur, quod in te coeptum audimus, nihil superest, praeterquam quod abiurato schismate catholicae fidei professionem cum tua subscriptione non tam quidem calamo quam corde exaratam ad nos statim transmittas, et publicam reddas, ut te duce qui errant a fide et caritate, ad ineundam salutis viam tuo exemplo commoneantur, sicque Catholicae Religionis cultus in istis partibus nulla tuae dignitatis imminutione augeatur. Interim vero Deum vehementer precamur, ut gratiae suae dona liberaliter super caput tuum diffundat, detque tibi exequi, quod animo versas, ad maiorem sui gloriam et ad spiritualem tui ipsius et subditorum tuorum salutem. — **Bullarium** *Congr. de Prop. Fide.* Append. II. 42.

913.

Clemens XII PP. damnat decretum Eppi Montis-Pessulani contra Const. ‚Unigenitus' vulgatum, A. 1731.

MON. Quamvis iamdiu in animae nostrae amaritudine intellexerimus, *Carolum Ioachimum, Eppum Montis-Pessulani* animo sanae doctrinae ac eccles. unitati infensissimo manifeste refragari Constitutioni rec. mem. Clementis PP. XI praedecessoris nostri, quae incipit ‚Unigenitus' a. 1713. sexto idus Sept. promulgatae, imo posthabitis planeque contemtis auctoritate et iudicio apostolicis tam eiusdem Clementis praedecessoris, quam illius successorum fel. rec. Innocentii XIII ac Benedicti etiam XIII, qui plura ipsius Caroli Ioachimi scripta, quibus eandem Constitutionem Apostolicam multifarias incessere ac impetere nitebatur, condigna perstrinxere censura, novis identidem actis ac scriptis in publicum sparsis, pertinacis suae inobedientiae et erroris, in quo misere versatur, luculenta nimis dedisse testimonia; quae quidem omnia et singula nobiscum reputantes gravi-

ter in corde nostro improbavimus: distulimus tamen adversus ea pro pastoralis officii nostri sollicitudine aliquid palam statuere, ea spe fiduciaque detenti, ut agnita tandem a dicto Carolo Ioachimo Eppo veritate, fractaque animi sui obstinatione, adspirante Domino, possemus, uti nobis summopere in votis erat, resipiscentem paternae dilectionis affectu complecti, et cum eo caritatis vinculis rursus coniungi. Verum spem et patientiam nostram frustratam elusamque comperimus, quemque anxie expectabamus ad unitatem et veritatem reversurum, magis in pertinacia et errore obduratum experti sumus. Nobis siquidem nuper innotuit, quod cum non ita pridem dil. filii Capitulum et Canonici aliaeque personae eccles. Cathedr. Eccl. Montis-Pessulani, Deo corda eorum tangente, in unitatis ac obedientiae spiritu simul congregati publico solemnique actu memoratam Constitutionem Apostolicam pure et simpliciter recepissent, ac sese illi submisissent, tantum abfuit, ut dictus Carolus Ioachimus Eppus id probaret, suaque accessione ratum haberet, ut edito contra Mandato eundem actum, acsi eppalis iurisdictionis et obedientiae sibi debitae laesivus esset, proscribere, nullumque declarare, ac insuper ne quisquam suorum subditorum se inconsulto praedictam Constitutionem Ap. deinceps recipiat, prohibere incredibili ausu praesumserit, nesciens oves non teneri sequi pastorem, dum eas ad praerupta deducere, vel pascua venenata ipsis exhibere molitur. Quapropter ne lenitas ac longanimitas nostra, cui hucusque pacis studio indulsimus, ab aeterno ac supremo Iudice redarguatur, apostolici ministerii nostri partes adimplere volentes, auditis desuper nonnullorum ex ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus, pluriumque in S. Theologia Magistrorum, qui rem mature ac diligenter discusserunt, sententiis, de eorumdem Cardinalium consilio praefatum *Caroli Ioachimi Eppi Montis-Pessulani mandatum penitus et omnino nullum ac irritum, nulliusque roboris et momenti esse, ac perpetuo fore, apostolica auctoritate declaramus,* actum vero, quo Capitulum et Canonici aliaeque personae eccles. sese memoratae Constitutioni Apost. submiserunt, ac eodem Carolo invalide et inique reprobatum fuisse decernimus. Ad haec, licet exploratum sit, reliqua omnia acta et scripta per ipsum Carolum Ioachimum Eppum vel eius nomine adversus praedictam Const. Apostolicam ac eius receptionem — novissime edita ac evulgata Apostolici itidem cen-

suram iudicii promereri, eaque notanda ac perstringenda esse: nihilominus reservantes nobis illorum singula damnare ac debita censura percellere, pronunc supradictum mandatum tamquam falsum, temerarium, erroneum, — ad schisma et haeresim tendens, imo aperte schismaticum — damnamus et reprobamus. — Datum Romae die 27. Aug. 1731. — **Bullarium** *edit. Luxemb.* XIII. 197.

914—916.

Duplex rescriptum **Cardinalis AEppi Mechliniensis** ad **pseudo-Eppum Ultrajectensem** Iansenianum, dimissum A. 1736. velut egregia duo pro auctoritate Romani Pontificis monumenta. (Extractive.)

914. MON. I. Thomas Philippus etc. *Theodoro van der Croon pseudo-episcopo, recta sapere et Dei Ecclesiam non irridere.* Quae haec est confidentia tua, Theodore, ut tu ad me literas dare praesumseris? Quis es tu, et unde venis? AEppus, inquis, sum Ultrajectinus. Quis Eppatum dedit? quis titulum tribuit? Nempe usurpas titulum, quem populus ridet, Dei Ecclesia detestatur, prohibet Pontifex Romanus, negant Eppi Catholici universi, et ipsi non tolerant acatholici. Et quid adfers? Scribis „emanasse apost. Breve (1735) praeferens nomen SS. Patris nostri Clementis XII in tua patria et provinciis ei vicinis dispersum et scriptum ad universos catholicos in foederato Belgio commorantes die 17. Febr. 1735. Ais, Breve istud ecclesiae tuae, dignitati tuae, nec non capitulo tuo adeo obesse, illudque totum tam apertae falsitati superstructum esse, ut necesse fuerit tibi ad Generale Concilium ab eo provocare. Addis, te huius appellationis instrumentum mihi reverenter offerre, eiusque exemplar typis emissum epistolae tuae adiungis; deinde aperis desiderium, ut causa tua mihi perspecta sit, optasque, ut de ea saltem inquirere mihi libeat, aut inquirendum mandare. Postremo postulas a me, ut de re vestra ad Sanctitatem Suam scribam, existimans neminem maiore decentia et auctoritate id posse sus-

cipere, cum membrum sim Collegii Apostolici, cum eppalis caritas et commiseratio in vicinos me sollicitent, et cum tu mihi fidem facias de tua tuorumque erga communem omnium Patrem observantia et reverentia, a quo id unum exoptas, ut reprimat eos, qui praefatum Breve sub venerando Pontificis nomine dispergunt, prohibeatque, ne inauditi vos absque culpa et absque iuris forma diiudicemini. Ex hoc meo apud Summum Pontificem pro te explendo officio polliceris ac speras innumera peccata aliaque mala praepeditum iri, dandumque vobis, ut saltem ab ea parte tranquillis liceat gregem vestrum in via salutis pascere catholicae veritatis pabulo, eumque regere iuxta Ecclesiae canones, eiusque communem disciplinam.“ Quod haec ad me scripseris, et haec a me postulaveris tu nullo quamvis inter nos usu et consvetudine intercedente, tibi, Theodore, ignovi: sed minime dissimulavero, me tibi quin et omnibus haereticis et schismaticis nec non omnibus ubicunque terrarum catholicis disertissime professum esse ac tabulis publicis declarasse, *me eos omnes*, cuiuscunque status, gradus, ordinis et conditionis illi essent, *qui Constitutioni Apostolicae* ‚Unigenitus‘ *dictae debitam et omnimodam obedientiam praestare recusarunt*, *aut in posterum recusare auderent*, *ut veros S. Rom. Ecclesiae filios non agnoscere*, *neque ut Summo Pontifici et beati Petri Cathedrae*, quod falso autumant, *adhaerentes et consentientes*, sed contra potius uti aperte inobedientes ac notorie contumaces et refractarios habere, tenere, et reputare. Et quoniam primo ipsi a vero Ecclesiae Capite et ipsa S. Rom. Ecclesia recessissent, illos similiter quemadmodum a communi patre et eiusdem S. R. Ecclesiae caritate, sic et a me prorsus segregatos haberi; et rursus ut nulla ipsis cum praedictis Summo Capite et S. R. Ecclesia, sic nec mihi cum illis ullam deinceps communionem ecclesiasticam extituram: donec faciente Domino integre resipiscerent, reiectaque penitus audacia refragandi per exhibitionem verae obedientiae, quam complures eorum Romano Pontifici beati Petri successori ac Iesu Christi Vicario saepius spoponderant, pristinae caritati et unitati ab Apost. Sede restitui mererentur. Huic expectationi tantum abest ut satisfeceris tu, ut e contrario factis publicis, de quibus hodieque apud me pertinacis et obduratae mentis significatione gloriaris, ab eadem constitutione futiliter quidem et nulliter, ast turpissime et haereti-

corum duntaxat praeeunte exemplo appellaveris ad futurum Concilium Generale. Hinc nulla mihi tecum communio ecclesiastica hactenus fuit, est, aut erit; hinc appellatio tua a me perpetuo damnanda et execranda est; hinc S. Ioanne Apostolo auctore nullam tibi possum salutem dicere, nec colloquium, consortium, aut commercium habere tecum aut cum tuis, praecipue vero postquam SS. D. N. te tuosque tamquam alienos, S. Sedi contumaces, mandatisque apostolicis refragantes aversari et vitare praecepit. Nihilominus animum, quo te tuosque corrigi et meliores esse desidero, non mutavi. Quare censui hac vice tibi a me respondendum esse, tum quod tu tuique non cessatis scriptis vestris incautorum et minus eruditorum corda tentare, tum ne ex meo silentio te vel tuos in nefando schismate confirmes, etiamsi non sit magnopere metuendum, ne quemquam catholicorum composito sermone et fallaci oratione decipias. Hanc me rationem iustam scribendi ad haereticos sanctus docuit Augustinus. . . . . .

In epistola ad me tua cuiusdam modestiae ac demissi animi gloriam captas, in *appellationis* instrumento loqueris amaritudines et superbiam. Illic erga Rom. Pontificem profiteris demissam reverentiam ad extremum usque spiritum, ipse tibi est communis omnium pater, eiusque nomen venerandum, a quo expectas, ut vobis liceat esse tranquillis: hic eius literae in forma Brevis ad universos catholicos foederati Belgii scriptae neque Apost. Sedis spiritum et aequitatem, neque disciplinam canonicam ulla ex parte referunt. Et quasi id parum sit pro maledicentia tua, faucibus exasperatis pontificiam dignitatem allatrans, inclamas: ‚abusus iniquissimarum censurarum, quibus aliquis religionis color induci solet, sed quae reipsa nimium saepe inserviunt ad stabiliendam dominationem coelo terraeque invisam.‘ Tum scrupulum omnem deponens perfectissimam tui imaginem orbi exhibes: ‚nos vero (inquis) iuvante Domino tam fervida dicta (Brevis Apostolici) non perturbant.‘ An igitur modestiora in speciem, sed fallacia ac mendacia verba tua me, Theodore, moveant, ut causam tuam agam apud Summum Pontificem? Dum scripsisti ad me, non rogare voluisti, sed illudere. Et quae est haec stolide a te affectata ignorantia, qua simulas desiderium, ut de causa vestra inquirere mihi libeat vel inquirendum mandare, ubi probe nosti tu et noverunt tui omnes, a decennio et amplius sub oculis meis compo-

situm et nomini meo dicatum volumen prodiisse, (‚Historia Ecclesiae Ultrajectinae. Auctore Hoynck van Papendrecht.') aliasque elucubrationes singulares, in quibus tam solide protrita fuit causa illa vestra schismatica, quam est inutiliter insudatum obstante pertinacia? Haec vos non perturbant: sed instigante diabolo, non faciente Domino; cum doceri non volueritis, terrendi estis iudice S. Augustino, ne vetustate consvetudinis obdurati ad capessendam viam salutis pigrius moveamini. Dicendum est: ecclesiam, quam inclamatis, vestram haereticam esse et schismaticam, Deo et mundo odibilem; — te adulterum atque extraneum Eppum a desertoribus factum; — verum sacerdotium, verum eppatum, veram cathedram, ac *verum ius regendi partem Ecclesiae Dei non teneri, nec haberi aut habitum unquam fuisse aut haberi posse, invito et prohibente illo, a quo incipientem unitatis originem Christus sua auctoritate disposuit, Romano nempe Pontifice; et primatum Petro datum, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstraretur.* Dicendum est, et credendum ac confitendum: *unitatem Ecclesiae et unitatem Cathedrae in unius Petri praerogativa et auctoritate fundari.* Hinc Leo M. dixit: Dominum voluisse a beatissimo Petro quasi quodam capite dona sua in corpus omne manare. Hinc conclusit, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset a Petri soliditate recedere. Hinc docuit ante Leonem S. Optatus Milevitanus: in una Petri cathedra unitatem ab omnibus esse servandam, ut iam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Hinc S. Hieronymus nullum primum nisi Christum sequens, cathedrae Petri communione consociatur, non novit Vitalem, Meletium respuit, ignorat Paulinum. Quicunque cum Damaso non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est. Haec merito vos perturbent, si salutari etiamnum affectu ad salutem moveri possitis. Si universi catholici orbis consensu Romanus Pontifex in Petro Ecclesiae et omnibus sacerdotiis praefectus est; si in eo, qui omnium Apostolorum est caput, ut S. Optatus docuit, primam habuit cathedram, ex qua ceteri potestatem et cathedram acciperent; si haec est Christi cathedra, et ea cathedra est una, et in illa unitas ab omnibus servanda sit: *ab illa una originem ducere et sacerdotium seu eppatum accipere debent, quicunque cathedram veram non imaginariam, stantem non collapsam, solidam denique non*

confractam tenere debent: ut iam schismaticus sit, qui suam cathedram ab illa una et prima non accepit, et peccator, qui sine Pontificis missione Cathedram sibi arrogat, et eppatus tuus sit protentus de mendacio non de radice veritatis. Interroga omnes Ecclesiae Cath. Eppos, unde illi cathedram, potestatem, missionem (quae verba sunt synonyma) acceperint; invitus Romam ibis et obtorto collo rapieris, ut si ignoras, discas, si nosti, erubescas. Et cum ex omnium omnino catholicorum Epporum assensu et confessione didiceris, eppatum non aliunde peti, non alibi dari, et a sola cathedra Petri cathedras omnes propagari, id est, a solo Romano Pontifice missionem potestatemque eppalem accipi, intelligas te mundi manu esse damnatum, et quia alibi collegisti, te sparsisse; adulterum esse, impium esse, sacrilegum esse, quodcunque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur. Et unde haec violatur? Quia Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia et cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Hic tu disce, *divina ordinatione non humana dispositione ea, quae ad ecclesiarum statum attinent, ad Romani Pontificis spectare potestatem.* Omnibus Patriarchis et maiorum ac praecipuarum sedium Eppis in Conciliis Generalibus data et aucta legitur potestas et descripti fines, de Romano vero Pontifice id nusquam legitur. Absint longe hinc cavillationes omnes. *Nihil iuvat antiquam primorum seculorum disciplinam allegasse.* Nulli eam impensius laudant et hodiernam impudentius violant, quam vos. Quod ultimum insolentissimae esse insaniae pronunciavit S. Augustinus. Primis Ecclesiae seculis quin cathedrae erectae et Eppi instituti ac ordinati fuerint iuxta diversam ab hodierna disciplinam, et a Synodis ac comprovincialibus Eppis ecclesiae fuerint ordinatae, non ambigitur. Sed vos quid inde? *Alia iam lege vivit vigetque Ecclesia Dei, et invita ac prohibente Sede Apostolica quemquam conscendisse cathedram et eppatum tenuisse, extra exemplum est, et si fieret, extra unitatem fieret.* Non credis mihi schismatice? Crede sancto et magno Leoni Papae dicenti: ‚si quid Christus commune cum eo (Petro) voluit aliis esse principibus (Apostolis), numquam nisi per ipsum (Petrum) dedit, quidquid aliis non negavit.‘ — — Et quid tu hic aures nostras obtundis mendaci necessitate, ex qua licitum tibi foret Sedis Apostolicae assensu et concessione contemtis eppalem ordinem suscipere et non a cathedra Petri cathe-

dram accipere? *Numquam accidit aut accidere potest, ut iusta sit causa ab Ecclesia discedendi, nulla abiiciendi reconciliationem cum Petri Sede, nulla negandi debitum communionis cum illa servandae,* prout tu cum doloris quidem nostri incremento, cum tuae vero salutis detrimento fecisti. Nulli hic valent praetextus, nullae artes, nulli doli, subtilitates nullae, nec excusationes vel querelae. *Praecidendae unitatis nulla est iusta necessitas,* ait S. Augustinus. Est una, mi homo, necessitas, eaque vera, iusta ac sancta, quam agnoscunt et amant catholici omnes, et quam vos odistis, quantumvis clamet Apostolus: Obedite praepositis vestris et subiacete illis. Haec est tessera fidei, haec est anchora salutis. Vos autem Romanum Pontificem praepositum esse et scitis et hactenus profitemini: sed ei subiacere non vultis. Nimirum ,Papa est inter Eppos primus et praecipuus; inter ministerialia Ecclesiae capita supremum; sed Papa non est Eppus Harlemensis nec Ultrajectinus. (Verba Ultrajectinorum.) Id est, Romanus Pontifex in vos iurisdictionem non habet. Diem corrumpam, si te indocilem et effuse petulantem, quantum in his adeo illepidis quam ferocibus verbis veneni insit, docuero. *Sine Primatus laesione conceditur non esse Papam Ecclesiae particularis Ultrajectinae Eppum proprium. Sed non habere illum iurisdictionem in eam, sine sacrilegio schismatis non asseritur.* Orbe exeundem est ei, qui forte volet explorare, quae ad eius non pertinent curam. — — Nolli fallere, Theodore, Deus non irridetur. Nihil est, quod in dextram aurem dormias fiducia status tui, aut impunitatis aut protectionis laicae. Nihil est, quod tibi supersint asseclae et compresbyteri, et garrulae mulieres, loquentes quae non intelligunt, et domus et oratoria, et religionis exercitium liberius quoque et apertius, quam ipsis catholicis. Ingrederis domum, quam putas ecclesiam Dei; inniteris parietibus, quos ipse fecisti, et a serpente morderis. Talia Deus odit sacrificia, et a se proiicit, et quotiescunque sub nomine Domini fueritis congregati, detestatur foetorem eorum et claudit nares suas. (S. Hieronymus.) Nec tibi blandiaris de factionis tuae nondum integro interitu, aut iam de trinae sed ter damnatae consecrationis successu, dum timendum tibi est, et quinimo credendum, nefarios hoc actus reservari in iudicium magnae diei vinculis aeternis sub caligine ligandos. Stabit iudicium Sedis Apostolicae, iudicium Domini, et non subvertetur. *Qui locum Petri*

tenet, potest uno ictu extingvere Ananiam, uno Simonem Magum, et ut planius quod loquimur fiat, peremtoriam dare sententiam ad depositionem Epporum solius Romani Pontificis noscitur esse, pro eo nimirum, quod etsi alii multi vocati sunt in partem sollicitudinis, solus ipse plenitudinem habeat potestatis. (S. Bernard. ep. 239. ad Eug. PP.) — —

— Et tu mihi *appellationis* tuae instrumentum cum reverentia offers? Reverentiam istam nolo, oblationem respuo, munus detestor. Docuerunt te multi, et testatur Petrus de Marca, novam hanc rationem in Ecclesiam esse invectam ab iis, qui se Romanae Curiae censuris premi existimabant, et *numquam in Ecclesia admissam fuisse provocationem a Papa ad Concilium.* Tu igitur quid speras? Scribis inauditos vos et absque iuris forma damnatos. Sed et Pelagiani clamabant contra Romanam sententiam: non fuisse aequos iudices, quia causam eorum coeperint prius odisse quam nosse. Et vos post 30 annorum rebellionem et schisma, quale inter omnia schismata, quae per 17 secula vidit damnavitque Ecclesia, reperire non est, de forma expostulabitis iudicii et inauditos vos vafri queremini, qui per Europam totam et extra illam insolenti fiducia gloriantes auditi estis quasi fures in nundinis? Quis inveniat placentem tibi formam iudicii? quis te ad audientiam venire compellat? Iam iudicati estis a tribus Romanis Pontificibus. Iam orbem catholicum Domino vobis resistente, quem pervertere non valuistis, adhuc commovere conanimi: sed post factum competens sufficiensque iudicium, ubicunque isti lupi apparuerint, conterendi sunt. (S. Aug.) Abstine a dolis et versutias omnes depone. Nosti legem, nec peccas ex ignorantia. Subditus esto, et agnosce, quod Hincmarus Remensis agnovit et professus est: ‚Omnes senes cum iunioribus scimus, nostras ecclesias subiectas esse Romanae Ecclesiae, et nos Eppos in Primatu beati Petri subiectos esse Romano Pontifici, et ob id salva fide, quae in Ecclesia semper viguit, et Domino cooperante florebit, nobis est Vestrae Apostolicae auctoritati obediendum.‘ Haec ille ad S. Nicolaum Papam. — Fluctuant animo et vacillant in parte tua multi, sed fluctuant tantum. Volunt converti ad Dominum et non volunt. His ego dico seu verius Dominus: usquequo claudicatis in duas partes? Si super Petrum aedificata est Ecclesia, sequimini eum: si super Quesnellum, sequimini illum. Ceterum populo per Hol-

landiam a vobis Iansenistis et Quesnellistis seducto et conversionem procrastinanti dico ego: ut non expectent miraculum a Deo in confirmationem doctrinae Quesnellianae. Sancto Thoma docente et theologis universis consentientibus numquam Deus errores miraculo comprobavit; neque enim veritas fulcire mendacium, aut lumen gignere tenebras potest. Non expectent, ut eis Angelus de coelo veniat, qui venturus est numquam. *Deus omnem dubitantem et errantem remittit ad Ecclesiam, Ecclesia vero cum saepius tum in ultimo oecum. Concilio remittit ad S. Sedem Apostolicam.* — Non expectent Concilium Generale, a quo nonnisi novam damnationem reportare possunt. *Nullum* namque *Concilium quantumvis Generale Sedis Apost. sententiam reformavit, aut Cathedrae Petri definitionibus contradixit unquam,* sed has pro viribus adiuvit semper, et gravissimis insuper poenis damnatos homines affecit. Postremo non expectent hominem inter viventes doctum, prudentem, virum integrum, qui controversam doctrinam definiat: nam quiscunque futurus est ille, et quantacunque valiturus auctoritate, semper intelligetur esse homo, qui falliere possit et falli, et de quo numquam scriptum sit ac promissum, quod de Petro eiusque successoribus Christus pronunciavit: Ego rogavi pro te etc. Item: Pasce oves meas, pasce agnos meos. —

Et vos presbyteri schismatici, Theodoro symmystae, ac socii aerumnae et mali, quid fumos venditis misellae plebi? Et vos nostis legem! sed timetis plebem, cui falsitatem diutissime vendidistis. Quid vos in errore detinet? Idem quod Donatistas, quos his verbis alloquitur S. Augustinus: ‚Plebem timetis offendere, erubescitis humanae infirmitati, et non erubescitis invictissimae veritati. — Respondere deberetis, si Deum timeretis: humanum fuit errare, diabolicum est per animositatem in errore manere. — Dicite vestris: simul erravimus, simul ab errore recedamus. Duces vobis fuimus ad foveam, et secuti estis cum duceremus ad foveam, et nunc sequimini, cum ducimus ad Ecclesiam. Possetis ista dicere; indignantibus diceretis, iratis diceretis; aliquando et illi ponerent indignationem, amarent vel sero unitatem.‘ Vos igitur sequimini consilium S. Augustini, quem tantopere praedicatis, sed a cuius humilitate et unitatis caritate tam longe abestis. — Ad vos postremo infeliciter seductos mea se convertit oratio. Quod Theodorus ille vester tam

inconsiderate et tam fraudulenter ad me scripserit, unde haec mea ad vos verba venerunt, Deo permittente evenit: ut revelarentur ex multis cordibus cogitationes. Non stetis eius arbitrio, non innitamini proprio iudicio, non fidatis infelici paucorum exemplo. Deum cogitate, Ecclesiam Romanam et Apostolicam, extra quam nulla est salus, sequimini et obtinete. Pensate miseri, quia neminem in exitu vitae poenituit, quod Cathedrae Petri adhaesit, quod Ap. Sedi obedivit, quod Romano Pontifici morem gessit. — Huic obtemperate, cui claves coelorum traditae sunt, cui confirmandorum in fide fratrum et auctoritas data est et suprema potestas. — Uni fiditis pseudo-Eppo, qui non pastor est, sed idolum: omnibus quare diffiditis Catholicae Ecclesiae Eppis, qui clamant ad vos verbis S. Hieronymi: ‚Si quis Cathedrae Petri iungitur, meus est.' Legite et relegite ‚Philippi Rovenii' Vicarii apud vos Apostolici sententiam Catholicorum omnium sententiae conformem: *Nullum est fidei dogma, quod tam clara et multa habeat testimonia Scripturae, Conciliorum, ac veterum Patrum, quam illud de auctoritate et primatu Pontificis Romani;* et merito, nam ab hoc dogmate pendent reliqua omnia, et hoc posito ac firmiter retento nemo potest esse haereticus. Et Rovenio maior ‚Sasboldus' Vicarius quoque Apostolicus certitudinem salutis in Romani Pontificis veneratione et obauditione collocavit. Tandem scitote omnes et mandate memoriae, docete pueros, transmittite ad posteros hanc S. Thomae certissimam sententiam, quam vobis homo minime inimicus Natalis Alexander inculcat: *Subesse Romano Pontifici est de necessitate salutis.* Haec sint vobis, si tamen resipiscitis, solatio et securitati et spei certissimae, post quae orate, ut complaceat Domino, ut eruat vos a malis. Vos autem catholici, paternae fidei tenaces ac haeredes, cathedrae Petri indivulsa adhaesione uniti, non perturbemini a scandalis, state viriliter, fugite mundanae argumenta doctrinae, et viperea haereticorum vitate colloquia. Nihil vobis commune sit cum eis, qui catholicae adversantes fidei solo sunt nomine christiani. (S. Leo M.) Datum Mechliniae die 14 Ian. 1736.

915. II. Thomas Philippus etc. *Theodoro van der Croon, pseudo-Eppo, inde laetari in vita, unde in morte non poeniteat.* Accepi scriptum tuum, quod ‚Defensionem' appellas adversus rescriptum meum ad te. Si expectas, ut respondeam universae garrulitati tuae, et aperiam omne virus imperiti sermonis tui,

apud te hominem omni humilitate et obedientia catholica spoliatum, fefellisti opinionem tuam. Nobis nullum fas est inire certamen cum hominibus communionis alienae, divina Scriptura praedicante: hominem haereticum post primam et secundam correptionem devita, sciens quod huiusmodi delinquat, proprio iudicio condemnatus. Animus est, postremum ad te verba facere pauca de sola opellae tuae praefatione, quod compendium sit totius argutationis tuae adversum me: quae verba si non sint profutura tibi, proderunt catholicis habentibus intellectum non extollentem se adversus scientiam Dei. — Statim in praefatione tua iactas vel etiam fingis, nescio quos causae tuae adversarios (indubie catholicos) quibus displicuissent verba rescripti mei ad te. Fingis atrocitatem in verbis meis, et non times in factis tuis. Conquereris durius te a me esse habitum, id est, crudeli nimium pro Deo pietate, ut S. Hieronymus aiebat. Respice ad improperia Christi Domini, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Ioannis et Iudae. Quid fecerunt S. Ignatius Antiochenus, S. Hieronymus adversus Rufinum, et S. Augustinus adversus Iulianum? Neque enim gratis asperioribus verbis perstrictus es. Increpavi te dure, ut sanus sis in fide ex Apostoli monito. Memini quoque S. Bernardum dicentem: ‚Si quis spiritum Dei habet, illius versiculi recordetur: Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam? Liberet Deus per vos et per ceteros filios suos Ecclesiam suam a labiis iniquis et a lingva dolosa.‘ Haec Bernardus ad Ivonem Cardinalem. Nondum te compellavi nominibus, quibus ille Petrum Abaelardum, hominem sibi dissimilem, intus Herodem, foris Ioannem, totum ambiguum. Nec SS. D. N. *Clementi XII* durius visum fuit vel atrox rescriptum meum ad te, prout cognosces ex *Brevi apostolico* ad me directo, quod serius ob exactam pene aestatem in visitatione dioecesis meae, expendendum tibi meditandumque mitto, et quinimo commendo, ut tandem aliquando ponas in pulvere os tuum, si forte sit spes. — Altera querela tua et iniuriam habet et palpum respectu mei, et praeterea insignem fraudem, non tamen tibi insvetam, ac inania verba, qualia sunt: haereseos et schismatis criminationes utramque paginam facere in rescripto meo. Fraus nulla, Theodore, paratior, quam dogmata sua negare sua esse, tum vero si quis illa tibi obiecerit, hunc postulare de calumnia. Post haec caperis assentatione: nam dum rescripto meo, tibi

horrido et amaro, nomen adieci, forte non singula satis a me considerata sunt, ais tu benignus interpres, qui in epistola ad me tua quae rescripto occasionem dedit, mihi quidem, et in ipso appellationis tuae instrumento etiam Papae adulabaris. Hae nimirum sunt artes vestrae et fuerunt haereticorum omnium, quamdiu e re sua esse crediderunt, ut Ecclesiae Catholicae communionem palam et aperte non abiicerent, nempe : invictam fidei custodem Romam, ac Christi Vicarium, et qui cum eo stant, blanditiis omnique fraudis genere circumvenire. Convictos vos esse haereseos et schismatis persvasum est omnibus omnino hominibus, praeterquam vobis et illis insuper, qui sustinent omni nota flagitioque vacare : a sancta Romana Ecclesia et a Petri successore descivisse. Quid aliud quam haeresim spirat et schisma nefanda illa spes et scelesta fiducia, quam tu hodie primum in sinu tuo foves, ut ego lapsu temporis communionem abruptam cum iis, qui constitutionem ‚Unigenitus' non suscipiunt, aliquando instaurem? Putas te magna loqui, et quae unumquemque movere debeant cum addis, me nec primum nec solum fore AEppum, id qui fecisset. Isthaec commemoratio aperta exprobratio est, ex qua tibi adeo places, ut inde speres nos haesuros in salebra. Sed audi ferocule. Deus scit quid de talibus faciat, et qualiter iudicii sui examinet pondera, uti apud S. Cyprianum legitur. Nos anxie curabimus, ne pronam nostram tales praesules laudent facilitatem in concedenda communione ecclesiastica, nec vere poenitentes accusent nostram quasi duram crudelitatem in illa deneganda. Quamdiu hi tecum sentiunt, in communione nostra noverint se non futuros, nisi secundum bullam ‚Pastoralis officii' damnata haeresi se profiteantur catholicos pastores. Superest, ut tibi quantumvis immerito aperiam, quo animo tabulis publicis abruptae communionis cum Appellantibus et constitutionem ‚Unigenitus' reiicientibus subscripserim. Non id feci aliorum consiliis incitatus aut praecipiti calore actus, prout tu inique et inverecunde effutis. Meliore, quae Dei gratia est, impulsus sum motu, nempe obedientiae Christi in terris Vicario Petri successori debitae. Haec obedientia tibi erit scandalum, et alteri forte stultitia, mihi vero gloria mea, frendeat licet haereticus et serpentinis evomat venena pectoribus. Teneo illud S. Leonis Magni : ‚Ubi est incolumitas obedientiae, ibi sana est forma doctrinae'. „Petro eiusque

successoribus ex libri Regum testimonio ita obedire necesse est, ut qui non obedierit, morte moriatur; et Augustino Gregorioque auctoribus sola obedientia est mater custosque omnium virtutum, sola fidei meritum possidens, sine qua quisque infidelis convincitur, etiamsi fidelis esse videatur.“ Haec Leo Papa X sacro approbante Concilio Lateranensi oecumenico. Haec si tu fastidis, facies quidem more tuo. Sed audi postremo. ‚Non de auro et argento vestro agitur, non terra, non praedia, non denique salus corporis vestri in discrimen vocatur: de adipiscenda vita aeterna et fugienda morte aeterna compellamus animas vestras. Expergiscimini aliquando: non in aliqua obscura quaestione versamur, non recondita secreta rimamur, quibus penetrandis vel nulla vel rara humana corda sufficiant, res in aperto est. Quid eminet clarius, quid cernitur citius?‘ (S. August.) In Romani Pontificis sententiam ivit orbis catholicus universus. Non alia est unitatis vel integrandae vel retinendae via praeter apostolicae constitutionis obedientiam non ambiguam et fucatam, ac novitate suspectam, sed apertam, sinceram, ac pro veteri fidelium more demissam, qualem universa Christi Ecclesia Petro per Clementem XI loquenti praestitit, paucis exceptis appellantibus Eppis, quorum reluctatio et oppositio non magis officere potest eius definitioni, quam olim 18 Epporum Pelagianorum definitioni Zosimi et Ecclesiae Africanae. Ceterum verissimum est illud S. Augustini: ‚Vera religio sine quodam gravi auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto potest.‘ Redi igitur ad cor per sinceram humilemque obedientiam. Id si facis, ambabus te ulnis amplectar. Sin minus, et novis scriptis diverticula quaeras, argutias adhibeas et tergiverseris, nullum a me verbum auferes. Ceterum invitante SS. D. N. preces fundam pro te, tuisque asseclis, ut superni luminis ductum sequentes deplorandas mentis tenebras depellere valeatis, non futuri nec primi nec soli, qui reiectam prius Apost. Const. ‚Unigenitus‘ corde et ore amplectemini. Erit ergo mihi ad defensionem testis haec epistola in iudicio Dei, qui novit quo animo fecerim. Datum Mechliniae die 18 Sept. 1736.

916. *Breve Clementis XII ad AEp. Mechlin.* Pastoralis sollicitudo amplissimo ordine tuo digna pro catholica fide sanaque doctrina tuenda luculenter hactenus explicata quantum moerori nostro ex obstinata Theodori van der Croon ambitione

concepto levamenti afferat, hanc ipsam de sacerdotali zelo ac vigilantia tua gratulationem tibi argumento fore non ambigimus. Promeritas itaque tibi laudes rependimus, quod perditum hominem redargueris de erroris sui temeritate, cui tanta adhuc adhaeret pervicacia, ut te, quem apud nos plurimum valere novit, pro suis iniustis atque impiis postulatis patronum exquirere non sit veritus. Nobis certe filios Catholicae Ecclesiae per inobedientiam et contumaciam procul avulsos in eiusdem sinum reducere et paterne complecti, atque evangelici pastoris exemplo deviam ovem quaerere, et ovili restituere cupientibus non leve solatium adiecisset ille, si a viis suis pessimis conversus, dignosque fructus poenitentiae peragens, te potius intimi doloris sui testem adhibuisset, ut eum a canonicis poenis, quibus subiacet, paterna cum clementia eximere dignaremur. Verum gratissimum nobis accidit, quod Rescripto tuo etiam ad nos misso voluntariam miserrimo viro exprobraveris coecitatem, in qua impudenter adeo persistit, ut iactare non desinat foedam fictamque Ultrajectensis AEppi larvam, obtendens inanem ac falsam destinationem cathedrali ecclesiae dudum eversae perperam factam a capitulo pluribus supra centenum abhinc annis sublato et extincto; quod insuper eundem obiurgaveris de ipsa detestabili ac sacrilega eppali consecratione in ss. canonum contemtum ab uno tantum antistite suscepta, quem ab exercendis eppalis ordinis functionibus Apostolica huius S. Sedis auctoritate iamdiu suspensum ac publice denunciatum esse non ignorabat; quod denique coecutienti adhuc homini dilucidius explanaveris, atque obieceris ea omnia, quae per alias nostras in simili forma Brevis literas ad universos catholicos in foederato Belgio commorantes die 13 Febr. 1735. hac de re datas decrevimus, statuimus et ediximus, ut ex criminum foeditate iterum atque iterum ob oculos posita iuxta Apostoli monitum se confundat; et cum omnes orthodoxae religionis cultores tot erroris, inobedientiae, superbiaeque flagitiis offensos sibi merito indignari intellexerit, perhorrescat, atque obstrepentis conscientiae stimulis actus ad scelerum expiationem provocetur, et spiritus salvus fiat in die D. N. I. C. Reliquum est, ut ad superni luminis opem eidem suisque asseclis criminum sociis a misericordiarum patre conciliandam impetrandamque paternis nostris apud omnipotentem Deum obsecrationibus tuarum precum coniungas suffragia ac ministerii

tui partes implere pergas. — Datum Romae die 30 Iunii 1736. — **Ram** *Synodicon Belgicum.* II. 483. ss.

917.

Clemens XII PP. irritat electionem **AEppi Ultrajectini** Iansenistici, A. 1739.

MON. Magna nos pro supremi pastoralis officii munere tenet sollicitudo, et salutaris metus, ne in commissum tenuitati nostrae dominici gregis ovile intrent in vestimentis ovium lupi rapaces, edantque stragem eo maiorem, quo subdole et incautius illatam. Qua quidem sollicitudine vehementius angimur, et conflictamur, cum vos isthic vocati in sortem Domini ante oculos nostros obversamini; undique ab iis circumventi, qui vobiscum veluti in eadem familia degentes, animos vestros non solum veneno depravatae doctrinae dolose inficere, verum et inaniter AEppo sibi constituto per speciem adumbratae huiusce dignitatis in fraudem inducere connituntur. Quamquam enim experti didicimus, fidem vestram tamquam aurum igne probatum puram illibatamque manere, vobisque esse persvasum, quicquid est ecclesiasticae hierarchiae, nonnisi in angulari lapide, atque in apostolicae petrae soliditate fundatum erigi ac stare posse: tamen ut pro paterna caritate, qua vos amantissime complectimur, longius a vobis instructae fraudis periculum amoveamus, ac diligentius aeternae saluti vestrae cautum sit, apostolici ministerii nostri esse duximus, vos edocere, quid a nobis, ut haec paucorum perduellium inverecunda protervitas prorsus profligetur, actum fuerit, et quid a vobis ut eam fugiatis ac detestemini, praestari debeat. Igitur ubi molestissimus nuntius ad nos pervenit, aliquos factiosos Clericos, qui se stulte atque insolenter iactant Canonicos Ultrajectensis Capituli, ab annis supra centum extincti, eo temeritatis devenisse, ut sceleri quotidie magis addentes et veterem seditionem recenti crimine cumulantes, ausi fuerint die 2. Iulii in Ultrajectensem pseudo-AEppum nefarie eligere quemdam Petrum Ioannem Meindarts, pastorem, ut aiunt, Leovardiac, quamquam aperte scirent, istiusmodi execrabile fa-

cinus, ab ipsis non semel antea patratum, ab Apostolica Sede nefandum, irritum, inane declaratum fuisse, deletum, abiudicatum: nos illico praedecessorum nostrorum, sacrarumque legum morem atque exempla secuti, hanc modo iteratam, illegitimam, sacrilegamque electionem, tradita nobis e coelo potestate rescidimus, abrogavimus, nullius roboris, vanamque renunciavimus; eundem vero Petrum Ioannem, et quotquot ficto ementitoque Canonicorum Ultrajectensium nomine in ipsum suffragia contulerunt, eique adhaerentes favorem, opem, consilium, consensum praestiterunt, et illius partes sectantur, fovent, tuentur, auctoritate Omnipotentis Dei excommunicavimus, anathematisavimus, atque ab Ecclesiae communione segregatos ac prorsus schismaticos habendos et vitandos esse constituimus, indiximus, et declaravimus. Mandamus propterea etc. *(prorsus eodem modo, quo in Brevi Benedicti 13. de a. 1725.)* — Itaque, dil. filii, mandata haec nostra in spiritu filiorum adoptionis accipientes, iis exequendis navate libenter operam, ac fortiter aversati versuta factiosorum ingenia, quibus nihil svavius est seditioso tumultu, perturbataque religione, debita simul obedientia prosequuti supremum Patremfamilias, unice prospicientem vestrae felicitati, date documentum, filios lucis vos esse, nec habere cum iis rem velle, consvetudinem, societatem, qui ambulant in regione umbrae mortis, ac praeter pestilentis doctrinae tenebras, quibus obruuntur, ea denique mentis coecitate laborare incipiunt, ut priscos non unius sectae haereticos imitati ficti AEppi nomen in suos inducere adgrediantur; contra vero cum fideli grege coniuncti verique Pastoris vocem audientes, per sincerae fidei, religionis, pietatis pascua eo pervenire contendite, ubi quantum seductores isti se deceperint, quam rectum vos tenueritis aeternae salutis iter, laeti beatique comperietis. — Datum Romae die 6. Oct. 1739. — **Bullarium** *edit. Luxemb.* XIV. 392.

918.

Benedictus XIV. PP. de suprema Romani Pontificis auctoritate. 1741. ss.

INTR. Doctissimi Pontificis Benedicti XIV sententias de suprema Romani Pontificis auctoritate in praeclaro opere ‚de Synodo Dioecesana' propositas in recensione Monumentorum nostrorum eo minus censemus praetereundas, quo luculentius et doctius celebris hic Pontifex in laudato opere singula fere praecipuorum iurium Primatus evolvit et comprobat.

MON. *De Syn. Dioeces. lib. I. c. 4.* — Quoad *potestatem iurisdictionis*, quae ius affert beneficia conferendi, causas audiendi, leges et censuras ferendi, ac cetera praestandi, quae ad subiecti gregis regimen sunt necessaria, quaestio est inter Tridentinos Patres summa contentione iamdiu exagitata, nec definita: — *an Eppi illam accipiant immediate a Christo, aut potius a Summo Pontifice?* Licet autem eorum opinio, qui etiam hanc potestatem immediate a Christo oriri propugnant, validis fulciatur argumentis: nihilominus tamen et rationi et auctoritati conformior videtur sententia opposita. *Ratio* siquidem *monarchici regiminis, quod Christus in sua Ecclesia constituit, videtur exposcere, ut totius Ecclesiae iurisdictionis fons et origo resideat in eiusdem Ecclesiae visibili capite, qui est Romanus Pontifex, atque ab eo profluat in cetera membra.* Quare Innocentius I epistola ad Eppos Carthagine congregatos — eos laudans, quod sententiam contra Pelagianos ab ipsis latam ad Sedem Apost. miserint approbandam, ait: ‚Scientes quid debeatur Ap. Sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus *Apostolum (Petrum), a quo ipse Eppatus et tota auctoritas huius nominis emersit.*' Et Eppi Africani scribentes ad Theodorum PP. ita exordiuntur: ‚Magnum et indeficientem omnibus christianis fluenta redundantem apud Ap. Sedem consistere fontem, nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter, universum longissime irrigantes orbem christianorum.' Et clarius atque ad rem nostram magis apposite Leo M. ep. ad Ep-

pos Viennensis Provinciae: ‚Huius muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut *in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, ut ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet.*‘ Idque eo sapientissimo consilio a Christo Domino factum existimat D. Thomas, ut hoc continuo et quasi perenni influxu iurisdictionis a capite in membra firmior et solidior esset omnium cum illo nexus, et melius conservaretur unitas Ecclesiae: ‚Soli (ait Angelicus) promisit: Tibi dabo claves regni coelorum, ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda, ad conservandam Ecclesiae unitatem.‘ —

Lib. II. cap. 1. — Eppatus Romanus, ac totius Catholicae Ecclesiae praefectura, in praesenti rerum ordine *non sunt duae distinctae Sedes* neque duae dignitates, *quae fortuito in una copulentur Romani Pontificis persona*, quamvis secundum se spectatae tales esse potuerint: nam Petrus universalis Ecclesiae Pastor a Christo Domino renunciatus potuisset utique ea suprema totius Ecclesiae praefectura retenta nullius particularis ecclesiae regimen capessere, sicuti reipsa nullius specialem administrationem suscepit primis aliquot a Christi Domini in coelum ascensione annis; potuisset Antiochenam Ecclesiam, quam deinde elegit, pluresque annos Eppus gubernavit, perpetuo retinere: potuisset denique Ecclesiam Romanam, ad quam postmodum suam transtulit sedem, relinquere, alio se conferre, et alterius urbis peculiarem curam seu eppatum assumere. At cum haec, quae fieri potuerunt, minime facta sint; sed Petrus suam sedem Romae fixerit, per annos 25 firmiter retinuerit, et in ea martyrio coronatus gloriose obierit, sive id evenerit ex divino praecepto, seu expressa revelatione ipsi Petro specialiter a Deo facta, sive ex sola voluntate Petri licet divinitus inspirata: inde factum est, *ut supremi Pontificatus praerogativa ita insita remanserit Romanae Sedi, ut qui in hac Petro succedit, necessario succedat in totius Ecclesiae primatu* Petro eiusque legitimis successoribus a Christo collato. — Quamvis itaque possit in aliquo sensu dici, supremam Ecclesiae monarchiam iure tantum humano esse annexam Sedi Romanae, quia nimirum utriusque unio, nexus et alligatio ortum habuit ex facto Petri; attamen non videtur posse sustineri illorum opinio, qui asseruerunt, praefatam an-

nexionem ita esse de iure humano, ut possit ab Ecclesia dissolvi et una ab altera separari: etenim posito, quod Petrus suam sedem stabiliter Romae collocaverit, et Romanam regens Ecclesiam obierit, *nullus, qui Eppus Romanus non sit, potest dici verus Petri successor,* ac propterea numquam ad eum referri possunt verba Christi Domini: Pasce oves meas. Ioan. 21. quibus universalis Ecclesiae curam Petro eiusque successoribus commisit. — Non inde tamen, quod Romanus Pontifex insitam sibi habeat dignitatem et praerogativam supremi Capitis totius Ecclesiae, consequitur, omnia, quae ab eo fiunt, fieri tamquam ab Ecclesiae Capite: siquidem aliquando operari potest, et reipsa operatur non tamquam Christi Vicarius, sed tamquam Patriarcha Occidentis, illa duntaxat iura exercendo, quae ceteris Patriarchis competunt, aliquando solum gerit personam vel Primatis Italiae, vel Metropolitae Romanae Provinciae, quandoque se tantum exhibet Eppum urbis Romae, ea unice peragendo, quae cuilibet Eppo in sua dioecesi peragendi ius est; aliquando demum suam supremam explicat dignitatem, et tamquam totius Ecclesiae Praeses, Moderator et Princeps, illam exercet potestatem et iurisdictionem, qua nonnisi ut Christi in terris Vicarius potitur. —

Lib. IV. cap. 5. ‚Cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata pontificum Sedes beati Petri Apostoli ius habeat resolvendi, utpote quod de omni Ecclesia fas habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio: siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus;‘ ita epistola ad Eppos Dardaniae A. 495. scripsit Gelasius Papa, — cuius auctoritatem Nicolaus I allegavit epist. ad Michaelem Imper. inquiens: ‚Patet profecto, Sedis Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio etc.‘ Est autem eiusmodi *appellationum ius adeo necessario connexum cum Romani Pontificis in universam Ecclesiam iurisdictionis primatu, ut nemo possit illud in controversiam adducere, nisi et hunc velit perfracte inficiari;* etenim cum primatus praerogativa Romanus Pontifex sit supremus in Ecclesia Iudex, cuique datur per appellationem ipsius implorare tuitionem: ab inferioris quippe sententia Superioris tribunal adire omnibus concessum esse ipsa

naturalis aequitas dictat et persvadet. Quocirca Stephanus Tornacensis Eppus in hoc appellationis communi refugio ait consistere dignitatem Ecclesiae Romanae; et S. Bernardus epist. 198 ad Innocentium II in eodem sitam affirmat pretiosiorem gemmam, quae in Pontificia emicet tiara: ‚hoc inter cetera vestri singularis primatus insignia specialius nobiliusque nobilitat vestrum et inclytum reddit Apostolatum, si eripitis pauperem de manu fortiorum eius. Nulla meo iudicio in corona vestra pretiosior gemma zelo illo vestro, quo aemulari consvevistis oppressos, nec relinquitis virgam peccatorum super sortem iustorum.‘

Lib. IX. cap. 1. Nihil, quod iuribus Ap. Sedis praeiudicium afferat, aut eiusdem auctoritati sit iniuriosum, inveniri debet in Constitutionibus sive provincialium sive eppalium synodorum; et si quid eiusmodi in eas forte irrepserit, statim erit a Romano Pontifice rescindendum. *Urbanus VI,* sub quo schisma omnium teterrimum et diuturnissimum exortum est, *ut suae obedientiae Praelatos novis sibi devinciret beneficiis,* et magis magisque a partibus retraheret Roberti Gebennensis, qui a nonnullis Cardinalibus adversus eundem Urbanum in Pontificem electus Clementis 7 nomen assumserat, et in Galliam secesserat, *inter cetera privilegia hoc etiam est illis elargitus, ut in eorum civitatibus et dioecesibus apostolicae literae executione carerent, nisi ab ipsismet praelatis vel eorum officialibus essent antea examinatae atque approbatae;* idque statim in consvetudinem et veluti in legem deductum est, pluribusque synodalibus statutis firmatum ac roboratum. E vivis erepto Urbano VI eiusdem successor *Bonifacius IX* praedictam *concessionem ab Urbano factam revocavit,* et peculiaria locorum statuta, quae ad illam fulciendam et stabiliendam emanaverant, nullius esse roboris decrevit. Cum vero A. 1417. in Concilio Constantiensi ad Petri Cathedram evectus fuerit *Martinus V,* eius electione sublatum est schisma, quod 40 fere annos Christi Ecclesiam dire laceraverat. — Iam vero probe animadvertens indubitatus Pontifex Martinus V rationi congruum esse, ut quae schismatis calamitas in detrimentum Apost. Sedis concedenda svaserat, restituta Ecclesiae pace et tranquillitate rescinderentur, *sacro approbante Concilio eandem Urbani VI constitutionem denuo abolevit.* Et nihilominus in Toletana et Carthaginensi Ecclesiis obtentu obviandi falsitatibus conditae postea fueruntSynodales constitutiones,

quibus edicebatur, ne tabelliones et notarii, etiam ab iis, quorum intererat, requisiti, apostolicas literas reciperent, a loci Ordinario eiusve Officialibus prius non examinatas. Petita est huiusmodi constitutionum confirmatio a *Leone X* supremum Ecclesiae clavum tunc temporis tenente: sed hic *indecens, absonum, quinimo et temerarium reputans, quod quae erant a Summo Pontifice gesta, ea inferiorum examini ac iudicio subessent*, nedum porrectam sibi *supplicationem reiecit*, sed nova insuper edita apostolica constitutione *memoratas Bonifacii IX et Martini V sanctiones approbavit*, et restauravit, *et quaecunque illi contraria statuta tam in praefatis Toletana et Carthaginensi, quam in aliis quibuslibet Synodis facta et attentata irrita esse voluit;* et, ne ulla eorumdem memoria ullo unquam tempore extaret, eadem e libris seu codicibus, in quibus scripta atque adnotata reperiebantur, ita obliterari et radi praecepit, ut amplius legi non possent. Bonifacii IX, Martini V, et Leonis X vestigia sectatus *Clemens VII* id ipsum sancivit, quod illi hac de re ediderant, addiditque se in suis literis, in die Coenae Domini lectis et promulgatis anathemate perculisse et iterum percellere, quicunque literarum apostolicarum executionem quovis praetextu impedirent, aut impedientibus consilium, auxilium, et favorem praeberent. Hoc unicum exemplum satis esse existimamus ad cautos reddendos Eppos, ne in suas constitutiones aliquid obrepere sinant, quod ulla ratione Apostolicae Sedis aut auctoritati iniuriam irroget, aut iura imminuat: ob eam quippe coniunctionem et necessitudinem, quam membra cum suo Capite habere oportet, maxime decet, ut ipsi primae Sedis praerogativas, quae hac praesertim tempestate multorum invidia in discrimen vocantur, sedulo defendant, et pro viribus promoveant: suam enim causam agunt, cum supremi Pastoris auctoritatem propugnant, et sustinent; quoniam si huius iura evertantur, paulatim pariter inferiorum Praesulum iurisdictio nutabit et corruet. Haec optime considerarunt Patres *C. Duziacensis I* habiti a. 871, cui Eppi unus et viginti per se, octo per suos procuratores subscripsere, cum ad Hadrianum II Papam in synodali epistola ad rem apposite atque ad posterorum exemplum maxime opportune ita scripsere: ‚Quia ergo nos, quantum scimus et possumus, privilegium sanctae ac primae Sedis Romanae et conservare et obaudire, et extollere cupimus, atque satagi-

mus, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente et tenuit semper et retinet : servet Vestra Paternitas et a Deo in prima Sede constituta auctoritas, nobis filiis et subiectis sibi Eppis ecclesiastica privilegia a sacris canonibus et vestris decessoribus ac praedecessoribus, nostris decessoribus ac praedecessoribus conservata : quatenus et Apostolica Sedes proprium vigorem retineat, et a se concessa aliis sua iura non minuat.' Verum accidit interdum, aliquot *Eppos, ceteroquin erga Sedem Apost. obsequentissimos, eiusdem auctoritatem non consulto sed potius incogitanter sibi usurpare : deceptos nimirum a quibusdam doctoribus, qui potestatem uni Romano Pontifici competentem quarumcunque Ecclesiarum Praesulibus adiudicant.* Adstruunt scilicet eiusmodi auctores et veluti indubitatum axioma venditant hanc propositionem : quidquid potest Pontifex in universo orbe, si ea excipias, quae totius Ecclesiae statum respiciunt, uti fidei articulum definire, potest Eppus in sua dioecesi, nisi specialiter Papa sibi illud reservaverit. Eoque fundamento praeiacto eppalem iurisdictionem mirum in modum extollunt, ac ultra praescriptos ei limites protendunt. Hanc porro opinionem plurium et non infimae notae doctorum auctoritate munitam — facile hauriunt Eppi, eaque imbuti sibi licere autumant, nonnulla in suis Synodis statuere, quae ad solam pertinent Ap. Sedem. *(Hanc opinionem Pontifex pluribus auctoritatibus et rationibus refutat.)* — Alius est nonnullorum error, *qui videntes Eppi consensum tamquam necessariam conditionem requiri pro alicuius actus validitate aut legitimitate, ab huiusmodi consensu rem totam pendere putant, eamque eppali duntaxat auctoritate, inconsulto Romano Pontifice, licite et valide expleri posse arbitrantur :* quamvis adsint Apostolicae Constitutiones aut Conciliaria decreta, quibus supremum et privativum, ut vocant, ius in id rerum genus Apost. Sedi reservatur. — — *Cap.* 2. Ex iis, quae hucusque stabilita sunt, sequitur, *fas non esse Eppis, removere impedimenta dirimentia matrimonium*, seu quemquam solvere ab impedimento quo detinetur, veniamque eidem concedere, ut impedimento non obstante matrimonium contrahat : quoniam eiusmodi impedimenta ortum habent aut a Concilio Generali, aut a Summis Pontificibus, quorum decreta nequit inferior infringere iisque ulla ratione contraire. — Ne autem hac

doctrina suam iurisdictionem nimium coarctari conquerantur Eppi : advertendum est, sermonem hic non esse de impedimentis mere impedientibus; — nec quaestionem esse de impedimento dirimente occulto, quod obstet matrimonio — contrahendo. — Et nihilominus aliquot Eppi eandem potestatem etiam nunc sibimetipsis adscribunt, et contra iuris communis principia ac communem doctorum sensum etiam in suis synodalibus constitutionibus sibi asserere quandoque non dubitant; et quod magis dolendum est, non desunt aliqui licet pauci doctores, hac in re Eppis blandientes, quorum nonnuli innituntur praedicto axiomate, cuius falsitatem deteximus (cap. 1.), alii vero innituntur diuturna consvetudine, per quam acquisitam decantant quibusdam Eppis potestatem relaxandi aliqua impedimenta dirimentia, qua spectato iure communi carerent. *(Refutato et hoc de consvetudine fundamento, sic concludit Pontifex:)* — Si aliquis Antistes ob nimiam suae dioecesis ab urbe distantiam aliamve legitimam causam necessariam sibi reputet auctoritatem dispensandi in uno aut pluribus impedimentis matrimonium dirimentibus, eam exposcat a Romano Pontifice, qui eam petentibus impertiri non renuit nunc magis nunc minus amplam pro temporum et locorum varietate. — *Cap. 3.* — Pontificiae auctoritati iniuria fit ab iis, qui illius interventu opus non esse contendunt, ut *matrimonia inter partes alteram catholicam et alteram haereticam* licite contrahantur. — *Cap. 4.* In nonnullis antiquis Synodis indubitanter adiudicatur Eppo *facultas absolvendi ab haeresi.* — Verum ne hisce vetustis exemplis se abduci patiantur Eppi, eamque sibi vindicent iurisdictionem qua carent : priusquam quidquam de hac re in suis Synodis statuant, oportet ut certa ab incertis secernant, rerumque ac temporum varietatem accurate dispiciant : potestas quippe absolvendi a crimine haereseos, quae olim indiscriminatim omnibus competebat Ecclesiarum Pastoribus, neque hodie illis denegatur in aliquibus circumstantiis, in aliis tamen communiter censetur nunc Summo Pontifici reservata. — *Cap. 6.* Iura Romani Pontificis laeduntur etiam per Synodalem constitutionem, infligentem *degradationis* poenam Clericis quorumdam atrociorum criminum reis. — *Cap. 7.* S. Conc. Tridentinum inter alia adiumenta, quae Eppis attulit, ut *Clericorum Seminaria* sustentari possent, facultatem ipsis concessit uniendi Seminario beneficia aliquot simplicia. — Compertum est,

aliqua *existere beneficia ecclesiastica, quorum collatio reservata semper est Romano Pontifici* aut in corpore iuris communis, aut in Extravagantibus communibus, aut in Bullis S. Pii V, Gregorii XIII aliorumque RR. PP. etc. — *Cap. 8.* — Quia *disciplina* varia est pro locorum et temporum ratione, ac fieri potest, ut aliqua Constitutio licet plerisque orbis christiani dioecesibus utilis alicui tamen provinciae aut peculiari dioecesi minus opportuna dignoscatur: idcirco operae pretium duximus hic explicare, qua ratione se gerere debeant Eppi, qui aliquam Pontificiam constitutionem dioecesis suae rebus minime conducere arbitrantur, ne debito erga Summos Pontifices et Ap. Sedem obsequio desint. Non hic agimus de peculiaribus rescriptis aut mandatis, in quorum concessione sive expeditione nihil facilius est, quam ut aliquando Pontifices decipiantur vel falsa rerum enarratione vel occultatione alicuius veritatis, quam si notam habuissent, numquam ea concessissent aut mandassent, quae alicuius vitii arguuntur. Verum in hisce casibus quidquid ab eis per subreptionem aut per obreptionem impetratum est, ipsi haud inviti abrogant. — Multo minus hic agitur *de Pontificiis constitutionibus dogmaticis, quae ad fidem pertinent, cum in his irreformabile sit Romani Pontificis iudicium.* Agitur itaque de constitutionibus ad disciplinam pertinentibus, at non ad illam, quae sacros respicit ritus, ceremonias, sacramenta, clericorum vitam: namque isthaec omnia a Pontificia pariter auctoritate omnino pendent, ideoque Ap. Sedis decreta, quae circa ea prodire contingat, inferiorum iudicio et censurae nullo modo subiecta esse debent. Sed alia extat disciplinae eccl. pars, de qua aliquando a Romanis Pontificibus generaliter statuitur. Verum nonnumquam experientia demonstrat, aliquod ex huiusmodi generalibus statutis, licet plerisque provinciis ac dioecesibus utile atque proficuum, alicui tamen provinciae aut dioecesi opportunum non esse: id quod legislatori compertum non erat, cum ipse peculiares omnes locorum res atque rationes perspectas habere nequeat. In his itaque rerum circumstantiis *Eppus intelligens, Ap. Sedis legem in dioecesi sua noxium aliquem effectum producere posse, non modo suas Romano Pontifici rationes repraesentare non prohibetur, quin potius ad id omnino tenetur.* Neque Romani Pontifices unquam renuerunt inferiorum rationibus aurem praebere, et quoties has satis validas esse agnoverunt, minime recusarunt

aliquas provincias aut dioeceses a generalium constitutionum suarum lege quoad disciplinae genus illud, de quo nunc agimus, eximere. — *Cap. 15.* Quemadmodum inferiori non licet legem abrogare a superiore latam, ita nec privilegiis derogare cuipiam a Superiore concessis; quocirca S. Gregorius M. epist. 111. lib. 9. indict. 2: ‚Cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea, quae pro quiete Monachorum religiosaeque conversationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quaedam valeat praesumtio perturbare. Sed sicut hoc, quod ratio exigebat utiliter, oportuit definiri, ita quod definitum est, non debet violari.‘ Et Innocentius IV in C. Gen. Lugdunensi: ‚Volentes libertatem, quam nonnullis Apost. Sedes privilegio exemtionis indulsit, sic integram observari, ut et illam alii non infringant, et ipsi eius limites non excedant.‘ Haec aliaque iura id ipsum decernentia Epporum oculis subiecit Fagnanus, ut sibi persvasum haberent, *nihil Synodalibus Constitutionibus esse inserendum, quod praeiudicium inferat privilegiis a Sede Apostolica concessis Regularium Ordinum Institutis.* —

Lib. XII. cap. 5. — Satis abunde demonstratum arbitramur, *numquam permitti Eppis aliquid in suas Synodales Constitutiones inserere, quod iuri communi atque Apostolicis Constitutionibus refragetur, etiamsi illud necessarium reputetur ad evellendas corruptelas, et rerum sacrarum tuendam religionem.* A tradita tamen regula excipitur Constitutio Synodalis, quae sit corroborata *Apostolica confirmatione:* ab hac enim tantas accipit vires, ut praevaleat iuri communi, cui ceteroquin sit contraria, quod tamen est intelligendum, si confirmatio Apostolica sit in forma specifica, ut aiunt, non in communi. — Hic autem monendos censemus Synodalium legum latores, ne facile putent, Sedis Apost. confirmationem in forma specifica accessuram esse eorum statutis, quae iuri communi et constitutionibus apostolicis contraria dignoscantur: non quia satis auctoritatis in eadem Sede non sit ad derogandum cuilibet positivae legi ecclesiasticae, sed quia ita fert illius institutum et consvetudo, ut in peculiaribus quidem casibus, si graves causae ita svadeant, dispensationes a legibus generalibus aliquando concedere non recuset, ipsas tamen leges pro ceteris casibus in suo vigore subsistere velit; cum Romanus Pontifex sacrorum canonum atque constitutionum a praedecessoribus suis editarum, quoad licet,

custodem se ac vindicem praebeat, ac etiam sanctioris illius disciplinae assertorem, quae gravium theologorum, aliorumque sapientum piorumque virorum consensu comprobatur. — *Cap. 8.* Tales quandoque emergunt rerum circumstantiae a iure communi non praevisae, ut ex quadam epikia seu tacita ipsius iuris permissione *liceat Eppo ius commune relaxare*, seu aliquid contra eiusdem severitatem indulgere, praesertim *si res dilationem non patiatur, nec facile Summus Pontifex consuli queat, eiusque suprema auctoritas implorari. Non ideo tamen fas etiam erit Eppo hanc facultatem*, ex mera iuris benignitate atque indulgentia sibi competentem, *in sua Synodo exerere*, et quodammodo ostentare, edicendo scilicet per modum universalis statuti, quod solum in aliquo specialissimo casu est sibi permissum: id quippe ambitionem saperet et temeritatem. — Nihil magis tritum, quam legem quamlibet humanam etiam canonicam posse *contraria consvetudine*, quae sit rationabilis et legitime praescripta, abrogari: et nihilominus si alicubi reapse evenerit, ut contra aliquam iuris communis vel Apost. Sedis sanctionem praevaluerit consvetudo, quam oporteat tolerare, *non propterea fas erit Eppo in sua Synodo constitutionem edere eidem consvetudini conformem* et canonicis adversantem institutis: etenim quod consvetudo praevaleat contra legem superioris, id oritur ex ipsomet superioris consensu, qui eam etiam suae legi obviantem, cum rationabilis et diuturna est, statuit tolerandam, unde fit, ut eiusdem superioris auctoritati et iurisdictioni nihil per illam censeatur detractum; at si inferior consvetudini superioris legi contrariae suo peculiari statuto vires adiicere velit, videbitur profecto auctoritatem sibi arrogare delendi legem superioris, quod in nullo rerum eventu esse eidem permissum paulo ante praemonuimus. — Quamvis itaque (Eppi) in sua dioecesi invaluisse deprehendant antiquam consvetudinem sacris canonibus atque apostolicis constitutionibus contrariam, caveant, ne illam Synodali constitutione roborent et fulciant, sed priusquam aut eam divellere aut confirmare adgrediantur, *Sedis Apostolicae sensum exquirant eiusque responsum expectent.* —

Lib. XIII. cap. 2. Quoniam in Dioecesana Synodo nullus est praeter Eppum, qui iurisdictionem habeat et potestatem ferendi leges: manifeste exinde conficitur, solius Eppi alteriusve, qui eius loco Synodo praesit, esse, synodales constitutiones sua

firmare subscriptione. — Neque Canonicis suffragatur exemplum Concilii Generalis, cui etsi Romanus Pontifex vel per se vel per suos praesit legatos, omnes subscribunt Eppi: siquidem Eppi in Concilio Generali summo Pontifici assident non tamquam meri consiliarii verum etiam tamquam Iudices; — Canonici autem ad dioecesanam synodum vocantur tamquam meri Eppi consiliarii, non vero ut iudicis partes ibidem assumant. — *Ex eo* porro, *quod Eppi in Concilio Generali sint veri Iudices, cave ne inferas, teneri Romanum Pontificem in ferenda sententia maiorem partem iudicum sequi,* eorumque doctrinam approbare: etenim quamvis omnes Eppi sint veri iudices, *supremum* tamen *iudicium est a Christo Domino suo in terris Vicario commissum,* eidemque munus demandatum, quotquot in errorem deflexerint, ad veram fidem revocandi, iuxta illud, quod Petro dixit Christus Luc. 22: ‚rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.' — *Cap. 3.* Cum in *Provincialibus Conciliis,* quae antiquioribus Ecclesiae seculis cogebantur, recens subortae *haereses* interdum damnarentur, et gliscentes per provinciam *errores* sollicita cura praefocarentur: inde factum est, *ut eorumdem acta per synodalem epistolam ad Romanum transmitterentur Pontificem, ut accedente primae Sedis et Iesu Christi in terris Vicarii approbatione* quod in illis particularibus Epporum coetibus fuerat deliberatum, *tamquam fidei dogma ab omnibus reciperetur orthodoxis, unaque esset ubique omnium fides. — Ab apostolica* vero *confirmatione Provinciale Concilium mutuari infallibilem auctoritatem,* ita, ut in fide errare nequeat, recte docent Melchior Canus etc. Enimvero nisi res ita se haberet, non possent dici irreformabili Ecclesiae iudicio proscripti errores Helvidii, Pelagii et Priscilliani; quorum primus damnatus est a Concilio Telensi confirmato a Siricio, alter a Conciliis Africanis confirmatis ab Innocentio et Zosimo, tertius a Concilio Toletano confirmato a Leone Magno, quae quidem Concilia fuere tantum provincialia. — Hodie vero etsi plerumque in eiusmodi Synodis fidei causae non pertractentur, sed sola condantur decreta disciplinam respicientia, ut tamen antiquae consvetudinis aliquod remaneret vestigium, ea, antequam promulgentur, transmitti iussit Sixtus V ad S. Congregationem Concilii, non quidem ut postea confirmationem reportent a Sede Apostolica, sed ut corrigatur, si quid fortasse in iisdem

aut nimis rigidum, aut minus rationi congruum deprehendatur. — Non semel tamen accidit, Provincialia Concilia non solum a S. Congregatione Concilii recognosci, et si opus fuerit emendari, verum etiam a Summo Pontifice ita petentibus Metropolitanis, a quibus sunt celebrata, per Apostolicas literas confirmari. — Quibus positis posset quis dubitare, an praedicta Provincialia Concilia ab apostolica confirmatione vires accipiant universam obligandi Ecclesiam, perinde ac si essent Constitutiones Pontificiae. — Sed hanc difficultatem diluunt ‚Suarez et Fagnanus' opportune monentes, confirmationem robur quidem adiicere actui confirmato, sed nequaquam illum extendere, nisi aliter Superior expresserit.

919.

Benedictus XIV PP. damnat consecrationem **AEppi Ultrajectini** Iansenistici, A. 1741.

MON. Auget pastoralem nostram sollicitudinem filius iniquitatis Ioannes Petrus Meindarts, qui nec paternis monitis delinitus, nec anathemate perculsus ullum sibi facit furendi modum. Cum enim undique admonitus, et publicis monumentis edoctus ignorare non posset, sibi detractam fuisse a fel. rec. Clemente XII. ludicram illam Ultrajectensis AEppatus larvam, quam induere inaniter conabatur, ac propterea vigore literarum in simili forma Brevis die 6 Oct. 1739. super nullitate electionis severissimis censuris illigatus fuisset: tamen non abstinuit falsum illud nomen usurpare, sed, ut abyssus abyssum invocat, patratum scelus novo scelere cumulavit. Siquidem non sine horrore et in amaritudine animae nostrae intelleximus eo temeritatis pervenisse, ut sacra omnia polluens solemnibus ceremoniis initiari consecrarique voluerit. Quid fieri debeat filio tam degeneri, non audienti amantissimi patris vocem, et ad ecclesiasticae districtionis plagas obdurescenti, iamdiu consulimus Dominum, atque utinam auribus nostris non resonet horribilis vox illa: ‚Curavimus Babylonem, et non est sanata, derelinquamus eam'; quo diro fulmine

nullum profecto maius. Quare ad vos, dilecti filii, gaudium et corona nostra, omnem convertimus curam, et quo magis in proximo obiecti estis lupo huic insidioso, atque implacabili, eo vos diligentius hortamur, et commonemus, ut resistatis fortes in fide, quam ab Ap. Sede, omnium Ecclesiarum matre et magistra a primis usque temporibus accepistis. Nolite a semita iustitiae abduci subdolis ac venenatis illius vocibus, quas infundere conatus est sua illa captiosa et in simplicium subversionem et schisma aperte tendente epistola pastorali data die 1. Dec. elapsi anni 1739. ad gregem ex iis fortasse collectum, qui secum ambulant in tenebris, non alio sane animo conscripta, quam ut inconsutilem Christi vestem scindat. Scimus et in Domino gaudemus, vos ab hac vera fide non aberrare; nostra tamen paterna caritas, et commissi nobis meritis licet imparibus apostolici ministerii ratio postulant, ut solliciti vigilemus ad vestram custodiam, nec a vobis deiiciamus oculos, quos vaferrimus ille seductor disiungere studet a vero Christi ovili, ut secum per vias non bonas errantes pereatis. Nam utcunque blandiatur sibi, nemini svadebit se in Ecclesia manere, quam dilacerat pertinaci schismate. Ad quam profecto Ecclesiam ut aliquando intelligat pertinere se nullo modo posse, nisi resipiscat: nos praedecessorum nostrorum sacrarumque legum morem atque exempla sequuti, tradita nobis a coelo potestate, primum huiusmodi nefariam consecrationem illicitam, illegitimam, sacrilegam, ac contra supremae Sedis mandata et ss. canonum sanctionem factam declaramus. Deinde eundem Ioannem Petrum, et quotquot huic execrabili facinori operam, consilium, consensum praestiterunt, auctoritate Omnipotentis Dei excommunicamus, anathematisamus, atque ab Ecclesiae communione segregatos ac prorsus schismaticos habendos et evitandos esse iterum constituimus. Sciat autem idem Ioannes Petrus, non solum ab iis, quae sunt iurisdictionis, exercendis se esse suspensum, sed etiam ab iis, quae sunt ordinis. — Hanc ad sanandum prope desperatum hominis furorem extremam medicinam adhibemus, acrem illam quidem, sed certe necessariam, cuius profecto vim si non intelligit, miser, multo vero miserior, si intelligit et contemnit. Reliquum est, ut, quoniam vehementer solliciti sumus, ne propinquitas morbi saniores partes trahat Christianae Reipublicae, vos, dil. filii, iterum atque iterum moneamus, ut ab eo quam

diligentissime caveatis. Quod quidem facilius promtiusque perficietis, si illud saepius cogitetis, quod certum omnino est atque exploratum: neminem vere in Christi Ecclesia esse posse, nisi eius Capiti visibili atque D. Petri Cathedrae communione consocietur. — Datum Romae die 24. Ianuar. 1741. — **Bullarium** *Benedicti XIV.* I. 13. — Notamus: eundem Pontificem per Breve 1. Sept. 1742. electionem; per Breve 20 Dec. 1742. consecrationem Eppi Iansenistici *Harlemensis;* tum per Brevia 26 Iun. et 28 Aug. 1745. novi Eppi Harlemensis, priore mortuo, factam electionem ac consecrationem pariter irritasse et damnasse. **Bullarii** t. I. 92. 103. 236. 244.

920.

Benedicti XIV PP. bulla de dogmatibus et ritibus ab **Italo-Graecis** tenendis atque servandis, A. 1742.

MON. Etsi pastoralis Romani Pontificis vigilantia ad omnes Christifideles, longissimis etiam locorum intervallis distantes, ac vitae, rituum, et lingvarum genere inter se maxime differentes paterna caritate se extendat, omnemque curam ac studium adhibeat, ut ubique terrarum Catholicae fidei integritas, ecclesiasticae disciplinae nitor, probitasque morum sarta tecta serventur: maioribus tamen Pontificiae sollicitudinis studiis in eos intendit, qui in ditione ecclesiastica et in reliquis Italiae partibus eiusque insulis adiacentibus sive orti sive aliunde advecti incolae commorantur. Cum itaque factum sit, ut grassantibus iam dudum per totum Orientem tum barbarorum infidelium immanitate, tum etiam schismaticorum perfidia, plurimis ex Graecia, Epiro, Albania, aliisque Asiae regionibus ad Italiam eique adiacentes insulas tamquam ad fidei et tranquillitatis portum confugientes, ibidem sedes ac domicilium collocaverint, et tam ipsi quam eorum filii Graecorum mores, instituta, ritus, et consvetudines a Graecis progenitoribus sibi traditas studiose enixeque servare pergant, ita tamen, ut debitam Romanae Ecclesiae obedientiam ac devotionem omnino profiteantur: hinc

est, quod nos, qui ineffabili Dei clementia meritis licet impari-bus eius vicem gerimus in terris, apud quem non est Graecus, et Iudaeus, barbarus, et Scytha, (omnes enim unum sunt in Christo Iesu,) Graecos et Albanenses Graeci ritus tam in di-tione nostra ecclesiastica, et utraque Sicilia, quam in reliquis Italiae partibus et insulis adiacentibus in dioecesi Latinorum Ep-porum commorantes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, omnia et singula, quae laudabiliter provida Rom. Pon-tificum praedec. nostrorum ordinatione Graecis et Albanensibus praedictis tum quoad rituum graecorum sive consvetudinum observantiam, tum quoad privilegia, immunitates, exemtiones etc. indulta — et facta dignoscuntur, ut pleniorem roboris fir-mitatem obtineant, eoque firmius et stabilius illibata inconcus-saque perdurent, quo saepius sunt Sedis Apostolicae praesidio communita per praesentes nostras literas innovamus, confirma-mus, et approbamus, — ut iisdem privilegiis — perinde ac Cle-rici Latini tam seculares quam regulares, eorumque ecclesiae, monasteria, et bona in iisdem locis, ubi Italo-Graeci commo-rantur, utuntur, — uti libere possint ac valeant; ut privilegiis et gratiis sibi concessis in Domino plene gaudentes in tranquil-litate pacis conquiescant, et per semitam mandatorum Dei gra-dientes, ferventiori erga Ap. Sedem devotione perseverent. Quo-niam vero pro diversis rerum ac temporum circumstantiis plures ac diversae editae fuerunt ab iisdem praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus et a nonnullis Ven. fr. nostr. S. R. E. Car-dinalium Congregationibus circa eosdem Graecos et Albanenses, eorumque ritus, consvetudines, instituta, debitamque Latinis Praesulibus, in quorum dioecesi degunt, subiectionem Apostoli-cae Constitutiones, eamque ob causam tam de ritibus Graeco-rum, quam de eorumdem sacerdotum potestate, et Latinorum etiam Praesulum atque parochorum iurisdictione et auctoritate saepe obortae sunt et oboriri solent quaestiones et controver-siae : nos pro nostra pastoralis officii sollicitudine, quantum in nobis est, hisce malis opportunum remedium adhibere, causas-que omnes litium — amputare, certamque super rebus huius-modi tum Graecis et Albanensibus, tum Latinis Eppis et paro-chis regulam, normam et instructionem, cui potissimum sese in posterum conformare, et in singulis occurrentibus dubiis et ca-sibus inhaerere debeant, tradere cupientes, omnia et quaecun-

que per eosdem Romanos Pontifices ac praesertim Innocentium IV, Leonem X, Clementem VII, Paulum III, Iulium III, Pium IV. et V, Gregorium XIII, Clementem VIII circa Graecos et Albanenses ordinata et constituta fuisse comperimus, ut quo saepius fideles ipsi illa perspicient innovari, eo ferventius ac promtius ad illorum observantiam excitentur, in aliis omnibus, praeterquam in iis, quae praesentibus nostris adversantur, confirmanda et innovanda, nostroque auctoritatis munimine roboranda esse censemus, aliaque insuper motu proprio disponimus, constituimus, — prout in Domino conspicimus expedire.

§. 1. *De Fide Catholica.* Ac primo quidem cum Catholica Fides sit eiusmodi, ut nisi eam quisque integram inviolatamque servaverit, salvus esse non possit, quaecunque credit ac docet sacrosancta Romana Ecclesia, ea omnia et singula iidem Graeci et Albanenses integre, firmiter, indubitanterque credere atque affirmare tenentur: prout in sacra oecumenica Synodo Florentina super unione Occidentalis et Orientalis Ecclesiae definitum et declaratum fuit, et in professione orthodoxae fidei a Graecis iussu Gregorii Papae XIII emittenda continetur, videlicet — VI. Sanctam Apost. Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in actis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur. VII. Cetera item omnia, quae a sacris canonibus et oecumenicis conciliis ac praecipue a ss. Tridentina Synodo et a Gregorio XIII praedecessore nostro in professione praedicta orthodoxae fidei a Graecis emittenda tradita, definita et declarata fuerunt, indubitanter recipere, ac profiteri debent, simulque contraria omnia et schismata atque haereses quascunque a S. Cath. et Apost. Ecclesia Romana, omnium Ecclesiarum matre et magistra damnatas, reiectas, anathematisatas pariter damnare, reiicere, anathematisare, et abiurare omnino tenentur. — Datum Romae a. 1742. sep. Cal. Iunii. — **Bullarium** *Ben. XIV.* I. 75.

921.

Benedicti XIV Constitutio de festo **SS. Petri et Pauli App.** Romae per totam Octavam solemniter celebrando, 1743.

MON. *Admirabilis sapientiae Dei sublimitas*, cuius provida dispositione mundana regna constituuntur, ut Ecclesiae fidelium, quae divino comitata adiutorio peregrinatur in terris, vel amplificandae vel exercendae vel custodiendae alternantibus miro ordine vicibus inserviant, voluntariam humani generis coecitatem et proclivem in deteriora nequitiam secretiori consilio et altiori pietate commiserans, cum adveniente temporum plenitudine sedentibus in tenebris et ambulantibus in umbra mortis Evangelicae fidei lucem effundere decrevisset, *Romanum praeparavit Imperium*, ut promtiores ad omnes populos praedicatio veritatis haberet accessus, quos unius Civitatis dominatio sociaret. Imbuendi autem Evangelio mundi partibus accepta per Spiritum S. omnium locutione lingvarum duodecim Apostolis distributis, *beatissimus Petrus Princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur Imperii*, ut ea capta et in obsequium fidei subiugata facilius universus orbis humilitati crucis superba colla submitteret. Ad hanc postea Coapostolus eius Paulus aliis peragratis provinciis adveniens, labore et meritis illi consociatus est, ut Roma tantorum Apostolorum edocta magisterio, quae superstitionis studio profanos omnium gentium cultus atque errores receperat, veritatis amore sanctae atque immaculatae unius Dei religionis sedes evaderet. Isti enim sunt Romanae urbis Patres verique Conditores, qui eam regnis coelestibus adscribendam melioribus auspiciis et fortunatioribus initiis condiderunt, non illi, quorum manibus cognato sangvine pollutis prima moenium fundamenta locata sunt, e quibus is, qui ei nomen dedit, fraterna caede foedatam facinorosis hominibus scelerum impunitate promissa habitandam concessit. At vero isti e tenebris idololatriae ad fidei lumen evocatam, evangelica veritate imbutam, christianis ornatam virtutibus, et ad coeli subli-

mitatem erectam pretioso sangvine suo consecrarunt, et sacris corporum suorum sepulcris adversus furentium haeresum insidias et frementis infernalis hostis impetus tamquam duobus firmissimis munivere propugnaculis. *Beatus* autem *Apostolus Petrus sacerdotali Sede Romam translata cum privilegium potestatis a Christo Domino acceptae ad omnes suos transmittat haeredes, supremi culminis praerogativam quodammodo cum ea communicavit, adeo, ut per beati Petri Cathedram princeps ac caput orbis fieret, et in immensum religione divina eius crescere dignitas, cuius latius quam dominatione terrena per totum orbem protendebatur auctoritas.* Quare etsi in Sanctorum solemnitatibus commune universorum fidelium deceat esse gaudium, cum ob fidei unitatem in acceptis a Deo per servos suos beneficiis indiscreta sit omnium utilitas, tamen Natalis Apostolorum Petri et Pauli festivitas praeter illam reverentiam, quam pro toto terrarum orbe promeruit, speciali et propria Romanae Urbis exultatione veneranda est, ut ubi praecipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum sit laetitiae principatus. Vivit adhuc in mente hominum et nulla unquam delebit oblivio, vetus memoria et recordatio, quam merito et quanto per totum orbem sed praecipue in hac alma Urbe nostra fuerit a primis Ecclesiae seculis celebri cultu et splendida solemnitate natalis dies beatorum Apostolorum celebratus. Siquidem ea die traditum est Romanos Pontifices praed. nostros primum in basilica beati Petri in Vaticano, deinde in altera Apostoli Pauli via Ostiensi, sacrum immortali Deo in honorem Principum Apostolorum fecisse, et Romanum populum frequentissimo coetu et celebri concursu utramque Basilicam sacras Apostolorum reliquias veneraturum invisere solitum; imo ad eandem solemnem diem ex diversis orbis partibus innumerabilem populi multitudinem lingvis, moribus, et regionibus discretam, venerationis tamen erga beatorum Apostolorum cineres et triumphalem natalis eorum memoriam concordi obsequio sociatam confluere consvevisse; Eppos etiam aliosque sacros Antistites, sublimes regiasque personas ad eandem solemnitatem convenire solitos fuisse, supplicesque se suasque coronas ad pedes Piscatoris, et ad scenofactoris monumentum adstantibus ducibus et praefectis militum prosternere. Haec igitur et alia huiusmodi diligenti animi consideratione nobiscum reputantes, vehementer solliciti

sumus, ne nos, qui in tantis periculis et adversitatibus constituti Sanctorum Apostolorum valido indigemus auxilio, degeneres a maiorum pietate et devii a sanctis eorum institutis simus, et quibus in accipiendis a Deo per beatos Apostolos beneficiis et donis pares sumus, impares et ingrati in sacra eorum recolenda memoria et gratiis immortali Deo agendis reperiamur, meritoque illorum destituamur praesidio, quorum negligimus solemnitatem. Volentes itaque, cupientesque Romani populi erga beatos Apostolos devotionem, de quorum praesidio hanc Urbem nostram eorum decoratam corporibus, coelestibus illustratam doctrinis et potenti apud Deum patrocinio semper adiutam maxime confidere decet, quantum in nobis est, augere atque amplificare, hac nostra in perpetuum valitura sanctione statuimus ac decernimus, ut recurrente per ordinem natali die eorumdem Apostolorum, non solum in Basilica Vaticana, ut nunc moris est, in pervigilio eiusdem festi Vesperae solemnes celebrentur, — et mane in eadem Basilica solemne sacrum ab ipso Romano Pontifice peragatur, et secundae Vesperae etc. — persolvantur, sed ulterius per totam Octavam singulis diebus in diversis Ecclesiis quippe aliqua Apostolorum memoria, aut praerogativa insignitis, a nobis electis et inferius nominandis Missa in Pontificalibus — rite peragatur, recolaturque memoria illustris triumphi eorum martyrii, quod toto terrarum orbi, sed praecipue Romanae urbi decus contulit et dignitatem. *(Recensito ordine et modo solemnitatis per Octavam celebrandae, sic prosequitur Pontifex:)* — Monemus autem in Domino et instantius rogamus omnes Christifideles in hac alma Urbe natos et commorantes, ut pia maiorum exempla in veneratione erga beatos Apostolos laudabili studio aemulantes in Ecclesiis a nobis constitutis devota celebritate conveniant, et spirituali laetitia exultantes laudantesque Deum, qui glorificatur in Sanctis suis, tantam natalis diei Apostolorum celebrent solemnitatem. Siquidem de praesidio divinitus nobis ad exemplum patientiae et confirmationem fidei praeparato in horum excellentia Patrum merito est exultantius glorianduin, quos gratia Dei in tantam altitudinem provexit, ut horum alteri magnum et mirabile consortium potentiae suae tribuerit divina dignatio, alter vero vas electionis et specialis doctor gentium superno oraculo et coelesti sententia fuerit designatus. Praeterea meminerint saepe hanc Urbem potenti Apo-

stolorum protectione a barbarorum incursibus, a caede, a depopulatione, ab incendiis, a terraemotibus, aliisque innumeris periculis et calamitatibus liberatam. In mentem revocent innumera illa prodigia et gratias, quas ad gloriam servorum suorum Brandeorum vel Catenarum contactu, vel sola oratione aut nominis invocatione antiquorum fidelium pietas ac devotio ab Omnipotenti Deo obtinuit. Demum in memoria habeant verba illa beati Leonis praed. nostri ad Romanum populum ex beati Petri cathedra clamantis et dicentis: Licet omnem Ecclesiam, quae in toto est orbe terrarum, cunctis oporteat florere virtutibus: vos tamen praecipue inter ceteros populos decet meritis pietatis excellere, quos in ipsa apostolicae petrae arce fundatos et D. N. I. C. cum omnibus redemit, et beatus Ap. Petrus prae omnibus erudivit. — Datum Romae A. 1743. Cal. April. — **Bullarium** *Ben. XIV.* II. 108.

922.

Eiusdem Decretum de principalibus urbis **Romae Patronis** Petro et Paulo principibus Apostolorum. 1743.

MON. Cum omnium communi aeque ac pio Ecclesiarum more institutum sit, ut quos e Sanctorum numero sibi singulae Patronos elegerint, eos etiam adiecto illustri Patronorum titulo suis unaquaeque Calendariis inscribant: minime dubitandum est, quin Romana potissimum Ecclesia Principum Apostolorum Petri et Pauli martyrio consecrata, ac supra alias in summum honoris et gloriae culmen evecta a fidei primordiis eosdem Apostolos uti Patronos habuerit apud Deum, seque in illorum tutela positam iure putaverit. Clarum antiquae huic traditioni perhibent testimonium tum S. Leo Papa Serm. 1. de SS. Petr. et. Paul. ubi eos Romae Patronos nominat speciales: ‚Sicut autem, inquit, et nos experti sumus, et nostri probavere maiores, credimus atque confidimus inter omnes labores istius vitae, ad obtinendam misericordiam Dei semper nos specialium Patronorum orationibus adiuvandos‘; tum quoque S. Maximus Eppus Taurinensis hom. 3. de iisdem, ubi eos Romae Patronos appellat peculiares: ‚Ho-

rum hodie concursu laetissimo recolit Roma martyrium, et quorum dudum impia persecuta est sangvinem, eorum nunc peculiari devota patrocinio gloriatur.' Eisdemque celebri disticho concinit S. Venantius Fortunatus : ‚A facie hostili duo propugnacula praesunt, quae fidei turres urbs caput orbis habet.' At quia compertum est, in ordine divini officii debita hac nota ac insigni titulo Patronorum principalium almae Urbis Sanctos eosdem Apostolos nuncupari non consvevisse, eam fortasse ob causam, quod SS. Petrus et Paulus Catholicae Ecclesiae Patroni ceteroquin generales habeantur, eaquepropter in communibus suffragiis ubique per Ecclesiam ipsam invocentur : SS. D. N. Benedictus PP. XIV solerter advertens per huiusmodi Ecclesiae universae generale patrocinium non effici, quominus iidem sint quamplurium per orbem Ecclesiarum Patroni simul etiam peculiares, sive ut aiunt, principales et hoc nomine in earum Calendariis inscribantur, ratus est non decere, ut quae ipsorum patrocinio Roma prae ceteris laetatur, eos ubi maxime oportet, sacris videlicet in fastis, Patronos non appellet. Qua de re Sanctitas Sua, ut in posterum debita honoris et obsequii ratio servetur in recolenda memoria principum Apostolorum, quorum praesenti ope ac tutela Christiana Respublica undique procellis acta ac gravioribus in diem aerumnis confecta tandem erigatur, mandat ac praecipit, memoratos Apost. Principes SS. Petrum et Paulum posthac Romano quoque Calendario sive ordini divini officii pro degentis in Urbe Cleri directione quotannis imprimendo similiter inscribi, titulo scilicet principalium Urbis Patronorum non omisso. Praeterea eadem Sanctitas Sua inhaerens decretis alias editis a Sacra Rituum Congregatione et a praed. suis RR. PP. approbatis, declarat, quod commemorationi, quae in unaquaque civitate et dioecesi ex laudabili consvetudine et rubricarum dispositione fit sanctorum suorum principalium Patronorum inter suffragia Sanctorum post Laudes et Vesperas in divinis officiis, quando commemorationes sive suffragia Sanctorum recitantur, tum Romae tum alibi, ubicunque SS. Petrus et Paulus uti Patroni principales coluntur, satisfactum censeatur per eam commemorationem ordinariam seu communem, quae fit in universa Ecclesia post comm. B. V. Mariae. Romae die 16. Oct. 1743. — **Bullarium.** III. 381.

923—928.

Acta ad electionem et confirmationem **Patriarchae Antiocheni Maronitarum** spectantia sub Pontificatu **Benedicti XIV.** A. 1743—1744.

923. MON. *Papa annullat duorum Patriarcharum per dissidentes Antistites factam electionem, sibique reservat provisionem Ecclesiae Patriarchalis, dd. 13. Mart. 1743.* Quod non humana sed divina decretum est sententia a Numidiae Antistitibus antiquae traditionis exempla servantibus et ecclesiasticae memoribus disciplinae, ut ad Apostolicae huius S. Sedis referretur iudicium, quidquid, quamvis de disiunctis remotisque provinciis ageretur; nec prius ducerent finiendum, nisi huius auctoritate quae fuerit iusta pronunciatio firmaretur: id saepe alias et nuper ab inclyta *Maronitarum* de orthodoxa fide et obedientia eidem Ap. S. Sedi debita semper tantopere meritorum Natione praestitum est: cum post obitum bonae memoriae Iosephi Petri, dum viveret, Antiocheni eiusdem Nationis Patriarchae extra Romanam Curiam universae carnis viam ingressi, scissuris et dissensionibus ob duorum Patriarcharum electiones exortis, ad nos ambo electi appellantes Pallio etiam donari postularunt. — Quoniam autem nos, ut in causa tanti momenti ea qua decet maturitate procederetur, utramque electionem seu postulationem particulari Congregationi nonnullorum ven. fr. nostr. S. R. E. Cardinalium negotiis Prop. Fidei praepositorum discutiendam examinandamque commisimus; et Cardinales dictae part. Congr. postquam viros ab electis praedictis missos ac defensores plene audivissent, omnesque scripturas pro utraque parte productas recognovissent, coram nobis congregati attentis peculiaribus et gravibus nullitatibus in utraque electione repertis per concordia suffragia et vota censuerunt, neutram electionem sive postulationem sustineri debere, neque locum esse alterutrius sanationi, sed utramque — nullam, irritam, nullius roboris ac mo-

menti esse ac fore declarari et haberi, ac proinde Patriarchali Ecclesiae huiusmodi ex integro iuxta s. canones atque inconcussum Apost. Sedis in similibus casibus stylum provideri debere de persona nobis benevisa, et, quatenus provisionem huiusmodi de aliquo Antistite cuicunque Ecclesiae addicto faceremus, hanc praevia solutione vinculi Ecclesiae, quo tenetur, fieri debere. Hinc est, quod nos, quos tam paterna caritas, qua nationem huiusmodi maximopere diligimus, et amplius complecti cupimus, quam apostolica omnium Ecclesiarum sollicitudo a Pastorum Principe Iesu Christo nobis iniuncta vehementius urget, de memoratae Congr. consilio nec non motu proprio — utramque — electionem sive postulationem nullam, irritam, et inanem, ac nullius roboris et momenti esse et fore, nullique eorum suffragari debere declaramus; — ipsamque Ecclesiam Patriarchalem adhuc eo, quo ante electionem — vacabat, modo vacare — declaramus, ipsiusque Patr. Ecclesiae Antiochenae Maronitarum vacantis collationem provisionemque quandocunque faciendam nobis et Ap. Sedi reservamus. — Datum Romae die 13. Martii 1743.

924. *Idem in Patriarcham denominat Simonem Evodium AEppum Damascenum 16 Mart. 1743.* Nuper ad nos et Ap. hanc Sedem delatis scissuris dissidiisque propter electionem Patriarchae patr. Ecclesiae Antiochenae incl. Nationis Maronitarum per obitum Iosephi Petri — exortis, ad opportunum et salutare iisdem componendis sedandisque remedium afferendum dedimus alias nostras in pari forma Brevis literas tenoris sequentis: Quod non humana etc. *ut supra.* Eapropter nos aegre ferentes patr. Ecclesiam praedictam Pastoris destitutam solatio, et tot tantisque inter haereticos, schismaticos, Mahumetanos, et infideles veluti rosam inter spinas circumdatam angustiis et calamitatibus amplius vacare, ad provisionem eiusdem patr. Eccl. Ant. celerem et felicem, ne Ecclesia ipsa Antiochena maioribus longae vacationis exponatur incommodis et dissidiis, paternis et sollicitis studiis intendentes, — Te — a vinculo Ecclesiae Damascenae, cui praees, absolventes, ad eandem Ecclesiam Antiochenam — transferimus etc. — Volumus autem, quod Tu, antequam regimini et administrationi dictae patr. Ecclesiae te in aliquo immisceas, in manibus alicuius Catholici Antistitis gratiam et communionem Ap. Sedis habentis et in illis partibus

degentis, fidei catholicae professionem a Sede praedicta Orientalibus praescriptam iuxta unam, expresse emittere et fidelitatis debitae solitum iuramentum iuxta alteram formas praesentibus adnotatas praestare omnino tenearis. — Datum Romae die 16 Mart. 1743.

925. *Idem hoc ipsum annunciat Praesulibus Maronitarum 16. Mart. 1743.* Magna non minus admiratione quam aegritudine affecti sumus, postquam e sex Epporum vestri coetus aliorumque literis intelleximus, Maronitarum Ecclesiam post obitum postremi Patriarchae Iosephi Petri funesto schismate discissam fuisse, a sex illis Eppis in eius locum suffecto Elia Arcae, ab aliis Tobia Napolosiae AEppis. Equidem mirari satis non possumus, adeo nunc valuisse inimicum hominem, ut superseminaverit divisionis zizania in agro isto adhuc ea lue prorsus intacto, utque vobis eripuerit decus amplissimum: id scilicet numquam ex omni temporis memoria evenisse in vestro Patriarcha eligendo, qua laude nobiliores Ecclesiae vestro in conspectu positae plurimum caruerunt. Angi autem quis nequeat in tanta malorum colluvie, quae vestram nationem discordiis, tumultu, perturbatione obruerunt? Siquidem uterque electus non expectato Romanae Sedis iudicio, quod lege et more vetusto necesse fuerat, statim pro Patriarcha se gerens forum aperuit, usurpansque patriarchalia iura miscet humana divinis, ut suo se teneat loco. Hinc populus alterutri inhaerens, incertus, divisus triste sui spectaculum praebet insultanti schismatico Turcae irridenti: et metus est, ne vera Dei religio, quamquam vestrae genti altis radicibus infixa, obcoecatis contentione mentibus discrimen adeat, ut saepius alibi. Hac enimvero sollicitudine ac paterna caritate commoti adeo sumus, ut vestris medendis vulneribus restituendaeque sanitati accurrere acceleraverimus, vixdum Romam venerunt utriusque partis legati cum mandatis et monumentis, supremum Ap. Sedis iudicium subituri. Nam statim selegimus aliquot e S. R. E. Cardinalibus Prop. fidei praepositis, qui iuris ordine servato auditisque advocatis de toto controversiae statu cognoscerent, et coram nobis deciderent, an alterutra electio seu postulatio confirmanda foret aut sananda, et, si utraque infirmanda, quid ultra nobis agendum esset. Illi apud nos convenerunt XV Cal. Martias, unaque fuit omnium sententia, utramque non modo nullam atque invalidam, sed in-

sanabilem videri, tantis undique scatent erratis adversus canones, ipsasque vestras constitutiones; ius proinde eligendi in hoc informis electionis casu ad Ap. Sedem devolutum fuisse, sicuti ecclesiasticae iubent leges et ubique perpetuo in more fuit: cuius si nullum istic exemplum reperitur, referri debet maiorum vestrorum prudentiae, qui ab huiusmodi nefario schismate sibi semper caverunt. Nos igitur eorumdem Cardinalium sententiam assensu nostro prosequuti utramque electionem penitus abrogavimus. Simul autem Patriarcham vestrum elegimus ven. fr. Simonem AEppum Damasci, qui antiquior vestri coetus hoc etiam nomine commendationem habuit ad eam dignitatem, magis autem, quod miti ingenio et a partium studiis abhorrente, ut plurium testimonio accepimus, idoneus nobis visus est ad tantum munus gerendum. Quocirca acceptissimum vobis vestraeque genti fore, idque promto atque alacri erga ipsum obsequio debitaque obedientia vos comprobaturos non dubitamus daturosque documentum, praeteritas discordias non praecipiti voluntatis aestu commotas fuisse, sed incautae mentis errore, qui facilius excusari potest. Nec vobis in mentem veniat suspicari, hac nostra extraordinaria constituti Patriarchae providentia iuri vestro quidpiam detractum fuisse. Nam et ipsum in huiusce electionis diplomate vobis expresse reservavimus, et in provincialis seu nationalis recentis vestrae Synodi confirmatione novo, ut petebatis, pontificiae auctoritatis robore permunivimus. Haec per nostras istas literas in forma Brevis vobis referre satis duximus. Plura cognoscetis a dil. filio Iacobo ab urbe Luca, Observantium Franciscanorum alumno, Apostolico Hierosolymis Visitatore, quem ad vos nostro nomine ire Commissarium iussimus. — Quin illum perhumaniter excepturi, praescriptasque vobis leges accurata obedientia exequuturi sitis, nullum nobis relinquit ambigendi locum omnium vestrum animus religione et constantissima erga Supremum Pastorem fide penitus obstrictus. — Datum Romae die 16 Mart. 1743.

926. *Responsum Maronitarum Praesulum ad Summum Pficem dd. 11. Octobr. 1743.* Nos AEppi et Eppi Antiochenae Sedis, Sanctitatis Vestrae servi, ad puros vestros pedes submisse ac reverenter provoluti significamus, R. P. Iacobum de Luca Ablegatum vestrum statim atque huc pervenit, apostolicas ad nos literas vestras pertulisse, quibus lectis et auditis conti-

nuo nos omnes R. D. Simoni Patriarchae a Sanctitate Vestra constituto obedientiam exhibuimus, tanta cum animorum consensione, ut nemo nostrum contra vel hiscere vel unum verbum proferre ausus sit. Idque in obsequium Sanctitatis Vestrae et Sedis Apostolicae: est enim nobis exploratum et compertum, *Ap. Sedem esse petram orthodoxae fidei, quam a maioribus nostris accepimus, nosque universi parati sumus sangvinem nostrum in illius gratiam profundere.* Gratias igitur Sanctitati Vestrae agimus quam possumus maximas de apostolica quam nostri gessistis cura, in hoc praesertim calamitoso rerum statu, in quo eramus constituti. — Datum in Conventu Arissae in Chesroano die 11. Oct. 1743.

927. *Allocutio Papae ad S. Collegium 13. Iul. 1744.* Antequam vos certiores faciamus de iis, quae contigerunt in electione ven. fratris Simonis Petri Patriarchae Antiocheni, nonnulla vobis in antecessum referre necesse est. Non dubitamus eruditioni Vestrae compertum esse, Maronitas Christianos Syros ad Patriarchatum Antiochenum pertinere, quippe qui Syriam et Phoeniciam maritimam ac mediterraneam, tum etiam Palaestinam, Cyprum, Aegyptum, aliasque Orientis partes incolunt, quorum tamen maxima pars in monte Libano commoratur. Eruditioni pariter vestrae notum esse censemus, quod prope finem seculi VII, cum haeresis Monothelitarum in Patriarchatum Antiochenum grassaretur, Maronitae quo se ab ea contagione integros servarent, statuerunt sibi Patriarcham eligere, qui a Romano Pontifice confirmaretur, ab eoque Pallii dignitatem acciperet. Cum autem pluribus deinde seculis elapsis Saraceni Antiochiam depulsis inde Latinis occupassent, cumque Latini ipsi Catholici in Montem Libanum, ubi a Patriarcha Maronitarum perbenigne recepti sunt, secessissent: Alexander IV R. P. Patriarcham ipsum Maronitarum Antiocheni Patriarchae titulo decoravit: quem quidem titulum ad hanc usque diem Patriarchae Maronitae retinent, etiamsi in monte Libano sedem perpetuam habuerint. Profecto Maronitae fuerunt semper, quales et hodie sunt, integre Catholici, cum hac S. Sede coniuncti, et erga suum Patriarcham, tum etiam erga Romanum Pontificem obsequii ac reverentiae pleni. Cum autem homines sint, mirandum non est, aliquando humani quicquam inter eos accidisse, et accidere, in eo praesertim, quod eorum Patriarcham spectat.

Recordari potest unusquisque vestrum, quid acciderit in pontificatu fel. rec. Clementis XI, qui Patriarcha Iacobo deposito, cum iniuriam praeclaro illi Praesuli tum etiam Ap. Sedis iuribus, quae electionem eius confirmaverat, illatam nosset, P. Laurentium a S. Laurentio ex Minoribus Observantiae — eo misit; — re in Congregatione de Prop. Fide mature discussa, congregatio ipsa optimi Praesulis innocentia cognita, in patriarchalem sedem, unde fuerat iniuste deiectus, eum esse restituendum censuit. Cumque sententiam hanc Summus Pontifex ratam habuisset, ad optatum finem deducta res fuit. Quocirca Maronitae hoc novum suae erga Romanam Sedem obedientiae dederunt argumentum. Pontificatus quidem nostri tempore nullus fuit Deo favente apud eos Patriarcha depositus. Sed aliud contigit, quod molestia non exigua animum nostrum affecit. *(Enarratis iis, quae circa electionem contigerunt, relectisque Brevibus Apostolicis ad Maronitas editis, sic prosequitur Papa:)* — Intellexistis iam, ven. fr., omnipotentis Dei ope Antiocheni Patriarchae electioni finem summa cum pace impositum, et ea ratione, quam nos Deo ipso, ut putamus, inspirante proposuimus. Simon Petrus Evodius Damasci AEppus ad Patriarchatum evectus est. Apostolica nostra Brevia singulari veneratione recepta sunt, et executioni mandata. P. Iacobus Lucensis Ablegatus Apostolicus multa cum laude se gessit. Duo illi Praesules, Elias et Tobias, qui in Patriarcham electi fuerant, vix audita Patriarchae electione a nobis facta statim acquieverunt, et ipsimet Patriarchae se subiicientes palam profecto fecerunt, quanta sit eorum erga hanc S. Sedem obedientia. Commendatione pariter summa digni sunt AEppi et Praesules Maronitae, tum etiam tota Maronitarum gens. Proinde nos amplissima illa elogia, quibus Romani Pontifices praed. nostri eam cohonestarunt, libenter subscribimus etc. —

928. *Procurator novi Patriarchae in sua gratiarum actoria Summo Pontifici ex parte Patriarchae et Maroniticae gentis plenam obedientiam denuo promittit.* — — Quod olim decessori Tuo Leoni X Petrus Maronitarum Antiochenus Patriarcha pietate ac religione conspicuus exemplo maiorum palam ac publice professus est: ‚*quia sive vivimus sive morimur, pro Dei, Ecclesiae ac Sanctitatis Vestrae honore quaecunque etiam durissima perpeti aequanimiter parati sumus, sumus namque sub perfecta obedientia Sanctitatis Vestrae et S. Rom. Ecclesiae in*

omnibus, quae nobis praecipit et imponit : eandem ultro hodie Maronitae omnes, eandem electus meus Patriarcha, in Sanctitatem tuam et Apost. Sedem non verbis tantum, sed illustribus etiam factis ostendunt et pollicentur obsequii significationem. Sibi enim suaeque genti testantur devinctam beneficio voluntatem ob susceptam gestamque perpetuam ab hac S. Sede curam fovendae in ipsis Catholicae Religionis, *quam a Petro Apostolorum Principe sibi traditam integreque a maioribus suis conservatam nec infidelium iugum tam grave corrumpere, nec haereticorum aut schismaticorum propinquitas labefactare potuit.* Ita electus meus Patriarcha et Maronitae omnes de fide catholica, deque suo erga S. Rom. Ecclesiam obsequio ac veneratione senserunt semper ac sentire pergunt. — **Bullarium** *Ben. XIV. edit. Mechlin.* 1826. II. 74. III. 396.

929.

Benedictus XIV PP. Cyrillo Patriarchae Graecorum **Melchitarum** Antiocheno transmittit Pallium, atque ad firmiter perseverandum in unione cum S. Rom. Ecclesia eundem exhortatur. A. 1744.

MON. Dum nobiscum animo reputamus, illustrem Antiochenam Graecorum Ecclesiam iamdiu a Romana Sede funesto schismate divulsam, et a Patriarchis ea labe infectis gubernatam, nunc tandem fraternitati tuae commissam in legitimi Pastoris tutela esse: omnibus quidem laetitiis incedimus, diuturni moeroris propemodum obliti, quo ex illa schismaticorum Antistitum irruptione conficiebamur; incredibili simul gaudio perfundimur, quod Catholici Graeci Antiocheni Patriarchae nomen repetita longius antiquitatis memoria Romanis Dypticis tuto adscribi queat. Qua de re maximas habemus agimusque Deo gratias, eo magis, quod nobis in suprema Ecclesiae cathedra licet immerito considentibus id felicitatis evenerit, ac possimus Te praeside minus timere de illius gregis parte, quae ab insidiosis pseudoepiscopis circumsessa deserendae orthodoxae fidei peri-

culo obiiciebatur, contra vero aliqua duci spe, fore, ut reliqui in Christi Domini ovile se restituant. Magnum igitur tuum meritum est, in Orientalem Graecum Patriarchatum veluti postliminio rediisse Catholici Antistitis decus. Ex eo autem aeque plurimum apud nos commendaris, quod ad rem tanti momenti obtinendam tibi aditum aperueris bene acta vita prius Romae in Collegio ad propagandam fidem instituto, deinde per tuam nationem christianis virtutibus palam asserta vera Dei religione. Quamobrem a catholicis Orientalis dioecesis Eppis in Antiochena Sede locatus fuisti, in qua per tot annos veluti bonus Christi miles pugnasti adversus catholicae veritatis hostes, nullis fractus aerumnis, quibus adhuc oppugnaris. Fideli autem populo multum, ne erraret, providisti consulta identidem Apost. Sede, eiusque decretis ac mandatis morem sedulo gessisti, non sine ingenti tuarum ovium fructu et eximia obedientiae laude. Quin etiam ut arctius visibili Pastorum Principi te adhaerescere gloriari posses, sacro ornari Pallio a Pontifice Maximo postulasti, ablegato idcirco Romam dil. filio Ioanne Aminione sacerdote, qui prudenti et grata agendi sedulitate utilem tibi navavit operam suam. Nihil denique praetermisisti, in quo tua pietas, sincera fides, insignis erga Romanam Sedem observantia non elucesceret. His auctus meritis omnia spondere tibi poteris de nostra benignitate, et si adhuc Pallii donum dilatum fuit, scito id consulto evenisse, ut quo diuturnius optatum, eo iucundius acciperes. Nunc autem non amplius cunctandum rati, quin assiduis tuis precibus nuper etiam in Consistorio ab eodem ablegato tuo renovatis annueremus, libentissime tibi transmittimus Pallium ipsum desumtum e Corpore D. Petri, in quo plenitudo pontificalis officii continetur, quod tibi tradet nostro nomine ven. fr. Eppus Babylonis aut alius ab ipso substitutus, dummodo prius coram eorum altero emiseris catholicae fidei professionem iuxta formulam praescriptam a fel. rec. Urbano 8 decessore nostro, ac solemni iureiurando pollicitus fueris fidelitatem nobis et Ap. Sedi, adhibita verborum formula ablegato tuo consignata, quae cum his literis reddita tibi erit, simulque iuratus promiseris, te accuratissime et qua par est obedientia observaturum, quidquid a nobis sancitum fuit in encycl. epist. ad ven. fr. Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum, et ad omnes huius ritus catholicos Eppos huic Patriarchae subiectos data 24. Dec. anni 1743. quae incipit

‚Demandatam coelitus' etc. cuius exemplar cum hisce nostris literis ad te perveniet. Utere deinde hoc venerabili dono eoque in tuae gentis oculis posito, excita illius memoriam ad retinendam aut amplectendam fidem, ab Apostolorum Principe aeque nobis ac sibi traditam; unde veluti quadam cognatione illecti atque excitati ad nos revertantur aut nobiscum perseverent, quotquot in tuo Patriarchatu sacro baptismate initiati sunt. — In istiusmodi operam ut omnes intendas pastoralis vigilantiae curas, quod hactenus fecisti, pro paterna sollicitudine te adhortamur: plurimam a nobis gratiam quotidie magis initurus, cuius pro pignore munusculum ad rerum sacrarum usum accipies ablegato tuo consignatum, atque apost. benedictionem, quam fraternitati tuae peramanter impertimur. Datum Romae, die 29. Februar. 1744. — **Bullarium.** II. 194.

930—934.

Benedictus XIV PP. iniuriam Nuntio suo per **Electores Ecclesiasticos Germaniae** illatam, datis ad Electorem **Trevirensem** pluribus literis, improbat, Electoribusque contemtum Sedis Apost. obiicit. A. 1745. 1746.

930. MON. *Primum Breve Summi Pontificis ad Electorem Trevirensem dd. 22. Sept. 1745.* (ex Ital.) Eodem tempore, quo Nuntius noster nobis relationem super electione Magni Ducis Hetruriae in Regem Romanorum praestitit, percepimus simul relationem de agendi modo, quem ea occasione Tu et reliqui duo ecclesiastici electores erga Nuntium nostrum, aut rectius erga eum, quem ille repraesentabat, tenuistis. Testis est nobis Deus, nos quemadmodum priori ita et hac altera electione non aliud intendisse, quam ut electio in principem cadat Catholicum, qui et religionis defensor et S. Sedis verus sit advocatus. Talis fuit postremo defunctus: et speramus firmiter, neoelectum quoque talem fore; ast aegre ferimus, penes modum electionis nec ad motus in Germania existentes, nec ad

reclamationes exterarum Potentiarum, in quibus nos quidem partem haud cepimus, ullum habitum fuisse respectum, nec iura et praerogativas S. Sedis, queis praeiudicare ceteroquin nec possumus nec volumus, debita attentione exceptas, hocque ipso totum electionis istius negotium ita comparatum esse, ut spectato Vestro agendi modo non tantum id, quod post huiusmodi electionem Sedes Apostolica agere consvevit, accelerare nequeamus, sed potius opportuno adhuc tempore praestolandum nobis sit, quo res prudenter et debite terminetur. Inter cetera documenta, quae per tabellarium Nuntii nostri accepimus, legimus unum, e quo patet, ipsum Ministrum Electoris Brandenburgici in obiecto consuetarum honoris praerogativarum Ministro Pontificio exhibendarum se proniorem promtioremve exhibuisse, quam Electores Ecclesiasticos. Opus non est, uberius enarrare, quanta sit animi nostri aegritudo ob hoc factum. Vos ipsi id plane perspicere poteritis, quamprimum absque partium studio tum ad characterem, quem sustinetis, tum ad dignitatem, quam tenetis, tum ad iuramentum, quod in consecratione vestra nuncupastis, tum ad magna beneficia a Sede Apostolica vobis collata animum adverteritis: haec profecto clara in luce collocant, quam indigne vos respectu Ministri nostri gesseritis, dum in id quodammodo cooperati estis, ut honoribus ab antiquo, et postrema vice sub priori electione exhibitis privaretur Nuntius noster. Tibi et ceteris Electoribus ecclesiasticis magna illa quibus fruimini, beneficia et iura sub spe duntaxat congruae recognitionis et debitae venerationis S. Sedis collata fuere; iamque audire nobis videmur graves S. Collegii querelas, simulatque relationes de electione, quae hactenus nobis duntaxat cognitae sunt, perceperint, nec intermittent nobis sua sensa patefacere quoad modum quem deinceps circa Vos teneamus. Deus O. M. det vobis muneri et dignitati vestrae consentanea sensa, et sanet opportuno remedio vulnus nobis aeque ac Apostolicae huic Sedi inflictum. — Datum Romae die 22. Sept. 1745.

931. *Elector Trevirensis se excusare nititur dd. 8. Nov. 1745.* Non sine animi moerore ex literis die 22 Sept. ad me datis intellexi, quantopere animus Sanctitatis Vestrae per sinistras relationes fuerit motus, ut duo omnino eidem displicuerint capita in peracto nuperae electionis negotio Domini nostri Francisci Romanorum Imperatoris Augustissimi, videlicet modus ipse

negotii observatus, deinde incusatio, quod Legato suo denegati fuerint honores soliti. Utrumque fateor si ita sese haberet, prout Sanctitati Vestrae relatum videtur, posset iure merito vitio verti ecclesiasticis Principibus. Ast sciendum, quod hic non actum sit de eorum muneribus singularibus, sed de re ac gravissimo negotio totius augusti omnium Electorum collegii, a quo in partes separatas ire summum fuisset nefas ecclesiasticis, praecipue quum illud de iustitia suarum actionum Deo et universo si opus fuerit imperio rationem reddere omnino poterit. Modum enim negotii istius augusti lex imperii aureae, quam vocant, bullae nobis disertissime praecepit, cui 7 Electores unanimi plane consensu religiosissime obtemperantes Caput imperio reddidere, quod ab ipsis totus orbis christianus una cum principibus et subiectis imperii universis secundum leges nostras quatuor iam menses ante iure merito ab Electoribus sibi poscebant; qui ergo, si reprehendi unquam possent, in hoc potius culpandi forent, quod electionis negotium nimis sero peractum sit, cui neque dissensus duorum, neque reclamationes exterorum nihil iuris ac negotii communis in eo cum imperio Romano-Germanico habentium, multo minus tumultus in Germania excitati, impedimenta obiicere potuerunt, quandoquidem per illud constat, quam necessarium ad illos domandos fuerit imperio Caput. Quae cum ita sint, iustissimus animus Sanctitatis Vestrae nullum mihi relinquit dubium, quin ea, quae muneris debiti causa pro christiano orbe et imperio una cum ceteris feci et facere omnino debui, approbationem suam mereantur. Ad alterum epistolae caput quod attinet, honores regios totius collegii electoralis et singulorum eius membrorum tangens, neque ego neque alius ullus Electorum eccles. absque gravissimo degradationis periculo semet reprehensioni ceterorum exponere poterant; cuius rei testor conscientiam legati Sanctitatis Vestrae, cui meus candidissime omnem explicavit causam. Reos sane nos fecissemus ecclesiae ipsi et S. Sedi, si eminentem istam in imperio dignitatem, quae ecclesiasticis tribus adglutinata haeret Principibus, minoris ita numeri habuissemus, uti reliquorum conditioni subiecta in conspectu totius Europae potuisset videri, id quod in votis erat Brandeburgicorum, quorum sinistra opinio ideo Sanctitati Vestrae arridere numquam potuisset, si illa, quid rei intersit, ingenue scivisset. Scilicet primi honores inter omnes

regios Europae legatos concedebantur legato Sanct. Vestrae in imperio, quod olim ab iis, qui diversa sentiunt, numquam factum; nihilominus tamen mecum omnes ecclesiastici Electores ipsi distinctissimos superaddere volebant honores et demonstrationes pietatis nostrae erga S. Sedem. Sed haec omnia nescio quo fato vel antiquiorum temporum peccatis spernebantur, prouti Sanctitati Vestrae eminenter constabit, si ea, quae in annis 1658, 1690, 1711, et 1742. legatis suis obtigerunt, pro sapientia sua cum circumstantiis nostrorum temporum conferre velit. Inde sane mihi spero mitiorem animi sensum, quam quem in literis suis mihi monstravit, et quem filius ecclesiae obedientissimus, fungens religiose officiis erga Deum, Christianum orbem, et patriam numquam expectavisset. Quod reliquum est etc. —

932. *Alterum Breve Pontificium dd. 18. Dec. 1745.* Reddita est nobis epistola fraternitatis tuae data die 8. elapsi Novembris, in qua te nobis purgare studes de iis omnibus, quae in novissimis comitiis Francofordiensibus gesta sunt adversus ven. fr. AEppum Corinthi nostrum et Sedis Apost. Nuntium. Et nos sane memores veterum tuorum familiaeque tuae meritorum erga hanc eandem Ap. Sedem intellectui nostro vim facimus, ut nobis persvadeamus te ad ea sentienda atque agenda non voluntate propria tua, sed aliorum machinationibus pravisque consiliis adductum esse. Non tamen absque aliqua vi, ut innuimus, id nobis persvadere contingit. Neque enim fraternitatem tuam ignorare aut oblitam esse putamus, quomodo in praecedentibus comitiis anni 1741 ab Electoribus eccles. habitus fuerit AEppus Chalcedonensis, tunc noster pariter Nuntius, nunc huius S. R. E. presbyter Cardinalis de Auria nuncupatus. In quo sane ex ea regula, quae in omni rerum genere servari solet, ut nempe novissimus status attendatur, nihil in praeiudicium nostrum et Ap. Sedis innovari licebat. Neque te latere potest, quod ex pactis conventis in capitulatione imperiali tunc inserendis omnia, ut par erat, cum ipso Chalcedonensi AEppo communicata fuerunt, quaecunque ad religionis Catholicae statum et Ecclesiae Romanae iura pertinebant. Quibus in rebus si quid illi pro sui officii munere utiliter agere aut perficere datum fuit, id sane acceptum referre professus est prudentibus amicisque consiliis, quae ab eximiis e Schönbornia gente Anti-

stitibus sibi suppeditata fuerunt, quemadmodum tunc ab eodem per literas arcanis notis exaratas nobis testatum fuisse meminimus. Denique quum nuper apud te ipsum non minus quam apud alios ecclesiasticos S. R. I. Principes electores orator Caesaris maioribus quibusque honoribus exceptus fuerit propterea, quod personam Capitis Romani Imperii repraesentabat: profecto neque nobis nec ulli hominum recta ratione utentium fas est intelligere, quam ob causam pari saltem honore excipiendus non fuerit is, qui Romani Pontificis, Ecclesiae Capitis, et Iesu Christi in terris Vicarii personam gerebat. Quia vero fraternitas tua in eadem epistola insinuare videtur, reliquorum suffragiorum consensu et auctoritate, cui ab Electoribus ecclesiasticis frustra refragatum foret, antiquata fuisse praecedentia facta et decreta, quaecunque nostri et apostolici nuntii causae favebant. *Scias, volumus, non plane nos ignorare, quinimo satis compertum habere, quibus auctoribus et quorum sententiis huiusmodi decreta nobis adversa sancita fuerint. Novimus, oratores ducum Bavariae et Saxoniae et Comitis Palatini pro nobis stetisse, ipsumque Brandenburgensis aulae oratorem nihil expresse contra nos sensisse. Iniqui nobis fuerunt oratores Bohemiae et Hannoverae; Moguntino autem Electore sententiam suam adversus Apostolicum Nuntium proponente eamque vehementius inculcante, fraternitas tua in eandem pedibus ivit, Coloniensis vero AEppus et Elector addidit: id sibi placere. Quodsi eidem eiusque collegis ecclesiasticis placuit, displicuit sane Deo, displicuit nobis, nec ulli recte iudicanti placere poterit, quicunque noverit, tum debitam a sacris praecipue Praesulibus observantiam erga beati Petri Cathedram, tum iuramenta ab unoquoque eorum praestita in recipiendo consecrationis suae munere, tum demum quid singuli eorum debeant huic Apost. Sedi, cuius iura proprios ob fines atque ut hominibus placerent, ab ipsis deserta, abiecta, impugnata fuerunt.* Utque adhuc intelligat fraternitas tua, haud ignaros nos esse eorum, quae nobis debentur, quaeque favent aut adversantur iuribus Apostolicae Sedis, quam immerentes licet Dei voluntate tenemus: ad ea quoque respondebimus, quae ad minuendam recentium factorum acerbitatem ex memoria comitiorum annis 1658, 1690, et 1711 habitorum in epistola tua adscribis. Ad Comitia a. 1658 apostolicus nuntius missus fuit Eppus Cosentinus Sanfelicius nomine.

Hunc singuli Electores ecclesiastici in suis residentiis hospitio perquam honorifico exceperunt, eique de curru descendenti obviam prodierunt, atque digniorem in suis ipsorum domibus praecedentiae locum tribuerunt, eratque tunc Coloniae AEppus et Elector e Bavarica domo Princeps, qui huiusmodi praecedentiam oratoribus regum tribuere recusaverat. Idem Nuntius in loco electionis Moguntinum et Trevirensem Electores saepe convenit, ac de religionis negotiis cum ipsis egit. Ac tunc existens AEppus Trevirensis sibi gloriae duxit ad praed. nostrum Alexandrum VII scribere, quae et quanta ea occasione pro religionis causa gessisset, ipsumque apost. Nuntium huius rei testem appellare. Nec alia eidem Nuntio controversia fuit, quam cum Electore Moguntino contendente, ab eo se primum in ipso Comitiorum loco visitari debere; qua in re nihilominus ipse tandem apostolico nuntio concessit; quae omnia patent ex eiusdem Sanfelicii epistolis et ex commentario ipsius legationis Neapoli typis vulgato et cl. mem. Carolo VI Caesari inscripto. AEppus vero Cantelmus, quum ad Comitia a. 1690 pontificius nuntius missus esset, ab Electoribus eccles. exceptus, ad tractatus admissus, ac super capitulationum articulis consultus, nec ulla parte debiti sibi honoris fraudatus fuit. A solemni duntaxat coronatione electae imperatricis abstinuit, una cum aliis supremorum principum oratoribus, propter obortam cum imperii electoribus controversiam quamdam circa subsellia, quae non satis mature componi potuit, ut tam nuntius quam oratores praedicti iuxta constans ad eum diem praedecessorum suorum exemplum huiusmodi coronationi assistendum sibi esse duxerint. Quod tandem ven. fr. nostrum Annibalem Albanum a. 1711 ad imperii comitia Nuntium apostolicum adduxit, ut ab ipsis comitiis discederet, peculiaris fuit ipsius controversia cum AEppo Moguntino, quem a se priori loco visitandum (quod is fieri postulabat) nequaquam existimavit. Verumtamen nulla tunc comitiorum decreta adversus ipsum Nuntium debitumque Ap. Sedi honorem sancita fuerunt, ut ex ipsis comitiorum actis apparet, quantumvis auditae fuerint Electorum Moguntini et Trevirensis difficultates circa formam excipiendi Nuntium pontificium, ac de reliqua agendi ratione cum eo servanda, et quamvis oratores Brandenburgensis et Hannoverensis profitentes se inter AEppi gradum et Nuntii qualitatem distingvere declaraverint se postulare, nihilo inferiorem honoris praerogati-

vam sibimet ipsis deferri, quam Pontificis Romani legato a principum electorum conventu decerneretur. Ex hac verissima rerum narratione non e vulgi sermonibus collecta, sed ex authenticis monumentis depromta, recte colligitur, imperialia comitia annis 1658, 1690, et 1711 celebrata Apostolicae huius Sedis iuribus et dignitati per omnia favisse; ea vero, quae in Comitiis a. 1711 evenerunt, nullo pacto comparari posse cum aperto nimis contemtu, quo in novissimis hisce comitiis affectus fuit praedictus Nuntius noster. Quodsi praetermissis etiam antiquiorum temporum exemplis, quae magis magisque Romanae Sedis iuribus adstipulantur, oculos convertamus ad duo integra secula ante praedictum annum 1658 elapsa, minime recusabimus cuilibet hominum iudicium deferre, (modo non una cum religione catholica Romanam Sedem aperte oderit) ut decernat, an ecclesiastici S. R. I. Electores principes in novissimo conventu recte nec ne se gesserint, an iustae sint nostrae adversus ipsos querelae, an demum tecum, ven. frater, non satis benigne a nobis agatur, dum tuum factum improbantes de voluntate animoque tuo adhuc pergimus in meliorem partem existimare. Verumtamen noverit fraternitas tua, non ideo nos rem gestam atque multiplices iniurias huic S. Sedi nuper irrogatas pro demandata humilitati nostrae ipsius iurium conservatione dissimulare aut oblivioni tradere ullo modo posse. Porro si tranquillo animo cogitaveris, quam grave vulnus apostolicis iuribus per te (quantumvis haud inimico sed potius invito animo) inflictum fuerit, si ad praeclara domestica iustitiae ac religionis exempla respexeris, et tuas ipsius agendi rationes antehac laudabiliter servatas persequi voles: minime dubitamus, quin promtas atque paratas erroris emendandi vias facile invenias. Quam in rem ut omnem curam cogitationemque tuam conferas, te iterum vehementer hortamur, ut nobis liceat propensam nostram erga te voluntatem ac benevolentiam haud imminutam et affectu et rebus ipsis tibi perpetuo exhibere. Quod dum nobis integrum per te esse optamus atque etiam fore confidimus, apost. benedictionem fraternitati tuae peramanter impertimur. Datum Romae die 18 Dec. 1745.

933. *Nova epistola se excusatum pergit Elector Trevirensis dd. 3. Mart. 1746.* Postremae, quibus Sanctitas Vestra me honorare dignata fuit, literae pars profecto consolationis intimae magna fuere, siquidem ex iis animadverterim expressam in

praecedentibus nonnihil amare de me sinistram opinionem tantisper modo depositam esse; corruet, et, uti plene in Domino confido, evanescet ea funditus, ubi Sanctitas Vestra pro innata sua benignitate ad ea, quae a suscepti AEppalis Trevirensis et Eppalis Wormatiensis regiminis tempore in casibus maxime arduis auctoritatem S. Sedis et salvificam fidem nostram concernentibus contra heterodoxos aliosque apostolicorum canonum hostes non semel sed saepius dedi filialis demississimae observantiae meae argumenta reflectere voluerit. Non inficior in omni rerum genere novissimum rei statum passim esse attendendum; verum cum ea ipsa, quae in penultimis Francofurtensibus, anni scilicet 1741, comitiis pro deligendo Romanorum Rege ac Imperatore Sedis Apostolicae pro tunc Nuntio d' Auria ab Electoribus ecclesiasticis perhonorifice obtigerunt, pro insolitis et inusitatis per alios declamata, his ad ea nonnihil modificanda in comitiis postremis ansam potissimum subministraverunt: dignoscet haud dubio Sanctitas Vestra, num penes unum aut etiam singulos Electores ecclesiasticos, tametsi optime sentientes, revera steterit efficaciter continuari illud, quod per alios numero plures praeventionis sibi summopere praeiudicialis adeoque intolerabilis passim insimulatum, deplorandoque moderno in tempore viam aperuisset indubitatam ad collegii scissuras, et quidem tales, e quibus supremae auctoritati S. Sedis aeque ac religioni catholicae mala sane graviora infallibiliter fuissent enata. Urbi ac orbi notum, quam fervide nonnulli secularium principum in Comitiis imperii modo adlaborent ad Epporum ecclesiasticorumque Principum auctoritatem pedetentim imminuendam; idem Electoribus eccles. suo in ordine inter alia non immerito pertimescendum, quamprimum reliquis de collegio eorumdem praerogativas absque eo aegro et livido oculo aspicientibus vel minima etiam dissensionis materia voluisset aut vellet suppeditari. Absit de reliquo longe a me, ut relationem super quaestionis modificatione Beatitudini Vestrae factam erroris aut cuiusdam sinistri incusem; clementissime tamen permittet opinione mea, quod reverenter insinuare audeam, ex quo relatio haec in variis ab eo, quod in ultimis conventibus vere pertractatum actumque, plurimum discrepet, videri iis, qui eiusmodi actibus a principio ad finem usque vi officii indesinenter assedere, testesque de proprio auditu et visu fuere, si non maiorem, saltem non minorem,

quam iis, qui nonnisi de auditu alieno et quidem ad zizaniam hac occasione inter collegas sub manu fortassis disseminandam collimante, adeoque sinistre informati sunt, fidem esse adhibendam. Ad citata antiquiorum Comitiorum tempora, signanter de a. 1658 et 1690, aliaque eatenus enarrata excurrere vetat demississima mea filialis observantia, utut acta ceteroquin mihi praemonstrata et per praedecessorum ablegatos conscripta longe aliud non obscure videantur velle insinuare; quin potius Sanctitatem Vestram persvasam submisse cupio, me ullo in tempore antiquius nihil habuisse cordi, nec modo avidius ambire quidquam, quam ut sincerissimam meam cordis ac oris devotionem, qua erga Beatitudinem Vestram Sedemque sibi ab alto commissam indesinenter feror, in rebus tenuitatem virium mearum non excedentibus plus ultra comprobare valeam. — Datum Ehrenbreitstein, 3. Mart. 1746.

934. *Tertium Breve ad eundem Electorem dd. 26. Mart. 1746.* Respondemus literis fraternitatis tuae scriptis die 3. Martii, quibus iterum se excusat de his, quae in ultima dieta gesta sunt Apostolici Nuntii iuribus et praerogativis adversantia. Respondemus autem non quia epistola exigeret responsionem, sed ne ex omissione responsionis diceretur, nos excusationibus in epistola expositis acquievisse. Porro nec acquievimus, nec acquiescimus, nec unquam acquiescemus. Certum est enim, quod excepto casu Cardinalis Albani, qui ex aliis causis processit, quidquid Cardinalis de Auria obtinuit in dieta Francofordiensi, fuerat obtentum ab aliis nuntiis antecessoribus, et certum est, hoc ipsum fuisse denegatum Nuntio Stoppano. Adversus haec affertur quoddam conclusum. Conclusum autem hoc ignotum fuit Electoribus Bavaro et Palatino; Bavarus id factis ostendit, Palatinus erat promtus ad similia praestanda, et electores acatholici expresse protestati sunt se illud ignorare. Demus autem, conclusum esse verum. Illud non habet locum adversus legatum Imperatoris, cur ergo debebit habere locum adversus nuntium Papae? Et tandem libenter sciremus, quo iure potuit fieri conclusum, quatenus factum sit inaudito Nuntio, de cuius praeiudicio agebatur, et qui in sua possessione deturbabatur, ut interea omittamus loqui de irreverentia erga Sedem Apostolicam, quae fraternitatem tuam tot et tantis cumulavit beneficiis. Hae sunt rationes nimis evidentes, quas si ipsa serio animadvertat, earum

pondus agnoscet. — Datum Romae die 26. Mart. 1746. — **Deutsche Blätter** *für Protestanten und Katholiken. Eine historisch-politische Zeitschrift.* Heidelberg. VI. Heft. 1840. p. 90. ss.

935.

Benedicti XIV homilia de SS. **Petro et Paulo** App. A. 1746.

MON. Communem coelo terraeque laetitiam ex glorioso beatorum App. Petri et Pauli triumpho, quem pro Christo morientes uno die eodemque loco reportarunt, ad nos maxime et ad hanc urbem pertinere certum est. Quamquam enim ad universam spectet Ecclesiam de gemina Principis Apostolorum et Doctoris gentium corona laetari, quod sancita eorum sangvine fides in omnes gentes sese feliciter propagaverit, Roma tamen debet prae ceteris efferri gaudio et cumulatius exultare, quod quae antea fuerat errorum magistra, Apostolorum eorumdem opera facta sit discipula veritatis, civitas sacerdotalis et regia, arx religionis, et caput orbis, cuius imperium divinae fidei gloria latius quam olim terreno principatu dilatatum portae inferi metuunt ac contremiscunt. A vetustissimis usque temporibus Romano Pontifici solemne fuit summa religione ac singulari celebritate diem hunc agere, in quo duplex sacrum, alterum in hac Vaticana Basilica, alterum via Ostiensi in Basilica S. Pauli facere consvevit, ut pius Seculi IV vates Prudentius testatur. Id quoque temporis complures ex variis partibus Eppi ad Urbem commigrabant, festum hunc laetissimum diem una cum Romano Pontifice celebraturi, uti ex Paulino, qui sequentis aetatis scriptor extitit, colligimus. Nos quoque, quos non una causa ad Principis Apostolorum memoriam honore cumulandam adducit, quod nempe in eius locum et dignitatis amplitudinem licet immerentes successimus, sed aliae quoque rationes urgent ad illius et Apostoli Pauli cultum promovendum, quos una simul colere ac venerari consvevit Ecclesia, quod nimirum inter sacrae huius Basilicae Canonicos decem et quatuor annos fuimus, quodque eiusdem Petri honori Metropolitana Bononiensis Ecclesia dedi-

cata sit, quam decennio gubernavimus, et quam adhuc detinemus: praedecessorum nostrorum vestigiis etiam in hac parte pro viribus insistere cupientes, non solum quotannis in pervigilio huius festi solemnibus Vesperis in hac Basilica interesse, et mane pontificali ritu Missam celebrare consvevimus, sed etiam in perpetuum valitura sanctione decrevimus, ut per totam Octavam singulis diebus in diversis sacrae huius Urbis Ecclesiis aliqua eorumdem Apostolorum memoria insignitis solemne Sacrum peragatur, praesente aliquo Praelatorum Ap. Sedis officiis addictorum Collegio, utque pomeridiano tempore alii piorum hominum coetus statis quisque diebus ad easdem Ecclesias pie religioseque procedant. Ad haec mandavimus, ut Calendariis et divinorum officiorum libris iidem duo beatissimi Apostoli tamquam primarii augustae huius Urbis Patroni inscribantur; quod quidem nobis a sanctissimis viris Leone Pontifice, Maximo Taurinensi, et Venantio Fortunato ex veteri disciplina traditum est. Opportune quoque et merito hunc ipsum diem festum beatorum Apostolorum Petri et Pauli hodiernae Sanctorum canonisationi selegimus, nedum ut saltem semel vitae nostrae tempore felicissimum huiusmodi diem ingenti populorum concursu, multaque fratrum nostrorum Epporum frequentia pristino more celebrari videamus; sed praesertim etiam, quod sententiam illam definitivam, qua quinque Beatos nuper in Sanctorum album retulimus, pronunciavimus ut audistis in honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad Catholicae fidei praesidium, et christianae religionis incrementum, auctoritate D. N. I. C. beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et nostra; et demum quod in unoquoque eorumdem quinque Beatorum imago quaedam et nonnulla SS. Apostolorum Petri et Pauli similitudo inesse videtur. Hoc autem non ita dicimus, ut par meritum aut aequalitatem virtutum horum cum illis inferamus, cum temeritas sit amplitudinem Apostolorum cum aliorum Sanctorum meritis comparare; sed ut ostendamus, haec nova sanctitatis lumina ad clarissimas beatorum App. Petri et Pauli virtutes accedere pro viribus curavisse, et hac ratione ad Sanctorum gloriam in terris meruisse exaltari, qua iamdudum in coelis inter beatissimos cives fruebantur.

Venit **Petrus** Antiochia ad hanc Urbem, hic primam Sedem constituit, hic nequissimum debellavit Simonem, hic Iesu Christi Evangelium disseminavit. Venit huc quoque **Paulus** post

navalem, ut Ioannes Chrysostomus ait, pugnam, atque hic in Iudaeis et Gentibus in Christi fide erudiendis dies noctesque laboravit. Ambo vitam et sangvinem pro Christi nomine effundere cupientes, ambo Romae eodemque die gloriosam martyrii coronam adepti sunt, Petrus quidem inverso capite cruci affixus, Paulus gladio capite obtruncatus; ex quorum sangvine veluti ex semine tot beatorum Martyrum millia germinarunt, ut exuberante copia virtutis et fidei, ut Cyprianus inquit, singuli Martyres numerari non possent. In his modo *Fidelem de Sigmaringa* numeravimus, qui ad praedicandum Verbum Dei et Catholicam Religionem ab haereticis vindicandam ab hac Ap. Sede in Rhaetiam missus, invicto animo morti occurrens, ab haereticis interfectus est, et gloriosam sibi martyrii coronam comparavit. Negavit ter **Petrus** ab ancilla et Iudaeis interrogatus Divinum suum Magistrum. Persecutus est **Paulus** discipulos Christi, quos ad internecionem usque delere statuerat. At suam Petrus perfidiam flevit amare; et Paulus divinae vocis terrore correptus, humi stratus, factus est vas electionis, et ad Apostolicam dignitatem una cum Barnaba a Spiritu S. vocatus est. Quot ad poenitentiam ex praeclaro horum exemplo excitati, ex improbis et impuris facti sunt egregiae virtutis et sanctitatis lumina? quot assiduis lacrymis sua deflentes scelera uberrimos poenitentiae fructus fecerunt, quibus immortali deinde gloria in coelis gaudere, et apud nos solemni ritu inter Sanctos recenseri meruerunt? His profecto *Camillus de Lellis* annumerandus est, qui eadem vestigia persequens non modo iuvenilis suae aetatis errores detestatus est, sed etiam reliquo vitae tempore tum animae tum corporis proximorum saluti impense addictus heroicis, quibus coelum promeruit, virtutibus maxime inclaruit. — Minime contentus fuit **Petrus** in Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, et Bithyniam Iesu Christi fidem intulisse, sed ne quis in ea haesitaret, aut ne quid ab ea alienum in Ecclesiam inuccretur, epistolas binas canonicas scripsit, in quibus sanctissimae leges ad reprimendos vitiorum impetus, ad resistendum nequitiae diaboli, et ad aeternae vitae haereditatem assequendam opportune traduntur. Hoc ipsum amplissime fecit **Paulus** decem et quatuor epistolis canonicis conscriptis, quarum sapientiam et coelestis doctrinae copiam quis satis posset oratione complecti? quaenam eloquentia pro dignitate explicaret epistolam ad Ro-

manos, sive binas ad Corinthios, sive ad Hebraeos alteram, in quibus de fide, de bonis operibus, de virtutibus theologicis, de vitiis atque erroribus exstirpandis divina plane sapientia et admirabili zelo fideles docet, cohortatur, inflammat? Atque hinc Epporum ad populos sibi commissos pastoralium epistolarum dimanavit consvetudo, per quas illi zizania in medio tritici exorta eradicare conantur, et si qui mali usus aut depravati mores irrepserint, corrigere ac reformare student. Haec exempla quoque piis quibusdam in Ecclesia hominibus ansam dederunt, identidem religiosorum virorum coetus huius S. Sedis auctoritate intercedente reformandi, qui paulatim neglecta evangelicorum consiliorum observantia a pristinae virtutis gradu defecerant. Iter huiusmodi summa cum laude confecit *Petrus Regalatus* a nobis nuper numero Sanctorum adscriptus, qui tot annos ingenti labore, incredibili austeritate vitae, miraque humilitate ac singulari prudentia ordini suo Franciscano — reformando totus incubuit. — Hierosolymis **Petrus** una cum Ioanne in vincula coniectus est, et ab Angelo bis solutus a vinculis, quibus hominum improbissimorum perfidia illum obstrinxerat. Quid vero loquar vincula, flagella, lapides, naufragia, immissiones bestiarum, atque alia plurima, quae passus est Paulus, quaeque ipse ad Corinthios scribens enumerat, quamquam, ut Ioannes Chrys. advertit, plura fuerint ab eo praetermissa quam numerata? adeo, ut etiamsi ei gladio mortem oppetere non contigisset, tot nihilominus acerba passus, quae illi vitam omnino eripere debuissent, nisi superstes divinitus extitisset, profecto inter Martyres computaretur. Hinc porro geminae coelo ianuae patefactae sunt: altera iis, qui effuso sangvine pro Christo caesi sunt, et inter Martyres recensentur; altera vero iis, qui suppliciis, quae pro fide fortiter passi sunt, superstites iam olim Martyres vocabantur, nunc autem illustri Confessorum titulo decorantur. Hac altera via incessit *Iosephus a Leonissa*, quem modo in SS. Confessorum album retulimus. — Commendavit **Paulus** in prima ad Corinthios virginitatis dignitatem, in cuius laude posuit multa, quae ab eo statu derivantur, emolumenta. Nullum tamen de virginitate praeceptum a Domino sese accepisse affirmavit, sed de illa tantummodo consilium se dare. Haec autem Paulum Coapostolum secundum datam sibi sapientiam literis tradidisse **Petrus** in epistola secunda contestatur. Consilium quoque Pauli fuit, praeter

continentiam orationem, ieiunia, paupertatem, et obedientiam colere: quibus in rebus potissimum sita est vitae monasticae ratio, a primis usque Ecclesiae seculis tam in viris quam in feminis feliciter propagata. Recentiori vero memoria ad monasticam alia insuper accessit religiosorum hominum vita, eorum praesertim ordinum, qui Mendicantes nuncupantur, in quibus non minus doctrina quam sanctitate complures ex utroque sexu Ecclesiam mire illustrarunt. Tres iam inclytae feminae, Catharina Senensis, Rosa de Lima, et Agnes de Monte Politiano ex ord. beati Dominici solemni ritu SS. Virginum numero adscriptae sunt, ad quas et nos Catharinam de Ricciis modo aggregavimus, claustrali vita tam illustrem, tam humilem, tam poenitentiae addictam, et a Deo maxime locupletatam iis coelestibus donis, quibus ipse animas sibi acceptas in terris quoque cumulare consvevit. Tandem Apostolorum Actus pleni sunt novis et inusitatis miraculis, quae Deus ad manifestandam gentibus beatorum App. Petri et Pauli tum doctrinam tum sanctitatem operari sibi complacuit. Enimvero nolumus illa conferre cum iis, quae Dominus agere dignatus est ad intercessionem et preces quinque Beatorum, quos modo solemniter inter Coelites recensuimus. Non ignoramus varia esse miraculorum genera, varios gradus. Verum si haec ad illa minus aequiparari valent, nihilominus haec quoque ita naturae vires excedunt, ut dubitari nullo modo possit, quin sint sanctitatis eorum, ad quorum merita facta sunt, luculentum expressumque Dei testimonium.

Ex iis, quae hactenus dicta sunt, satis apparet, quam apte in hoc ipso SS. App. Petri et Pauli laetissimo die hodiernae canonisationis solemnia celebrentur. Nunc autem quoniam prope Aram consistimus, sub qua eorumdem BB. App. cineres et ossa iacent, quid aliud restat, nisi ut ad vos gloriosi App. Principes, orationem nostram et preces humiliter convertamus? Tu quidem, Beatissime Petre, venerabilem hunc Clerum de coelo respice, qui abs te originem ducit, quique nomini tuo devotus te perpetuo colit; respice et nos, qui in hanc principem omnium Cathedram a te institutam, et quae Ecclesiarum omnium unitatis est centrum, impares licet meritis successimus. Tu vero, Beatissime doctor gentium Paule, populum hunc, quem te prae ceteris diligere tuoque cordi inhaerere literis tuis significabas, peramanter respice. Ad Vos enim, parentes optimi et amantissimi Urbis

huius Patroni, in tanta huius diei celebritate, fiducia pleni confugimus, ut vestris intervenientibus meritis a Deo impetremus Catholicae fidei propagationem, Romanae Ecclesiae, quae vestri sangvinis pretio fundata est, exaltationem, et sartam tectam Apost. huius Sedis dignitatem, cuius vindices et propugnatores vos semper extitistis. Ad vos deinde convertimur, Fidelis, Camille, Petre, Ioseph, et Catharina, quos modo nostros apud Deum intercessores fore solemni ritu declaravimus, quosque fidelibus populis tamquam praeclara virtutum exempla proposuimus: Vos quoque humili corde obtestamur, ut Christianam Religionem, ut fidem, ut denique Ap. Sedem apud Deum orationibus vestris tegere ac tueri dignemini; nobis praesertim in aerumnis, quibus in diem conflictamur, et quibus Petri navicula iactatur, opem auxiliumque divinum implorantes. Spe magna nitimur, Deum Vobis intercedentibus nos in medio mari periclitantes non relicturum. Habemus enim perpetuo ante oculos Petrum in mediis fluctibus super aquas maris a Domino ambulare iussum et naufragio perire metuentem: quem Augustinus advertens, in unda, inquit, exclamet titubans Petrus, et dicat: Domine, salva me. Porrigit enim Dominus manum, et quamvis increpet dicens: Modicae fidei ut quid dubitasti? tamen a fluctibus rapit, et confitentem infirmitatem suam atque illius auxilium postulantem perire non sinit. Demum gloriosi Principes Apostolorum, Beatique nuper in Sanctorum catalogum relati, lenite iram Dei in furore suo terras arguentis: exorate Omnipotentem Principem pacis, in cuius manibus sunt corda Regum, et sub quo curvantur, qui portant orbem, ut Christianos Principes, diuturnis nimium dissidiis inter se decertantes, in pristinae caritatis compagem restituat. — **Bullarium** *edit. Mechlin.* VI. 383.

936.

Benedicti XIV PP sententia de **IV propositionibus Gallicanis anni 1682.** in epist. ad Magnum Inquisitorem Hispan. A. 1748.

INTR. Ut doctissimi Pontificis sententia de famosis propositionibus Gallicanis constet, vulgamus extractum Apologeticae eiusdem Pontificis pro Cardinali Henrico Norisio epistolae: in ea quippe clare enunciat: propositiones Gallicanas esse adversas doctrinae extra Galliam ubique receptae.

MON. — Nota profecto tuae erunt eruditioni, quae prostant in ecclesiasticis historiis prudentis oeconomiae exempla, iuxta quae pro scandalo froenando malisque imminentibus avertendis nostri maiores censuerunt a rigore iuris recedere, etsi locus illi esse debuisset. — Notum tibi procul dubio erit opus non multis abhinc annis editum, typisque impressum, quod etsi nomine auctoris careat, omnes tamen probe sciunt esse *Bossueti* Eppi Meldensis, quod ipse, dum viveret, composuerat, ita iubente Gallorum Rege Ludovico XIV, sed manuscriptum in nonnullis Bibliothecis reliquerat. Totum opus versatur in asserendis propositionibus a Clero Gallicano firmatis in Conventu A. 1682. *Difficile profecto est aliud opus reperire, quod aeque adversetur doctrinae extra Galliam ubique receptae de Summi Pontificis ex Cathedra definientis infallibilitate, de eius excellentia supra quodcunque Concilium Oecumenicum, de eius iure indirecto, si potissimum Religionis et Ecclesiae commodum id exigat, super iuribus temporalibus Principum supremorum.* Tempore felicis record. Clementis XII nostri immediati praedecessoris serio actum est de opere proscribendo, et tandem conclusum fuit, ut a proscriptione abstineretur, nedum ob memoriam auctoris tot aliis capitibus de religione bene meriti, sed ob iustum novorum dissidiorum timorem. — *Examen du quatrieme Article de 1682.* p. 104. et **Bullarium** *Ben. XIV. edit. Mechlin.* XIII. Suppl. p. 105. ss.

937.

Benedictus XIV PP. damnat opus contra Constitutionem ‚Unigenitus' in Gallia editum, A. 1752.

MON. Militantis Ecclesiae regimini superna dispositione praesidentes, Dominici gregis custodiae iugiter invigilare, ac oves aeterni Pastoris sangvine redemtas a perniciosarum doctrinarum venenis, quantum nobis ex alto conceditur, praeservare tenemur. Quapropter cum, sicut nobis innotuit, in lucem prodierit quidam perniciosus liber duobus tomis constans gallico idiomate absque auctoris nomine et impressionis loco, cui titulus: ‚Apologie de tous les iugemens rendus par les Tribunaux seculiers en France, contre le schisme, dans la quelle on etablit: 1. L' iniustice, et l' irregularite des refus de Sacremens, de Sepulture, et des autres peines, qu' on prononce contre ceux, qui ne sont pas soumis a la Constitution *Unigenitus*. 2. La competence des Iuges laics puor s' opposer a tous ces actes de schisme. Tom. I. et 2. En France 1752.': Nos auditis desuper plurium S. R. E. Cardinalium, aliorumque S. Theologiae Magistrorum, quos ad praedicti libri examen delegimus, suffragiis, iisque plene ac mature discussis, de memoratorum Cardinalium consilio utrumque supra relati libri tomum, tamquam continentem assertiones falsas, temerarias, scandalosas, piarum aurium offensivas, in Romanos Pontifices, Apostolicam hanc S. Sedem, et Eppos iniuriosas, ecclesiasticae iurisdictioni derogantes, obedientiae Constitutioni ‚Unigenitus' ab omnibus sincere debitae eversivas, schismati faventes, schismaticas, in errorem inducentes, ac erroneas respective, auctoritate apostolica tenore praesentium damnamus, reprobamus, prohibemus etc. — Datum Romae die 20. Nov. 1752. — **Bullarium** *Ben. XIV. edit. Rom.* IV. 25.

938.

Sorbona Parisiensis Romanae Sedis summam auctoritatem literis ad **Benedictum XIV Papam** directis profitetur. 1753.

MON. *(Post gratiarum actionem pro submissis voluminibus de canonisatione Sanctorum sic prosequitur Sorbona)* — Ex sanctis illis fontibus (Leonis, Gregorii, Innocentii) haurire gestiunt viri vere Theologi. Etenim, Beatissime Pater, inter eos, qui Societati nostrae nomen dederunt, alii sacris Codicibus operam dant, alii SS. Patrum imbuuntur praeceptis, alii dirimendis fidei controversiis vacant, non pauci in moralis disciplinae studium incumbunt: *omnes suae formam doctrinae ad Summorum Pontificum normam componere consveverunt; haec didicere a maioribus institutionis avitae tenacissimi; non enim consectari rivulos, sed ipsum fluminis caput aperire mens fuit, nec aquas nisi ex illo manare in fidelium agros passi unquam sumus.* Si ad alicuius nominis famam aliquando excreverit Sorbona nostra, illud Pontificum auspiciis contigisse gloriamur, fulgoremque, qui non ab illa erumperet luce, tenebras esse duceremus. Expansis enim Romae vexillis militavimus semper; hinc illis, quas ipsa suscepit, clarescere potuimus inimicitiis. Eam fidem, quam a veteri variae experiebantur gentes, fidem eam fatis melioribus a nova experti sumus. Vix in incunabulis erat Societas nostra, cum Clemens Pontifex IV votis Roberti de Sorbona fundatoris nostri annuens, Sorbonicos Sedi Romanae peculiari patrocinio vindicavit. Sorbonam adultam fovere Summi Pontifices, provectioris acuere virtutem, sub Petro merentis laudavere militiam. Sorbonam hanc nostram, SSme Pontifex, quam beneficiis tibi devincere amas, amore et veneratione constanter tuam suscipe. Paternam benedictionem impertiendo illud efficias, ut quae ab initio pro fide molitur, feliciter cedant, et ex instituto pro aris collegio Ecclesia in posterum fructus percipiat uberrimos. Haec apprecantur tam S. Sedi aeterno obedientiae nexu mancipati, quam Sanctitatem tuam summa veneratione prosequentes totque

beneficiorum memores Sorbonici Theologi. Parisiis, die 7 Dec. 1753. — **Bullarium** *Ben. XIV. edit. Mechlin.* XIII. 114.

939.

Benedicti XIV PP. Encyclica ad Missionarios **Orientis,** A. 1755. vulgata, de schismate Graecorum congruas notitias suppeditans. (Extractive.)

MON. — — Consentaneum putavimus, hac nostra encyclica epistola brevius quo fieri poterit ea omnia complecti, quae iuxta huius Apost. Sedis sententiam pro norma haberi debent, quoties Orientales ad Catholicam Religionem convertuntur, quaeque servanda sunt cum Orientalibus Catholicis, qui versantur in locis, ubi aut nulli degunt Latini, aut Latini Catholici simul cum ipsis Orientalibus Catholicis commorantur.

Sane Historiam Ecclesiasticam nequidem primis, ut aiunt, labiis attigisse dicendus esset, qui ignoraret, quantum elaboraverint Romani Pontifices, ut Orientales ad unitatem adducerent, post funestum schisma *Photii,* qui tempore Summi Pontificis **S. Nicolai I** CPnam Sedem, depulso per vim S. Ignatio Patriarcha legitimo, invasit. **S. Leo IX** praedecessor noster legatos suos CPlim misit, ut huiusmodi schisma, quod per duo circiter secula sopitum, *Michael Cerularius* redintegraverat, exstirparet: sed illius conatus in irritum ceciderunt. **Urbanus II** deinde Graecos ad *Barense* Concilium invitavit: sed exiguum fructum consecutus est, tametsi *S. Anselmus Cantuariensis* AEppus omnem curam impenderit, ut ipsos Ecclesiae Romanae conciliaret, ipsisque errores, in quibus versabantur, doctrinae suae lumine patefecerit. In *Lugdunensi* Concilio, quod beatus **Gregorius X** coegerat, Michael Palaeologus Imperator et Graeci Eppi unitatem Romanae Ecclesiae amplexi sunt: verum mutatis animis ab illa rursum desciverunt. In Concilio autem *Florentino* sub **Eugenio IV** Summo Pontifice, ad quod Ioannes Palaeologus, et Iosephus Patriarcha CPlis cum ceteris Orientalibus Eppis convenerant,

unio statuta fuit et uniuscuiusque subscriptionibus acceptata; eodemque in Concilio Armenorum et Iacobitarum Ecclesiae ad obedientiam Sedis Apostolicae redierunt; deinde Eugenius Pontifex Florentia Romam profectus, legatos etiam Regis Aethiopum excepit, ac Syros, Chaldaeos, et Maronitas ad obedientiam Romanae Sedis redegit. Sed quoniam, uti legitur in Evangelio S. Matthaei c. 13. semen, quod cecidit super petram, nullum affert fructum, quia non habet, ubi radicem defigat, ‚hi sunt, qui cum gaudio suscipiunt continuo verbum Dei, non habent autem in se radicem, facta autem tribulatione et persecutione propter verbum, continuo scandalisantur': ideo vix Marcus AEppus Ephesinus tamquam novus Photius unionem convellere adnisus est, et adversus ipsam coepit vocem extollere, statim omnis optatus fructus deperiit. — Datum Romae die 26. Iul. 1755. — **Bullarium** cit. II. 175.

940.

Eiusdem Encyclica ad Eppos et sacerdotes **Graecos** de nova Euchologii (Ritualis) editione, et Romani Pontificis in Missa commemoratione, A. 1756.

MON. — Sub initium novissimae huius editionis (Euchologii) quatuor posita sunt monita, de quibus in hac epistola — operae pretium facturos nos esse existimamus, si ea vobis breviter indicemus, quae in eisdem statuendis prae oculis habita fuerunt. Primum Monitum his verbis conceptum legitur: ‚Sciendum est, quod sacerdotes, qui Euchologio sunt usuri, nosse debent ecclesiasticos ss. patrum canones, et Catholicae Ecclesiae constitutiones, ne divina administrantes Sacramenta aliaque peragentes officia errare comperiantur. Cum igitur in S. Liturgia commemorationes fieri soleant, *oportet primum* quidem *Romani Pontificis commemorationem agi*, deinde proprii Episcopi, et Patriarchae, dummodo catholici sint. Quodsi alter eorum vel ambo sunt schismatici, sive haeretici, eorum commemoratio nequaquam fiat.' Quod sane consentaneum omnino est iis, quae de-

creta fuerunt in Congregatione habita die 1. Maii 1746, quaeque approbatione nostra confirmata fuerunt. Dubium in ea Congregatione propositum fuit sequens: ‚Num in precibus, quae a sacerdote et diacono in prothesi recitantur, ponendum sit nomen Summi Pontificis, tum etiam in ceteris precibus.‘ Redditum autem fuit dubio responsum huiusmodi: ‚In Instructione initio Euchologii adscribenda admoneantur sacerdotes graeci, ut commemorationem faciant Summi Pontificis, et eorum Eppi seu AEppi, si sit cum Ecclesia Catholica Romana unitus, et insuper ponatur alia rubrica in margine liturgiae, quae eos remittat ad Instructionem.‘ Visum est enim hoc pacto suppleri debere, quae in ipso Euchologii textu desiderantur.

De commemoratione Romani Pontificis in Sacrificio Missae, deque huius disciplinae vetustate nos ipsi fuse disseruimus in nostro Tractatu de Sacrif. Missae Sect. 1. n. 219. Sed post eius libri editionem idem argumentum congestis pluribus haud sane communibus monumentis tractavit Dominicus Georgius, noster, dum viveret, intimus Sacellanus, ‚de liturgia Romani Pontificis t. 3. c. 3. n. 14. ubi haec habet: ‚Solemne semper fuit in Ecclesia Catholica, ut Romani Pontificis nomen inter sacra mysteria recitaretur;‘ deinde n. 22. ita subdit: ‚De Romani Pontificis nomine ad unum omnia vetustissima monumenta concordant, et exemplaria sacri Canonis antiquissima.‘ Et quidem huiusmodi commemorationem in Missa habitam fuisse ostendunt Liturgia Ambrosiana, Missa Mozarabica, Missa Latina, quam *Flaccus Illyricus* Lutheranus vetusto e codice exscriptam protulit; item antiquissima liturgia, quae legitur in vetustiori codice Sacramentorum Ecclesiae Romanae, quam vener. Cardinalis *Thomasius* in lucem edidit; omnes denique sacri Missae Canones sive impressi, sive manuscripti, quemadmodum fuse demonstrat Praesul *Nicolaus Antonellus* in sua copiosa ac erudita dissertatione, quam pro iniuncto sibi munere Secretarii praefatae Congregationis ad Euchologii correctionem deputatae conscripsit, et typis cudendam curavit tunc, quum a Cardinalibus et Consultoribus ea de re disceptari coepit; quam etiam recusam legere est in Appendice ad antiquum Missale Monasticum Lateranense Tom. I. Coll. Liturgicae a P. Emm. de Azevedo adornatae. Hactenus enunciata Monumenta ad Ecclesiam Latinam pertinent. Quod autem spectat ad Graecam Ecclesiam, Card. Bona rer. liturg. lib. 2.

cap. 11. n. 3. ignotum esse ait, an ea prioribus seculis in sacrificio Missae Romani Pontificis mentionem fecerit. Porro Isaacus Habertus in observ. ad Pontificale Graecor. part. 8. obs. 12. fatetur se inter prioris aevi monumenta nullum invenire, ex quo constet, in Orientali Ecclesia infra Missarum actionem Romani Pontificis memoriam fieri consvevisse. Quum autem in quibusdam antiquis exemplis Liturgiae S. Ioannis Chrysostomi sequentia verba legantur: ‚Nicolai sanctissimi universalis Papae longa sint tempora', credibile esse ait, temporibus S. Nicolai I. P. M. videlicet circa a. 858. Patriarchae nomini adiectum fuisse nomen Romani Pontificis. At vero laudatus Antonellus in citata dissertatione contendit, multo ante epocham ab Haberto indicatam in Ecclesia Graeca Romani Pontificis commemorationem in Missa fieri consvevisse: idque evincit tum aliis multis monumentis, tum eo potissimum facto, quod refert Nicephorus in Hist. Eccles. l. 16. c. 17. et testimonio nititur antiquioris atque gravioris Historici Basilii Cilicis. Acacius nimirum CPnus Eppus Eutychianae haeresis fautor Zenoni Imperatori auctor fuerat, ut infaustum illud publicaret edictum, ‚Henoticon' appellatum, quo irrita fiebat S. Chalced. Concilii definitio adversus haeresim Eutychetis. Quod cum SSmus Pontifex Felix III dissimulare non potuerit, ideoque Acacium communione privaverit, ausus est hic a. 484. novo et inaudito ad eam diem temeritatis excessu, Felicis Rom. Pont. nomen e sacris diptychis abradere: quamobrem damnata deinde fuit Acacii memoria, eiusque damnationi acquievit Ecclesia Graeca, sub Hormisda Pontifice, et Iustino Imperatore: id quod a duobus Hormisdae praedecessoribus, Anastasio II et Symmacho obtineri nequiverat. Erat igitur in magna CPna Ecclesia (cuius exemplum procul dubio sequutae erunt inferiores aliae Orientis Ecclesiae) in sacris diptychis Romani Pontificis nomen, ideoque dicendum est, pro eo nominatim oratum fuisse inter Missarum solemnia. Quodsi Acacius huiusmodi nomen primus abrasisse dicitur, eiusque factum ideo etiam improbatum specialiter fuit, quod sine praecedenti alterius cuiusque exemplo rem perpetrasset novam, et eo usque inauditam, quamvis anteactis temporibus inter Romanos Pontifices, et Regiae urbis Eppos offensiones ac dissensiones non defuissent: hinc satis superque evincitur, multo ante Acacii tempora, ideoque prioribus seculis Romani Pontificis nomen sacris Graecorum diptychis in-

scriptum fuisse, et in Missarum actione pro eo preces fieri consvevisse.

Sed quidquid sit de hoc controverso ecclesiasticae eruditionis capite: nobis satis est affirmare posse, commemorationem Romani Pontificis in Missa fusasque pro eodem in sacrificio preces censeri et esse declarativum quoddam signum, quo idem Pontifex tamquam Ecclesiae Caput, Vicarius Christi, et beati Petri successor agnoscitur, ac professio fit animi et voluntatis catholicae unitati firmiter adhaerentis: ut etiam recte advertit Christianus Lupus super Conciliis scribens: ‚Haec commemoratio est suprema et honoratissima communionis species.' Neque id tantummodo probatur auctoritate Ivonis Flaviniacensis in Chronico, ubi ita legitur: ‚Noverit se a communione totius orbis separari, quicunque nomen Apostolici pro qualicunque dissensione in Canone non recitaverit;' aut vulgati Alcuini, qui lib. 1. de div. offic. c. 12. ita scripsit: ‚Constat, ab universi orbis communione separatos esse, sicut beatus Pelagius docet, qui qualibet dissensione inter sacra mysteria apostolici Pontificis memoriam secundum consvetudinem non frequentant;' sed graviore sententia Pelagii II Summi Pontificis, qui sexto Ecclesiae seculo apostolicam cathedram tenuit, quique in suis literis relatis in Labbeana Conciliorum collectione T. 5. ita ad rem nostram scriptum reliquit: ‚Divisionem vestram a generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non possum, vehementer stupeo; cum enim beatissimus Augustinus Dominicae sententiae memor, quae fundamentum Ecclesiae in apostolicis sedibus collocavit, in schismate esse dicat, quicunque se a Praesulum earumdem Sedium auctoritate vel communione suspenderit, nec aliam manifestet esse Ecclesiam, nisi quae in Pontificalibus apostolicarum sedium est solidata radicibus, quomodo vos ab universi orbis communione separatos esse non creditis si mei inter sacra mysteria secundum consvetudinem nominis memoriam reticetis, in quo licet indigno Apostolicae Sedis per successionem Eppatus praesenti tempore videtis consistere firmitatem?' Quibus Pelagii literis usus est quoque magnus Lugdunensis AEppus S. Agobardus in suo tractatu de comparatione utriusque regiminis, qui impressus habetur in magna Bibl. Patrum t. 14. et a Baluzio recusus fuit inter alia eiusdem Sancti opera. Satis praeterea nobis est, hoc tuto asserere posse, quocunque demum tempore in Eccle-

sia Graeca recepta fuerit disciplina orandi nominatim pro Romano Pontifice in Missa, eam certe in Graecis Ecclesiis viguisse pluribus seculis ante conflatum schisma, nec nisi post funestam divisionem fuisse intermissam. Extat epistola Petri Antiocheni Patriarchae, qui vivebat a. 1053, ad Michaelem Caerularium, insignem schismatis Photiani instauratorem, quam graece et latine edidit Io. Bapt. Cotelerius t. 2. Monum. Eccl. Graecae. Michael dixerat, se mirari, quod Antiochenus Petrus, nec non Alexandrinus, et Hierosolymitanus Antistites Romanum Pontificem in sacris diptychis referrent. Sed fanatici hominis audaciam Petrus acerrime perstrinxit, ostendens ad suam usque aetatem tum Antiochiae tum CPli non fuisse intermissam Romani Pontificis commemorationem: ‚Ad haec ego quoque testis sum omni exceptione maior, aliique mecum plures eorum, qui in Ecclesia praecellunt, quod sub beatae memoriae Patriarcha Antiochiae D. Joanne Papa Romae, ipse etiam Ioannes, nominatus in sacris diptychis referretur. CPlim praeterea ante hos annos 45 ingressus, reperi, sub sanctae memoriae Patriarcha D. Sergio praedictum Papam in sacra Missa cum aliis Patriarchis referri.‘ Additur, numquam agi coeptum de unione instauranda, nisi ea in antecessum admissa conditio fuerit, ut S. Liturgiae insereretur Romani Pontificis commemoratio; neque vero conventam unionem pro impleta habitam fuisse, nisi praeindicata initialis conditio reipsa executioni fuerit demandata. Ex quibus omnibus manifeste eruitur consensio Ecclesiarum Latinae et Graecae in agnoscendo et statuendo, inesse in praefata commemoratione protestationem subiectionis debitae Romano Pontifici, tamquam Ecclesiae capiti, ac voluntatis permanendi in unitate Ecclesiae, ut supra diximus, contra vero per huiusmodi commemorationis omissionem declarari animum schismati pertinaciter adhaerentem.

Quum Michael Palaeologus CPnus Imperator a. 1263. et sequenti studium suum declarasset redeundi una cum Graecis sibi subiectis in unitatem atque concordiam cum Ecclesia Romana, Urbanus IV praedecessor noster hanc conditionem diserte proposuit teste Niceta: ut in sacris officiis e diptychis Papae nomen cum IV Patriarchis memoraretur. Cumque subinde huiusmodi unionis tractatio ab eodem Michaele Imperatore et Patriarcha Ioanne Vecco resumta fuisset, ac de ea serio actum fuerit in Concilio

Gen. Lugduni habito a. 1274: Beatus Gregorius X P. M. assentientibus Patribus in Concilio congregatis, ante omnia nonnullas proposuit conditiones, quae nisi acceptarentur, nullus unioni tractandae ac perficiendae locus reliquus foret; quarum prima fuit: ut inter sacras hymnodias Papa cum aliis quatuor Patriarchis in dypticha relatus memoraretur, ut apud eundem Nicetam habetur l. 5. c. 2. Eam vero conditionem a Graecis acceptatam fuisse, et exequendo impletam testatur Pachymeres l. 5. c. 22.— Michaeli Palaeologo successor in Imperio fuit Andronicus filius, damnato schismati adeo perdite adhaerens, ut quoniam pater unioni Ecclesiae Graecae cum Latina incundae operam contulerat, illius corpus extra locum sacrum sepeliri permiserit. Et quia donec Ecclesiae CPnae praesideret catholicus Patriarcha Ioannes Vecco, minime sperabat Imperator, destinatam sibi schismatis instaurationem ad exitum perduci posse, Iosephum quemdam haeretica labe infectum in Patriarchalem Sedem intrusit. Exinde res in peius ruere coeperunt, nec amplius obtineri potuit sincera Ecclesiarum reconciliatio, donec coacto Ferrariae Generali Concilio, quod deinde Florentiam translatum fuit, rebusque inter Latinos Graecosque Patres mature discussis, anno demum 1439. deiectus fuit divisionis paries, qui unam ab altera Ecclesia tam diu seiunctam tenuerat. Utque omnibus testata fieret unionis peractae veritas, Ioannes Palaeologus Graecorum Imperator iussit in sacris diptychis reponi nomen Romani Pontificis, uti testatur vel ipse schismaticus scriptor Silvester Sguropulus in hist. Conc. Flor. Sess. 10. c. 12. Cumque subinde unionis constitutae decretum ad Philotheum Alexandrinum Patriarcham transmissum fuerit, non praetermisit hic in sua responsione ad Eugenium IV Pontificem data testari, a se quoque statutum fuisse, ut in sacrificio Missae Romani Pontificis commemoratio, antequam aliorum Patriarcharum, fieri deberet: ‚Unde cum nostris Aegyptiis Pontificibus et ceteris Clericis nostris statuimus, ut ubique in omnibus Christi Ecclesiis inter Missarum solemnia prae ceteris Patriarchis memoriam Tuae Beatitudinis faciamus, sicuti in sacris canonibus cautum est;‘ quemadmodum videre est in Actis C. Flor. a Card. Iustiniano collectis. — Post Ioannem Palaeologum in Graecia imperavit Constantinus, qui quum ad Nicolaum V legatos misisset qui sibi periclitanti opem implorarent, hoc simul profiteri non

omisit, se omni conatu daturum operam, ut concordia Florentiae constituta optatam sortiretur executionem, idcoque effecturum, ut Pontificis Romani nomen sacris diptychis restitueretur, uti testatur Ducas in historia Byzantina. Pontifex autem promtum se atque paratum exhibuit ad afferendam illi pro viribus opem, simulque ipsum hortari et urgere non destitit, ut decretum unionis in Conc. Florentino peractae promulgaret, efficeretque, ut nomen Romani Pontificis recitetur in diptychis, et pro ipso nominatim expresse ab universa Graecorum oretur Ecclesia, sicut ii, qui Deo placuere, et CPni Patriarchae et Imperatores hactenus servavere, ut habetur in Annalibus Raynaldi ad a. 1451.

Haec sunt, quae pertinent ad priorem partem primi Moniti, ubi agitur de obligatione celebrantium orandi pro Papa in sacrificio Missae; nec aliud praeterea addendum videtur, nisi quod ante huiusmodi monitum Catholici Eppi Graeci orientales in suis Synodis hoc ipsum statuere non omiserunt, et nos ipsi pro Italo-Graecis opportuna decreta edere non praetermisimus. Anno Domini 1720. *Zamosciae* habita fuit Synodus Provincialis de mandato fel. record. praedecessoris nostri Clementis XI ac praesidente in ea Hieronymo Grimaldo tunc AEppo Edesseno et Apost. Sedis Nuntio in Regno Poloniae, deinde vero a recol. memoriae decessore nostro Clemente XII ad Cardinalatus honorem assumto. In huius itaque Synodi decretis, quae etiam a piae mem. Benedicto XIII similiter praedecessore nostro maturo praemisso examine confirmata fuerunt, sub titulo ‚de Fide Catholica' sequentia leguntur verba: ‚Eadem de causa (nimirum ad removendam omnem schismatis suspicionem) et ad demonstrandam sinceram membrorum cum Capite coniunctionem censuit etiam ac praecepit sub poenis arbitrio Ordinarii infligendis, ut ubicunque in sacris diptychis commemoratio Romani Pontificis facienda erit, praesertim vero tempore sacrificii Missae in translatione oblatorum, fiat claris et expressis verbis, quibus alter quam Romanus universalis Eppus designari non possit.' Consentiunt Patres Concilii Libanensis a. 1736. congregati sub praesidentia dil. filii Magistri Iosephi Simonii Assemani Romanae Curiae Praesulis et Ablegati Apostolici: in cuius pariter Concilii decretis sub titulo ‚de Symbolo fidei' num. 12. haec occurrunt verba: ‚Sanctissimi Romani Pontificis commemorationem

tam in Missis quam in divinis officiis ante reverendissimi D. Patriarchae nomen, uti hactenus consvevimus, celebrare non omittamus.' Et hoc etiam Concilium post accuratissimum rerum omnium examen Apostolica auctoritate a nobismetipsis confirmatum extitit, ut videre licet in nostra Constit. quae incipit ‚Singularis.' Petrus Arcudius in suo opere de Concordia Ecclesiae Occid. et Orient. l. 3. c. 39. monitum adscripsit pro Latinis Eppis, in quorum dioecesibus commorantur Graeci, ut eos adigere studeant ad faciendam in Missa commemorationem Romani Pontificis, ne qua reliqua sit suspicio propensionis erga schisma. Consentanee autem ad hoc aequissimum monitum in nostra Constit. pro Italo-Graecis emanata, cui initium ‚Etsi Pastoralis' ita cautum fuit: ‚Deinde Summi Romani Pontificis, ac ordinarii loci in Missis atque divinis officiis commemoratio fiat.' — **Bullarium** *cit. ed. Rom.* II. 225.

---

941. 942.

Deputati a **Clero Gallicano** 33 Episcopi circa Constitutionem ‚Unigenitus' Pontificiam expetunt declarationem, A. 1755.

941. MON. I. *Sensus ac votum 17 Epporum et 22 Abbatum.* 1. Constitutio ‚Unigenitus' est praeceptum, lex, seu decretum Sedis Apostolicae, quo liber ‚Reflexionum Moralium' *Quesnelli*, ac particulatim 101 propositiones ex illo excerptae, ex diversis causis, principaliter vero quia errores et haereses continent, damnantur. Postquam huic praecepto, legi, seu decreto accessit acceptatio Ecclesiae, iure allegatur tamquam perpetuum et irretractabile iudicium totius Ecclesiae et tamquam doctrina in rebus fidei. 2. Huic decreto debetur etiam intus in animo obedientia. Qui hanc obedientiam recusat, committit grave peccatum. 3. Contumax oppositio erga hoc decretum potest manifestari actionibus externis, et quandoque ansam praebere ad grave scandalum, ac proin includit omnia indicia criminis requisita ad hoc, ut alicui SS. Sacramentum publice denegari possit. 4. Haec publica oppositio non est confundenda cum meris

coniecturis, suspicionibus, vel rumore. Praesupponit enim actionem moraliter continuam, coram testibus factam, et publicam, quae nullo dolo contegi, nec ullo praetextu excusari possit. 5. Cum ergo ista indicia contumacis oppositionis difficulter discerni possint, et applicatio illorum in praxi periculosa sit, Clericus, cui administratio Sacramentorum concredita est, prius consulere debet Eppum, nec sine huius consilio et consensu cuiquam illa denegare. 6. Illi, qui se Bullae ‚Unigenitus' opponunt, et de hac oppositione vel iudicialiter convincuntur, aut hanc in actuali administratione Sacramentorum fatentur, debent sine praevia consultatione Eppi publice privari Sacramentis. 7. Quando circumstantiae in praecedentibus articulis designatae simul concurrunt, urgendi sunt transgressores, qui S. Eucharistiam et Extremam Unctionem petunt, admonitionibus, ut signa verae poenitentiae edant, et scandalum tollant. In aliis autem circumstantiis infirmi a sacerdote privatim admonendi sunt, publice vero nullae aliae interrogationes vel exhortationes ipsis faciendae sunt, nisi quae continentur in Agendis seu Ritualibus Dioecesanis. 8. Ad nullam aliam nisi ecclesiasticam potestatem pertinet determinare, quaenam internae vel externae dispositiones requirantur ad dignam receptionem SS. Eucharistiae. 9. Hinc ad solos Ecclesiae ministros pertinet iudicare, quinam ad publicam vel privatam receptionem SS. Eucharistiae admittendi vel non admittendi sint. 10. Consequenter peccant graviter contra statum a Deo institutum, qui cum contemtu Potestatis Ecclesiasticae recurrunt ad Magistratus seculares, et per eos SS. Eucharistiam impetrare conantur. Similiter peccant illi sacerdotes, qui illicita adulatione mandato secularis magistratus parent, illisque Sacramenta administrant, quos illorum parochus et horum in spiritualibus Antistes indignos seu incapaces esse declaravit.

942. II. *Sensus aliorum 16 Epporum.* 1. Constitutio Clementis XI, quae incipit ‚Unigenitus,' est *irreformabilis definitio totius Ecclesiae in rebus fidei*, cui sine peccato mortali denegari nequit sincera et ex animo profecta obedientia. 2. Etiam iure divino publice deneganda est SS. Eucharistia illis, qui tamquam publici peccatores se huic generali Constitutioni opponunt. 3. Ad hoc, ut cuiquam possit denegari communio, non est opus, ut eius crimen declaretur iudicialiter, sed sufficit, quod sit no-

torium. Censetur autem tunc sufficienter notorium, quando a peccatore nullo modo amplius celari potest. 4. Fidelitas, quam ministri Sacramentorum divinis et ecclesiasticis legibus debent, eos obligat, ut ante Sacramentorum administrationem removeri scandala curent. Non tamen zelo suo nimium indulgeant, sed prout leges eccles. statuunt, in casibus dubiis Eppum interrogare tenentur. 5. Est articulus fidei, quod Iesus Christus toti simul collectioni primariorum Pastorum Ecclesiae omnem plenamque potestatem contulerit, fideles ducendi ad beatitudinem. Pariter est articulus fidei, quod haec Ecclesiae potestas sit illimitata et suprema, et quod in rebus spiritualibus a nulla alia potestate dependeat. Itaque ad solam potestatem eccles. pertinet ius praescribendi leges, quae in administratione Sacramentorum observandae sint. Ipsi soli competit ius exponendi has leges, et suprema sententia definiendi, quales internae vel externae dispositiones requirantur ad digne recipienda Sacramenta. 6. Illi, qui nolunt se submittere Bullae ‚Unigenitus,' reddunt se perpetuo Sacramentis adhuc magis indignos, si pro eorum impetratione recurrunt ad seculares iudices; et illi sacerdotes, qui in tali circumstantia seculari iudici obediunt, produnt Corpus Iesu Christi, et merentur puniri ab Ecclesia. 7. Sacerdos nulla ordinaria vel delegata iurisdictione praeditus fidelium infirmorum confessiones excipere non potest, nec eos absolvere, nisi in casu extremae necessitatis. Hic vero casus non datur, quando parochus infirmo sacramenta denegat, quia recusavit se subiicere Bullae ‚Unigenitus.' 8. Cum Eppus iure divino teneatur concreditum sibi populum in doctrina salutis instruere, et curare, ut ab aliis instruatur, pariter eodem iure divino tenetur, eundem iuxta diversitatem circumstantiarum instruere de legibus universalis Ecclesiae, et de eius definitionibus in rebus fidei.

943.

Declaratio **Benedicti XIV PP.** ad praeviam Epporum enunciationem, A. 1756.

MON. Ex omnibus Christiani orbis regionibus, ad quas imposita imbecillitati nostrae pastoralis cura protenditur, cum multa saepe ad nos deferantur, quae animum nostrum pro omnium singularumque Ecclesiarum statu sollicitum et anxium habent: vix tamen aliunde nobis maiores perturbationis atque doloris causae acciderunt, quam ex gravissimis controversiarum ac dissensionum incommodis, quibus florentissimum istud regnum et catholicam Gallorum nationem aliquot abhinc annis iactari cognovimus. Neque sane destitimus hoc toto perturbationum vestrarum tempore Deum O. M. enixe rogare, ac interpositis etiam aliorum precibus orare atque obsecrare, ut ipse qui Deus pacis est, veram solidamque tranquillitatem turbatis Ecclesiis vestris reddere dignaretur. Saepe etiam datis ad carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Galliarum Regem Christianissimum apostolicis literis, illius opem et brachium ad eccles. pacis tutelam atque praesidium imploravimus. Iis autem, qui ad nos et ad Sedem Apostolicam de rebus istis recursum habuerunt, ea semper responsa dedimus, quibus nos promtos paratosque declaravimus, pro pace Ecclesiae Gallicanae, quam sincera et constanti dilectione prosequimur, quidquid nobis vitae superesse posset, libenter impendere, atque omnia, quae nobis agenda proponuntur, et adgredi et urgere, dummodo eiusmodi consilia essent, quae ad evellendum malorum germen apta et idonea dignoscerentur, et quorum executio cum spe prosperi eventus suscipienda et ad intentum finem utiliter processura videretur. Gravem atque diuturnam de rebus vestris sollicitudinem, qua hactenus affecti fuimus, non parum sublevarunt literae e Cleri Gallicani Comitiis die 31 Octobr. elapsi anni ad nos scriptae; quas quidem legentes perspeximus vestram Ven. fr. firmitatem atque constantiam et perfectam consensionem in custodiendo verae sanaeque doctrinae deposito, et in retinenda,

quam semper maiores vestri professi sunt, erga apostolicam beati Petri Sedem, catholicae unitatis centrum, observantia et veneratione. Neque enim ullam inter vos dissensionem vigere comperimus quoad canonicas regulas et principia, sed scissuras tantummodo esse inter vos in deligendis statuendisque mediis, quibus utendum necessario est, ut eadem communia principia in usum deducantur. Quod quamvis optandum fuisset longe abesse a conventu vestro, haud tamen mirum videri debet scientibus id alias inter sacros Antistites et doctrina et morum sanctitate conspicuos in gravissimarum rerum tractatione evenisse. In magnam autem praeconceptae consolationis nostrae accessionem sese obtulit eximia Christianissimi Regis pietas et religio, cum haereditario ipsius in hanc Apost. Sedem obsequio coniuncta, quae non in recentioribus tantummodo illius literis, quas die 19. Dec. eiusdem elapsi anni praedictam Cleri epistolam huc mittens ad nos dedit, sed in ceteris quoque omnibus ab eo conscriptis praeclare enituit, in quibus testari possumus atque debemus, nos semper illius regii animi sensus eos plane deprehendisse, qui maxime decebant orthodoxum Principem, et vera in Deum religione et sincera erga Romanam Sedem pietate praeditum, eundemque pacis atque concordiae in suis regnis restituendae et conservandae amantissimum.

Tanta est profecto in Ecclesia Dei auctoritas Apostolicae Constitutionis, quae incipit ‚Unigenitus', eademque sibi tam sinceram venerationem, obsequium et obedientiam ubique vindicat, ut nemo fidelium possit absque salutis aeternae discrimine a debita erga ipsam subiectione sese subducere, aut eidem ullo modo refragari. Hinc porro consequitur, ut in ea, quae exorta est controversia: utrum huiusmodi refractariis sanctissimum Corporis Christi viaticum expetentibus denegari debeat? sine ulla haesitatione respondendum sit, quoties praedictae Constitutioni publice et notorie refractarii sunt, denegandum eis esse, ex generali nimirum regula, quae vetat publicum atque notorium peccatorem ad eucharisticae communionis participationem admitti, sive eam publice sive privatim requirat. Publici autem atque notorii sunt refractarii, in casu de quo agitur, quicunque per sententiam a iudice competente prolatam rei declarati sunt eo nomine, quod debitam praedictae constitutioni ‚Unigenitus' venerationem, obsequium et obedientiam contumaciter denegave-

rint, quicunque etiam huius contumaciae reos se in iudicio confessi sunt, ac praeterea illi, qui quamvis nec a iudice condemnati, neque reatum suum in iudicio confessi fuerint, nihilominus vel eo tempore, quo sacrum ipsum Viaticum suscepturi sunt, propriam inobedientiam et contumaciam adversus constitutionem ‚Unigenitus' sponte profitentur, vel in anteactae vitae decursu aliquid evidenter commisisse noscuntur, manifeste oppositum venerationi, obsequio et obedientiae eidem constitutioni debitae, in eoque facto moraliter perseverare, quod ita vulgo cognitum est, ut publicum scandalum inde exortum non adhuc cessaverit. In his enim casibus eadem omnino adest moralis certitudo, quae habetur de iis factis, super quibus iudex sententiam tulit, vel saltem alia suppetit moralis certitudo praedictae similis et aequipollens. In quo tamen prae oculis habenda est differentia, quae intercedit inter notorium illud, quo merum aliquod factum deprehenditur, cuius facti reatus in ipsa sola externa actione consistit, ut est notorietas usurarii aut concubinarii; et aliud notorii genus, quo externa illa facta notari contingit, quorum reatus ab interna etiam animi dispositione plurimum pendet, de quo quidem notorii genere nunc agitur. Alterum enim illud gravibus sane probationibus evinci debet, sed alterum gravioribus certioribusque argumentis probari oportebit. Ea vero, quam supra innuimus, certitudo minime adesse dicenda est in aliis casibus, in quibus crimen nititur coniecturis, praesumtionibus incertisque vocibus, quae originem suam plerumque debent hominibus aut malo animo affectis, aut qui praeiudicatis opinionibus vel partium studiis ducuntur, quibus dum fides habetur, satis compertum est, tum praeteritorum temporum tum aetatis nostrae experientia, quot modis homines errare et falli ac in transversum agi contingat.

Quia vero nonnulli animarum pastores Ecclesiaeque ministri pietate et zelo commendati huiusmodi coniecturis deferentes, dum ad sacrum Viaticum ministrandum advocantur, animo anxii haerent, verentes ne id sine propriae conscientiae periculo administrare non possint, certam subnectimus agendi regulam, quam sequantur. Hoc itaque primum animadvertere debent, an scilicet ei, qui extremum viaticum postulat, cum antea ad sacram mensam accederet, paschali praesertim tempore, a loci illius parocho Eucharistica communio administrata fuerit: si enim haec

illi in vita non fuerit denegata, argumento id erit, aut hominem illum ab omni labe immunem, aut saltem non vere notorium peccatorem reputatum fuisse, indeque sequetur, sacrum Viaticum eidem in exitu vitae publice postulanti denegari non posse, nisi forte postquam olim ad Eucharisticam mensam admissus fuit, et ante id tempus, quo postrema Sacramenta requirit, aliquid commisisse noscatur, quo publici et notorii peccatoris notam iuxta praemissa contraxerit. Ubi autem ex hac facti specie certum ipsis non suppetat fundamentum, cui insistere valeant, aliunde vero validae adversus aegrotum praesumtiones et indicia gravia et urgentia militent, ob quae obortum sibi scrupulum rationabiliter deponere nequeant, in his rerum circumstantiis oportet eos remotis arbitris aegrotantem alloqui, eique cum animi lenitate et mansvetudine non tamquam disputantes, eumque convincere volentes, ostendere, quae et qualia sint indicia, quae suspectum reddunt ipsius vitae tenorem, rogantes eum et obsecrantes, ut resipiscat, in eo saltem temporis articulo, a quo aeterna ipsius salutis sors pendet; eidemque praeterea demonstrantes, quod quamvis ipsi parati sint sanctissimum Corporis Christi Viaticum ei ministrare, ac etiam reipsa illud ei ministrent, non ideo tamen tutus ipse erit ante tribunal Christi, sed potius novi et horrendi criminis se reum constituet, ex quo iudicium sibi manducabit et bibet. Ceterum se non alia de causa Sacramentum Corporis Christi eidem ministraturos, nisi ut Ecclesiae iubenti obtemperent, quae praeter eam, quam habet, curam, ut scandala publica antevertat, pro sua etiam pietate aegroti ipsius infamiam praecavere studet, et idcirco eum a sacra mensa non repellit, dum ipsum, licet peccatorem in conspectu Domini reputet, non tamen in proprio tribunali publicum atque notorium peccatorem agnoscit.

Hanc itaque iudicandi agendique normam oportet vos, ven. fratres, utpote nostro et Apost. Sedis iudicio probatam, inferioribus animarum pastoribus ceterisque presbyteris per civitates et dioeceses vestras Sacramenta legitime administrantibus sequendam et observandam proponere. Quod quidem iudicium super vigentibus controversiis a nobis interpositum et ecclesiasticis regulis nititur, et Conciliorum olim in ipsis Galliarum regionibus habitorum decretis, et gravium ipsius nationis vestrae Theologorum sententiis fulcitur. Ut igitur vobis laudi fuit, illu-

strium praedecessorum vestrorum exempla sequendo, promotas istic controversias subortaque dubia ad nos et Apost. Sedem deferre, certamque hinc regulam ad revocandam tuendamque Ecclesiarum vestrarum pacem exposcere, ita nunc officii vestri partes vestraque simul apud Deum et Ecclesiam merita cumulabitis, si supra scriptam agendi methodum ab iis, ad quos pertinet, in occurrentibus casibus omnino servari curabitis. Quod nos a Fraternitatibus Vestris eo fidentius expectamus, nobisque pollicemur, quo magis nobis ipsi conscii sumus, nihil diligentiae aut studii a nobis praetermissum fuisse, sive in perpendendis ac discutiendis articulis, quos Eppi in praefatis Cleri Comitiis adunati, licet non unanimi sententia, proposuerunt, desumendisque ex ipsa eorum discrepantia notionibus ad rem penitus percipiendam rectoque iudicio definiendam opportunis, sive in legendis ponderandisque sententiis scripto exaratis a Ven. Fr. nostris huius S. R. E. Cardinalibus, quorum hac de re consilia exquisivimus, sive in ceteris omnibus exequendis atque praestandis, per quae divini luminis adiutorium, quod interim flagrantissimis votis implorare non praetermisimus, nobis promereri possemus. Neque vero dubitamus, quin carissimus quoque in Christo filius noster Rex Christianissimus, postquam susceptum a vobis consilium non solum probavit, sed etiam, ut supra innuimus, suis ad nos datis literis fovere et adiuvare non recusavit, pro sua perspecta in Deum et Ecclesiam religione ac pietate, validam Fraternitatibus Vestris opem praebere studeat, quo tam vobis quam inferioribus Ecclesiae ministris liberum et integrum sit, ad superius descriptam agendi normam sacrorum mysteriorum administrationem moderari. Qua fiducia freti nos hic sermonem minime habendum existimavimus de reliquis Fraternitatum Vestrarum articulis respicientibus eppalia iura circa eorumdem Sacramentorum participationem concedendam vel denegandam, et varias super hac re obortas controversias, sed potius cum ipso Christianissimo Rege per alias literas nostras agendum duximus, ut is sacra Eppatus iura sua animi magnitudine ac praestanti virtute tueatur. Quod ipsum et proprio et maiorum suorum more facturum certo confidimus, ut nobilissimae Galliarum Ecclesiae illius regio favore nostris vestrisque studiis obsecundante, suum pristinum decorem retinuisse, et perturbatam ad tempus tranquillitatem cito recuperasse laetentur. — Datum Romae die 16. Oct. 1756. — *De turbis Gal-*

liae modernis Sacerdotium inter et Parlamentum regium, sive Instructio pastoralis AEppi Parisiensis. Aug. Vindel. 1767. p. 104. ss.

944—946.

Acta de concesso Pallio Patriarchae Antiocheno **Maronitarum** per Benedictum XIV. PP. A. 1756. 1757.

944. MON. *Epistola electi Patriarchae ad Papam. 1756.* Ego Tobias Gazenius Sanctitatis tuae servus, Cypri olim AEppus, nunc vero miseratione divina Antiochenus Patriarcha licet indignus, coram sanctis pedibus tuis procumbens, eosque submisse ac reverentur, sicuti Christi Domini Vicarium decet, deosculans, Sanctitati tuae expono, 12 die Februarii huius anni Simonem Patriarcham Antiochenum decessorem meum ad Deum migrasse, cui ut requiem donet Dominus, suffragio sanctarum tuarum precum contingat. Die autem 28 eiusdem mensis fratres meos tuosque famulos AEppos et Eppos in aede S. Iosephi apud Anturam Patrum Soc. Iesu in Chesroano convenisse, ibique secundum statuta sacri Libanensis Concilii latis ad eligendum novum Patriarcham cum plena libertate, nullaque vi adhibita suffragiis, me tametsi immerentem Patriarcham constituisse. — *Quoniam vero, Sanctissime Pater, beati Petri Apostolorum Principis es Successor, cui dictum est: Et tu conversus confirma fratres tuos:* ideo coram pedibus tuis provolutus, enixis precibus a Te peto, ut Pallium mihi pontificium concedas, meque in Sede Antiochena confirmes, sicuti decessores tui fel. rec. cum meis antecessoribus facere consveverunt. — Meae erga Te et S. Sedem tuam demissae obedientiae argumentum habes orthodoxae fidei professionem manu mea subscriptam, quam tibi Nuncius meus exhibebit. *Voveo enim et promitto, coram Deo et Angelis eius, me Sedi Apostolicae et Romano Pontifici usque ad extremum vitae spiritum semper et ubique obtemperaturum,* operam insuper omnem collaturum, ut huic meae Nationi, quae perpetuis erga S. Sedem obsequii et reverentiae documentis claruit, Deo favente,

teque annuente, amputatis dissensionibus pacem ac tranquillitatem restituam. — Datum die 20. Mart. 1756.

945. *Allocutio Papae in Consistorio 27. Mart. 1757. de concesso Pallio.* Quadraginta iam et ultra effluxerunt anni, ex quo suborta controversia, num *Patriarchae Alexandrino Graeci ritus indulgeri posset Latinum Pallium,* quantumvis idem opportunis prolatis monumentis comprobaret, se schisma eiurasse, suumque legitimum Procuratorem ad urbem ablegasset, qui humiles enixasque preces suas ad ipsum Pallium obtinendum afferret, coacta fuit coram s. m. Clemente XI. praed. nostro satis frequens S. R. E. Cardinalium ac Praelatorum Congregatio, cui nos quoque interfuimus, et in qua statutum fuit, ut expetitum Latinum Pallium concederetur; nobisque ipsis contigit pro Advocati Consistorialis munere, quo tunc fungebamur, ipsam Pallii petitionem in Consistorio exponere: quod magnae postmodum consolationi nobis extitit, quum scilicet in manus nostras subinde pervenit vetus decretum seu resolutio multos ante annos edita, (9. Iun. 1642.) per quam ad propositum dubium, an Patriarchis Graeci ritus Latinum Pallium esset concedendum, quoties illud positis omnibus necessariis conditionibus postularent, affirmative responsum fuit; quae quidem resolutio ignota tunc erat, quum Patriarchae Alexandrino facta est Latini Pallii concessio. Ex quo autem nos nullis nostris meritis ad Summum Pontificatum evecti fuimus, nostris ipsi manibus Patriarchae Armeniae minoris et Ciliciae confirmata prius illius electione Latinum Pallium imposuimus. Atque idipsum in Consistorio semipublico concedendum transmittendumque decrevimus Cyrillo Patriarchae Antiocheno Graecorum Melchitarum, postquam examini subiecta probataque fuerat illius electio, ipseque per legitimum ad id constitutum procuratorem enixis precibus sibi latinum Pallium concedi postulaverat. Quod ipsum latinum Pallium aliis duobus Patriarchis Armenis subsequentibus temporibus a nobis ipsis datum est. Quod autem ad Maronitas pertinet, compertum unicuique est, eos uti azymo non secus ac utitur Occidentalis Ecclesia, et sacra adhibere indumenta nostris simillima. Nostis praeterea nos olim ad compescendas dissensiones in eorum Patriarchae electione subortas Patriarcham Antiochenum Maronitarum illis constituisse Simonem Petrum Evodium, atque hunc fuisse a Maronitis libentissime exceptum, eidemque subinde concessum a nobis fuisse lati-

num Pallium. — E vivis nuper excessit praememoratus Simon Petrus Evodius : quumque Maronitae elegerint ipsi successorem, is plane est, qui per suum ablegatum opportuna quaeque documenta praeferentem Pallium sibi concedi postulat. *(Relatis actis huc spectantibus, sic conclusit Pontifex :)* — Annuentes precibus ab electi Patriarchae procuratore expositis libenti animo optatum Pallium ipsi concedimus, — cui impense iniungimus, ut suos Maronitas moneat, ne unquam obliviscantur sinceram nationis suae adhaesionem catholicae fidei et Sedi Apostolicae, quae tanto eos amore amplexa est, et complectitur, eisdemque simul nostro nomine apostolicam benedictionem impertiatur.

946. *Breve Pontificium ad Patriarcham de 30. April. 1757.* Et ven. fratrem Arsenium AEppum Heliopolis a fraternitate tua ad nos atque Apostolicam hanc S. Sedem, omnium Ecclesiarum catholici orbis matrem et magistram, ablegatum, et humanissimas literas praeclaris tuae erga nos observantiae et debitae erga eandem S. Sedem reverentiae obedientiaeque documentis insignes nobis inscriptas, nobisque a memorato Arsenio AEppo redditas ea, qua praedecessores nostri Romani Pontifices nosque ipsi alias prosecuti fueramus, pontificia benignitate et apostolica caritate excepimus. Quemadmodum autem nobis permolestum accidit nuntium, viam nimirum universae carnis ingressum et, uti in iusto remuneratore supremo Pastorum Principe Iesu Christo sperare decet, ad aeterna beatae stationis in coelis tabernacula receptum fuisse clarae memoriae Simonem, dum in humanis ageret, Patriarcham Antiochenum multis nominibus commendatum, ita ingenti laetitia in Domino exultavimus, quod tu, ven. frater, in ipsius locum et patriarchalem Sedem per unanimem ven. fr. Antistitum suffragantium concordiam electus suffectusque fueris. Nobis sane compertum exploratumque erat, fraternitatem tuam sacerdotalibus pastoralibusque virtutibus insignitam in excolenda Christi vinea tibi commissa laudabiliter adlaborare ; atque adeo nobis pro certo pollicemur, te ven. fr. maiori dignitate, auctoritate et honore cumulatum maiori sollicitudine, vigilantia, operaque fore adnisurum, ut istam inclytam Maronitarum nationem, de qua districtam aeterno Iudici Iesu Christo rationem reddere debes, Apostolicae huic S. Sedi semper addictissimam, et veluti solem inter offusissimas tot errorum tenebras et caligines lucidius praefulgentem magis ma-

gisque confirmes, illustres, adaugeas, et promoveas. Porro quod ad electionem tuam a nobis probandam confirmandamque, Palliumque de corpore S. Petri Apost. Principis sumtum tibi mittendum enixis precibus exposcis, fraternitati tuae persvasum esse cupimus, nos a gravissima diuturnaque infirmitate sensim per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam convalescentes, ubi nobis integrum fuit ne quidquam per nos moraretur, e lecto secretum cum ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus Consistorium habuisse. In hoc itaque Consistorio electionem tuam approbavimus, et apostolica auctoritate nostra confirmavimus, Palliumque de more tibi tradendum mandavimus. — Ceterum ven. Frater, bono animo esto, praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina, vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistae, ministerium tuum imple, certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam cum corona iustitiae, quam repositam digne laborantibus in coelo reddet tibi quoque Dominus in illa die iustus Iudex. Nos interim ad prosperi successus divinique praesidii auspicium et studiosae nostrae ad fraternitati tuae universaeque Maronitarum nationi, cum opportuna sese dederit occasio, gratificandum voluntatis pignus apostolicam benedictionem uberrima cum coelestium carismatum copia coniunctam tibi, ven. frater, eidemque Maronitarum nationi tuae peramanter impertimur. Datum Romae die 30. Apr. 1757. — **Bullarium** *Ben. XIV. edit. Mechlin.* XII. 279.

947.

Benedictus XIV PP. damnat et prohibet libellum in forma epistolae exaratum contra Constitutionem ‚Unigenitus', A. 1757.

MON. Cum ad nonnullos ex Ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus pervenerint exempla manuscripta cuiusdam Epistolae, cui praefixa est directio huiusmodi: ‚Amplissimis S. R. E. Cardinalibus et clarissimis Theologis in Urbe Praeneste congregatis post pacem Ecclesiae Gallicanae restitutam, et methodum propediem edituris pro studiis peragendis ab alumnis collegii ur-

bani de Propaganda Fide, ad haereticos profligandos, ad gentiles et atheos in sinum Ecclesiae reducendos', quaeque incipit ‚Haec sunt dubia', ac desinit in ea verba ‚et explodendam novitatem'; unumque etiam ex huiusmodi exemplis transmissum fuerit ad dil. fil. nostrum Albericum eiusdem S. R. E. Cardinalem Archintum, nostrum in universi Status negotiis Secretarium, eo scilicet consilio, ut nostris quoque oculis epistola ipsa subiiceretur, id quod est factum; cumque officii nostri partes sint, pro commissi nobis divinitus gregis Dominici cura, animarum periculis atque detrimentis, quae ex praefatae epistolae lectione et usu provenire possent, pastorali sollicitudine, quantum cum Domino possumus, occurrere: idcirco nos statim aliquot viros doctos, theologicae facultatis professores, nulliusque partis studio addictos, elegimus, iisque iniunximus, ut de praedicta epistola, deque in ea contentis iudicium facerent; qui sane mandatis nostris diligenter obtemperantes, sententiis suis docte prudenterque conscriptis, unanimiter censuerunt: praedictam epistolam, utpote refertam assertionibus respective falsis, temerariis, scandalosis, multimode iniuriosis, contumeliosis, impudentibus, captiosis, seditiosis, et schismati faventibus damnandam a nobis et proscribendam fore. Relato Theologorum examini successit aliud, quod nos ipsi pariter commisimus nonnullis ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus theologicarum disciplinarum scientia praestantibus: qui eadem epistola mature perpensa, ponderatisque dictorum theologorum suffragiis, in eandem cum ipsis sententiam convenerunt, quaeque ab illis adducta et firmata sunt, suis quoque calculis comprobarunt. Nos denique ipsi quaecunque in primo et altero examine discussa fuerant, inspicere, legere, et considerare non praetermisimus, dictaeque epistolae tenorem cum illius censura studiose comparavimus. Subinde vero nos ipsi rem totam communicavimus cum ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana generalibus inquisitoribus adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolica deputatis; — his quoque censentibus praedictam epistolam damnandam et proscribendam esse: nos — saepedictam epistolam, tamquam continentem assertiones respective falsas etc. — auctoritate apostolica damnamus et reprobamus, eiusque exempla legi, describi et retineri prohibemus. — Quia vero aequum non est, ut impunitus remaneat auctor praedictae damnatae et proscriptae

epistolae, qui per assertiones reprobatas carpere atque traducere ausus est rectissimam agendi rationem eorum Cardinalium, quorum nos consilio et opera usi sumus, ubi actum fuit de conscribenda Epistola Encyclica, quae prodiit superiore anno 1756 dd. 16. Octobris, idemque contra ipsam epistolam nostram encyclicam audendo nos etiam, qui eam conscripsimus, malignitatis suae iaculis petere non veretur: idcirco nos Officio S. Inquisitionis committimus et iniungimus, ut exactissima diligentia adhibita curet auctorem saepedictae damnatae epistolae, qui adhuc latet, detegere et agnoscere; volentes, ut statim ac collecta fuerint iudicia, quae semiplenam, ut aiunt, probationem constituant, ad capturam rei eiusmodi indiciis gravati iuxta stylum et consvetudinem S. Officii deveniatur, deindeque completo et concluso processu, ad ulteriores poenas adversus eum procedatur, iuxta s. canonum et constitutionum apostolicarum sanctiones, sic exigente iustitia publica, quae perniciosos huiusmodi ausus severiori vindicta coerceri iubet. — Datum Romae die 5. Sept. 1757. — **Bullarium** *Ben. XIV. edit. Rom.* IV. 333.

948.

Clemens XIII PP. redarguit Eppum Cephaldiensem in Sicilia, quod in territorio Nullius Dioecesis absque indulto Sedis Apost. presbytero cuidam iurisdictionem quasi-eppalem impertitus fuerit, A. 1760.

MON. Mirum sane ac ferme incredibile nobis accidit intelligere, quod fraternitas tua, cuius tota dioecesis in Sicilia est ultra Pharum, in Calabriam praeterito mense Septembri clanculum transiectaverit, *ut presbyterum quemdam, cui sub initium praecedentis Augusti* ‚Prioratum S. Mariae 12 Apostolorum de Balnearia' *institutione Eppali contuleras, in possessionem ipse quoque immitteres, eidemque eccles. iurisdictionis in clerum ac populum illum potestatem quasi-eppalem traderes;* quod quidem idcirco incredibile videbatur, cum propter hactenus inauditam rei novitatem, tum vero etiam, quoniam paulo ante officiosissi-

mam nobis epistolam scripseras de negotiis tuae dioeceseos, cui 8 Cal. Sept. responsum dedimus. Neque dicas oblatum tibi fuisse ab eo presbytero, qui clam Neapoli discedens in Siciliam te convenerat, Regiae nominationis placitum, significatumque insuper, Balneariae Prioratum Ecclesiae Cephalediensi subiectum: siquidem neque de Regio Patronatu sermo nunc est, neque de asserta subiectione (haec enim cum piissimo Rege aequo et amico animo discutientur). Illud tantummodo quaerimus: *quo titulo, quo iure, qua auctoritate ausus fueris demandare alicui sine Pontificio mandato potestatem quasi-eppalem in territorio perfecte separato, eundemque manuducere in exercitium ordinariae iurisdictionis, quam in eiusmodi Districtibus a solo Romano Pontifice derivari Catholici omnes profitentur?* Etenim illud primo animadvertere debueras, Balneariam neque in tua, neque de tua Dioecesi unquam fuisse; contra vero ‚Praelatos nullius' nuncupatos plurium seculorum spatio iurisdictionem quasi-eppalem a Cephalediensibus Eppis omnino independentem ibidem exercuisse. Deinde vero quamvis etiam ageretur de paroecia intra fines Cephalediensis dioeceseos indubie comprehensa, *numquam potest Eppus territorium a territorio separare, vel ex paroeho quasi-eppum constituere sine privilegio Apostolico, sine Pontificio mandato.* Quodsi profitearis tibi numquam in mentem venisse, potestatem quasi-eppalem simplici sacerdoti de novo tribuere, sed in vim assertae subiectionis regiique mandati recognovisse te ac insimul confirmavisse in sacerdote praesentato illam eandem iurisdictionem, qua reliqui in antecessum Balneariae Praelati iam dudum gavisi fuerant, nimis obvium ac patens erat, ven. frater, quid Regi eiusque administris respondere debueras: tibi scilicet nullum occurrere exemplum Cephalediensium Antistitum, qui destituerint vel instituerint unquam Balneariae Praelatos. Quodsi unio illa Balneariensis Prioratus a pseudopontifice Anacleto iam facta teneret, non Regis amplius sed Ecclesiae tuae Patronatus ille fuisset. Demum vero cum palam omnibus esset, iurisdictionem ordinariam in Clerum ac populum Balneariae per Regulares Praelatos ex privilegio Apostolico hactenus exercitam, non posse te neque naturam beneficii regularis immutare, neque iurisdictionem illam in clericum secularem transferre. Tunc enim sapientissimus aeque ac piissimus Rex eiusque probi doctique Consiliarii non tam responsum

hoc tuum non tulissent aegre, quinimo probavissent potius atque commendavissent. Quare videat fraternitas tua, quam inconsulto ac perperam egerit; sive enim novam iurisdictionem quasi-ep-palem per tuam institutionem conferre putavisti, atque id nullo pacto efficere poteras, sive antiquam, quae per Balneariae Praelatos antea gerebatur, quasi in illo reviviscerct, excitare cogitavisti, gravius adhuc errasti: etenim spiritualis potestas, quae per Apostolicum privilegium monasterio eiusque coenobitis inhaerebat, nisi per novum Apostolicum privilegium pontificiumque mandatum, in presbyterum secularem transferri nequibat. Haec autem pro paterna caritate nostra fusius tibi, ven. frater, explicare voluimus, ut considerares attentius quid mali feceris, quantamque iniuriam inconsiderate, uti arbitramur, non quidem nobis, sed personae, quam immerentes gerimus, ipsique Ap. Sedi palam intuleris; cuius quidem Pontificiae auctoritatis cum vindices atque custodes a Deo constituti fuerimus, non possumus quin gravissimum moerorem nostrum tibi significemus, tuique facinoris rationem repetamus. Illud etiam accedit non sine amarissimo fletu prosequendum, quod presbyter ille nulla legitima spirituali potestate munitus, cum per ostium non intraverit, quidquid agit, irrite ac perperam agit in christianae illius plebis detrimentum. Frustra enim sacramenta dispensat, confessarios approbat, clericos ordinat, edicta proponit, quorum omnium criminum ipse praecipuus auctor coram aeterno severissimo Iudice a Balneariensi christiano populo expostulaberis. Verum quid, inquam, expostulaberis? cum te iam nunc redarguat et coram Ap. Sede reum plebs illa expostulet: novit enim transmissaque a parentibus in filios traditione accepit, se iam inde a prima Ecclesiae institutione Apost. Sedi conceptis verbis praescriptisque sanctissimis formulis commendatam Romanisque Pontificibus per longissimum octo seculorum et ultra curriculum nulla Epporum intermedia auctoritate subiectam. Utique, ven. frater, populus ille clamat, atque conqueritur, alumnumque tuum intuetur invitus, aliosque Pastores supplex deposcit, ne spirituale pabulum, quemadmodum facit, per alienas dioeceses quaerere cogatur. Consulito igitur religioni tuae, et serio cogita, quomodo tot mala emendare queas, atque insimul Apost. Sedi satisfacere, dum tibi toto corde apprecamur a Domino, ut Spiritus S. gratia mentem

tuam illuminet. Datum Romae die 14 Mart. 1760. — **Bullarii Romani** *continuatio*. Romae. 1835. I. 299.

---

949. 950.

Clemens XIII. ad Eppos **Galliae** pro Encyclica Benedicti XIV de Const. ‚Unigenitus.' A. 1760.

949. MON. *Breve ad AEppum Narbonensem.* Cumprimum accepimus, Comitia generalia Antistitum et Deputatorum istius Cleri ad primam diem labentis mensis Martii Lutetiae Parisiorum indicta esse, non modica nobis spes affulgere visa est, ex tot delectorum virorum conventu, quem religionis et pacis studio sapientiaeque spiritu animatum merito auguramur, illustre aliquod et salutare consilium esse prodituram, per quod turbatae iamdudum Ecclesiarum regni istius res aliquando componi, et ad optatam tranquillitatem adduci possint. Quum vero fraternitatem tuam, cuius virtutes egregio Praesule dignae multiplici apud nos testimonio commendantur, huiusmodi Comitiis Praesidem electum fuisse intellexerimus, conceptam animo nostro spem magis magisque augeri persensimus, plurimum in Domino confisi, te nihil omissurum, quo ven. fratres atque dil. filios de gravissimis Ecclesiae negotiis tecum deliberantes ad eum, quem singulis propositum esse non dubitamus, utilitatis publicae finem assequendum consilio, studio, auctoritate iuvare queas; quod ut enixius atque ferventius praestare satagas, quamvis cohortationibus nostris te minime indigere existimemus, haud tamen supervacaneum duximus has ad te literas scribere plenas ardentissimi eius desiderii, quo maxime pro Ecclesiae Gallicanae incolumitate et pace flagramus, eamque propterea assiduis precibus a Deo bonorum omnium largitore expetere non cessamus. In quo cum omnium praedecessorum nostrorum Apost. Sedis Antistitum, qui nobilissimas Galliarum Ecclesias singulari semper affectu in oculis et in corde gessisse noscuntur, tum vero potissimum fel. rec. decessoris nostri Benedicti XIV exempla sectamur, cuius paternam prorsus in vos caritatem, ac de restituenda rerum vestrarum tranquillitate sollicitudinem multis

quidem argumentis saepe testatam, tum vero maxime compertam habuistis in illa encyclica epistola, qua propositis sibi quaestionibus a Comitiis generalibus anni 1755. ita rescripsit, quemadmodum Pontificem sapientissimum eundemque simul canonicae disciplinae retinentissimum et christianae pacis amantissimum respondere decebat. Eam porro epistolam traditamque in ea praxim ac normam in sacramentorum administratione servandam, quam nostro quoque iudicio probare et quatenus opus sit plene confirmare profitemur, si omnes et singuli Galliae Praesules in hac Comitiorum celebritate te praesertim duce ac praesule pro regula sumant, quam in suis quidem dioecesibus re ipsa custodiri parique animorum consensione observari iubeant, non dubitamus quin magnus existat comitiorum vestrorum fructus. Nam sicut in aliis Galliarum populi unanimem Pastorum suorum voluntatem firmamque constantiam in custodiendis verae sanaeque doctrinae principiis perspectam habuerunt, ita si nunc in statuendis tradendisque ministrandorum sacramentorum regulis parem animorum concordiam in eppali coetu conspexerint, maiori quoque venerationis, obsequii ac etiam amoris sensu erga Pastores suos afficientur, seque ita eorum dicto audientes docilesque praestabunt, ut sinceram tandem Apost. Sedis definitionibus, quas universa iam pridem Ecclesia veneratione debita complectitur, obedientiam et observantiam omnes exhibeant. Ipse autem cariss. in Chr. filius noster Ludovicus Rex Christ. pro eximia sua in Deum et Ecclesiam religione ac pietate non modo pacem atque concordiam in suis regnis, quantum in vobis est, restitui et foveri laetus adspiciet, verum etiam hac ipsa consensione vestra magis excitabitur, ut validam opem Ecclesiae Antistitibus praebeat, quo ipsis cunctisque animarum rectoribus in omni sua ditione liberum tandem et integrum sit, ad normam in praefata Benedicti praedecessoris epistola descriptam ss. mysteriorum administrationem moderari. Id olim ab ipso laudatus praedecessor noster studiosissime petiit; id ipsum nos et alias non semel et iterum hac ipsa occasione enixis votis ab eo postulare non omisimus. Quodsi temporibus nostris hoc Deus dederit, ut Gallicana Ecclesia tuis, ven. frater, aliorumque sacrorum Praesulum et Eccles. virorum isthic congregatorum consiliis et studiis a tot dissidiorum perturbationibus emergat, quanta cordi nostro futura sit laetitia, quanta sacerdotali

virtuti vestrae laus apud Apost. Sedem, omnesque Christiani orbis Ecclesias accessura sit, res ipsa satis per se declarabit. Nos quidem Omnipotentis Dei opem et gratiam hac in re tibi tuisque consortibus et cooperatoribus adprecantes, apost. benedictionem etc. Datum Romae die 17 Martii 1760.

950. *Breve ad omnes Praesules in Comitiis congregatos.* Magno nos affecerunt gaudio literae vestrae die 16 Maii Lutetiae Parisiorum conscriptae: non tantum enim declarant veterem Gallicanae Ecclesiae cultum in hanc Apost. Sedem, verum etiam nova pietatis et observantiae significatione confirmant. *Nihil fuit certe canonicis regulis consentaneum magis, nihil vestra sacrarum rerum prudentia magis dignum, quam ut subortis iampridem inter vos aliquibus dissidiis controversia omnis ad Apostolorum Principis Cathedram deferretur*, eademque sapientissimi Pontificis ultimi decessoris nostri apostolico finiretur rescripto: quod cum feliciter evenisset, perlectisque modo in Comitiorum conventu literis nostris ad Narbonensem AEppum datis, quibus encyclicam Benedicti XIV epistolam et commendavimus, et apostolicae firmitudinis calculo iterum comprobavimus, non tantum epistolae illi omnes uno ore plauseritis, verum etiam uti rectam stabilemque normam sumseritis regendarum dioecesium vestrarum, incredibilem ex hoc eventu cepimus in Domino voluptatem. Postquam igitur plurimas omnipotenti Deo gratias dedimus, vobis quoque, ven. fratres ac dil. filii, magnopere gratulandum esse censuimus, quod ecclesiasticae unitatis centro firmiter inhaerentes perfectissimae inter vos animorum coniunctionis inclyto Galliarum regno omnique christiano populo exemplum pulcherrimum praebuistis: qua in re cum illustrium Galliae Antistitum erga Romanam Sedem studium mutuamque caritatem aemulati fueritis, sicut illi decessorum nostrorum, et vos laudes nostras fuistis promeriti. Alloqui igitur lubet universam congregatorum istic sacerdotum fraternitatem, iisdem verbis, non quidem monendo sed gratulando, quibus olim in sua ad Romanos Senatores epistola usum fuisse legimus S. Avitum Viennensem: laetari nos, quod in Ecclesia vestra Petri Sedem diligatis, atque illud unum quam maxime cupere ac precari, ut quod vobis posse praestitit Deus, ad maiorem christianae pietatis laudem, ad ecclesiasticae disciplinae tutelam, ad ipsius reipublicae tranquillitatem unanimi-

ter impendatis. Summa haec est obsecrationum, consiliorum, atque totius apostolicae nostrae sollicitudinis. Sunt haec desideria ac vota carissimi in Chr. filii nostri Ludovici Francorum Regis Christ. qui catholicae fidei et apostolicae Cathedrae amantissimus opem praesidiumque suum uti optimus Princeps Ecclesiam Dei desiderare non sinit; haec autem si effeceritis, quemadmodum sapientiae vestrae fidentes dubitare non possumus, non tantum coagmentata inter vos concordia consistet, verum etiam reintegrata per universam Galliam ecclesiastica pax veteres aegritudines omnes absterget, nostraeque villicationi ac vestrae fructum dabit uberrimum; quod cum toto corde ominemur, assiduisque precibus ac sacrificiis nostris a bonorum omnium largitore Deo apprecemur, apostolica benedictione nostra ven. fratres ac dil. filios peramanter complectimur. Datum Romae die 18 Iunii 1760. — **Bullarii R.** *Continuatio.* I. 301. 335.

951.

Clemens XIII PP. electionem Patriarchae Antiocheni **Graeco-Melchitarum** in praeiudicium Sedis Apost. factam irritat, aliumve Patriarcham nominat, A. 1760.

MON. Quam cara semper fuerit *Antiochena* Ecclesia Romanae, S. Innocentii ad Alexandrum Antiochenum verba satis ostendunt, qui hoc uno eam dixit esse minorem, quod illa quidem Petrum Apost. Principem ‚in transitu possidere' meruerit, haec vero ‚susceptum apud se consummatumque' gavisa fuerit. Porro hanc ob causam Romani Pontifices decessores nostri maximopere gavisi sunt, ubi venerabiles illius reliquias in *Graeco-Melchitis* vere orthodoxis, errorum schismatumque tenebris discussis, reviviscere, ac reflorescere conspexerunt, laetati insuper, quod postmodum in catholicae fidei unitate ac veritate permanserint. Quoniam vero nullum in terris gaudium est, quod amaritudine aliqua non permisceatur, hanc ipsi aegritudinem propter peccata nostra persensimus, accepto nuncio divisionis inter nationem istam nuperrime subortae, occasione abdicatio-

nis Patriarchae Cyrilli huius nominis tertii, consequentisque in eius locum sacerdotis Ignatii designationis: quod quidem negotium cum discutiendum delegaverimus nonnullis ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus Congr. Fidei Propagandae, auditis procuratoribus hinc et inde Romam missis, censuerunt: *Cyrilli Patriarchae abdicationem nullam atque irritam fuisse, quia factam nullo prius ab Apost. Sede permissu obtento, cum haec dicti Patriarchae electionem confirmavisset, ac praevio consveto iuramento Pallii honore eundem honestavisset;* pari enim de causa non absimilem renunciationem Iosephi primi Chaldaeorum Patriarchae nullam irritamque sub finem praeteriti seculi decreverunt. In hac autem *eo gravius peccarunt Melchitae Eppi electores, cum ad electionem devenire veriti non sint nullo habito respectu neque appellationis a quatuor Eppis ad Apostolicam Sedem delatae,* neque aetatis annorum 27, quae sola praeter cetera illum ab eppatu repellere debuisset. Interim vero cum dictus Patriarcha Cyrillus viam universae carnis ingressus fuerit, nova electio in eiusmodi circumstantiis ad Apost. Sedem devoluta est, quae propterea secundum sacros canones et antiquissimam consvetudinem Patriarchali Ecclesiae de persona sibi benevisa debet ex integro providere. Quamobrem urgente Ecclesiarum omnium sollicitudine a Pastorum Principe Iesu Christo infirmitati nostrae imposita, nos, qui paterna caritate Graeco-Melchitarum nationem amantissime complectimur, inhaerentes consilio memoratae Congregationis, nec non motu proprio — *abdicationem bonae memoriae Patriarchae Cyrilli nullam et irritam declaramus, quemadmodum etiam dictum sacerdotem Ignatium suspensum ab exercitio ordinum,* reservata nobis facultate eundem absolvendi, postquam is sincerae poenitentiae signa ediderit, *nec non illius electionem nullam pariter, irritam, inanem, ac nullius roboris et momenti esse et fore declaramus.* — Datum Romae die 1. Aug. 1760. — **Bullarium** *Congr. de Prop. Fide.* IV. 31.

952.

Clemens XIII PP. obiurgat AEppum **Trevirensem**, quod appellationes ad Nuntium Coloniensem impediat, A. 1761.

MON. Ex iis, quae ab initio Pontificatus nostri usque adhuc tibi exhibuimus, paternae benevolentiae argumentis equidem sperabamus, duros et amaros nuncios de ista Trevirensi Curia ad nos quotidie afferendos non fore; nam ut omittamus, quae de Limburgensi sacerdotio latius alias fraternitati tuae perscripsimus; in aliis, quas tibi postmodum dedimus, literis de Coloniensi Nuntio quidquam leviter attigimus firma spe freti, quod nostra facilitate et Apost. Sedis indulgentia captus eius dignitatem in Apostolico Nuntio per administros tuos violari permissurus non esses. Sed quae postmodum non sine magno animi nostri dolore rescivimus, de hoc prolixius scribere adigunt, ne apostolicae servitutis muneri, quod nobis imposuit Deus, deesse turpiter videamur. Audivimus, *Commune* quoddam *Wolwart* nominatum, minis et pecuniaria mulcta *prohibitum*, *ne causam, pro ludimagistro apud se retinendo in secunda instantia coram Apostolico Nuntio prosequeretur;* idem contigisse Capitulo Collegiatae S. Floreni Confluentiae in alio praedii cuiusdam iudicio, quod Collegium istud ecclesiasticum sibi pertinere aiebat; demum *sacerdotem Ioannem Gerardis*, *quia ad Apost. Nuntium appellaverit*, *sacris fuisse interdictum.* Quae quidem agendi ratio levibus adeo adminiculis vult excusari, ut facile omnes intelligant, initum isthic consilium, appellationes omnes ad Apost. Nuntium per vim ac metum impediendi. *Numquid igitur Clerus ac populus tuus solo primae instantiae iudicio, quod locorum Ordinariis a Tridentina Synodo attributum est, contentus esse debebit? numquid is, qui laesus est, vel qui se laesum putat in prima instantia, confugere nequibit ad Apost. Sedem, quae isthic per Coloniensem Nuntium repraesentatur, an potius cogendus erit ab eodem in eundem Iudicem appellare, vel amarissimo silentio rationum suarum momenta*

comprimere? numquid tandem quam dedit Ecclesiae tuae misericors Deus secularem potentiam, convertes ad Apost. Sedis antiquissima iura et decora minuenda? Non possunt haec in AEppum tui similem cadere; sunt enim et ecclesiasticis regulis adversa, pietati et prudentiae tuae indecora, et commisso populo et Clero aerumnosa. Comprime igitur ea, qua polles, auctoritate eiusmodi ausus ac novitates, quas pro iniuncto pastorali officio nefas esset dissimulare; quam magnum te sacramentum obstringat, ad Apost. Sedis dignitatem tuendam, in mentem revoca, teque sic ostendito, ut Ecclesiae omnium matris atque magistrae benevolentia omnes te dignum existiment; atque interea apost. benedictionem tibi peramanter largimur. Datum Romae die 16. Sept. 1761. — **Bullarii R.** *continuatio.* Romae. 1837. II. 207.

953.

Eppi Galliae de S. Sedis Apostolicae auctoritate in Comitiis A. 1761. magnificam edunt enunciationem.

MON. — Super hunc montem S. Sedis pascimur et nos, ait S. Augustinus ad populum suum, inibi nos vobis pascua porrigimus, simulque accipimus. *In hoc loco Dominus docet, et ideo statuimus,* verba Tertulliani usurpantes, *hic, nempe, in Romano Pontifice, nostram fidem obfirmare, nullam aliam fidem quaerendo.* — **Iura S. Sedis Romanae.** Colon. 1797. p. 108.

954.

Vicarii Apostolici G. R. Unitorum Munkacsiensis sermo de S. Unione, et signanter de Primatu Rom. Pontificis, A. 1761.

MON. Duplicis ordinis ante Christi adventum fuisse in terra populum S. Scriptura non in uno testatur loco, alterum iudai-

cum, gentilem alterum. — Hunc populum utrumque ut Deus, qui omnes homines vult salvos facere, in unum ovile seu in unam salvificam fidem colligat, misit primo prophetas voluntatis suae nuncios et declaratores, quibus dignus non erat mundus: alii enim ex illis lapidati sunt, alii secti, alii in occisione gladii mortui sunt. Quapropter novissime misit ad eos Filium Unigenitum, ut omnis, qui credit in eum, non pereat sed habeat vitam aeternam. — Venit igitur Christus in mundum, et circuibat Galilaeam, et Samariam, vicos, et plateas, pagos et civitates, sementem verbi Divini spargendo, hos ut bonus paterfamilias ad vineam suam vocando, illos ut rex magnus ad nuptias invitando; istis coenam magnam apponendo, illis denarium vitae aeternae promittendo vix non ubique subsequentibus signis, sicque oves, quae perierant, in unum colligebat ovile. Nec hoc satis: misit ex eis, qui salvati sunt, Apostolos in mundum universum, ut praedicarent Evangelium omni creaturae. — Et quia unum Deum, unum Christum, unum baptisma, verbo unam praedicaverunt fidem, factum est, ut totius orbis fideles eiusdem fidei dogmatibus in sincera caritate, quae est vinculum perfectionis, in unum quasi colligati, unum mysticum effecerint corpus, cuius caput est Christus, membra vero ipsi fideles. — Et haec est *unio* illa, quae vos parum intelligentes scandalisat, putantes unionem aut novam significare fidem, aut diversos inter ritus eandem consistere non posse. Unio autem non novam aliquam religionem, verum in fide a Christo tradita omnium in omnibus eundem sensum et professionem significat. Neque rituum varietate dissolvitur aut immutatur. Unus Dominus, inquit S. Paulus, una fides, unum baptisma. Nuspiam autem unum ritum esse dicit, quod si diceret, nec quidem inter ipsos Graecos una esset fides, cum idem ritus non servetur ab omnibus. — Fide utique salva et intacta, ab initio dicebatur alia Ecclesia Graeca, alia Romana, non quod haec aut illa aliam servaverit fidem, verum quod utraque diversos habuerit ritus, partim ab ipsis Apostolis, partim vero ab eorum successoribus SS. Patribus institutos. De quo seu de unitate fidei inter Graecos et Romanos non obstante ritus diversitate si dubitatis, interrogate de semitis antiquis, sed non pseudo-apostolos, qui sunt operarii subdoli transfigurantes se in apostolos Christi, — interrogate a patribus vestris, qui per Evangelium genuerunt vos, Christi Apostolos, et quidem primo. Interrogate

secundo sanctos Dei homines, Patres nempe Ecclesiae Orientalis, qui S. Spiritu afflati locuti sunt. Interrogate tertio septem Concilia in Oriente celebrata. Denique ipsos Graecos Imperatores interrogate, quae sit via bona et de semitis antiquis, quibus illi incedentes invenerunt refrigerium animabus suis: et omnes uno ore dicent vobis, se via unionis in fide cum Romanis pervenisse ad coelum. Quorum responsa donec ego ex eorum scriptis vobis protulero, tam attente audite, quam libenter salvi esse cupitis.

Inter Patres, qui per evangelium genuerunt vos, primus se offert S. Lucas Evangelista, qui in die pentecostes Spiritus S. super apostolos adventum et eorum praedicationem describens, haec habet: ‚Erant, inquit, in Ierusalem habitantes Iudaei viri religiosi ex omni natione quae sub coelo est etc.‘ De quibus omnibus *Petri* Apostoli sermonem audientibus haec subiungit ibidem S. Lucas: qui receperunt sermonem eius, baptisati sunt — multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una. Ecce diversissimae nationes quam arcte quamque sincere fidei vinculo fuerant inter se unitae! — Sed audite ultro S. Paulum, qui Corintho ad Romanos epistolam scribens ait: ‚Salutant vos omnes Ecclesiae Christi,‘ Graecae nempe Romanos; et vicissim Roma ad Philippenses Graecos scribens dicit: ‚Salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Caesaris domo sunt;‘ ac iterum Roma scribens Hebraeis ait: ‚Salutant vos de Italia fratres.‘ Audite et S. Petrum, qui ex eadem urbe Romana scribens ad Ecclesias Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithiniae dicit: ‚Salutat vos Ecclesia, quae est in Babilone collecta, per Babilonem intelligendo Romam, ut S. Patres interpretantur. En quomodo Graeci salutabant Romanos, Romani Graecos, imo fratres sese compellabant, adimplentes illud Christi dictum: ‚Vos autem omnes fratres estis.‘ En quam vere quamque sincere uniti fuerint; si causam scire cupitis, audite verba S. Pauli, et quod hucusque ignorastis, ediscite: ‚fides vestra, hoc est, Romanorum, annunciatur in universo mundo;‘ per fidem itaque et in fide non tantum Graeci sed totus mundus christianus unitus fuit cum Romanis, quorum fides in universo annunciabatur mundo. Licet enim Hierosolymis coeperit Christi fides praedicari, *Roma* tamen dicitur annunciari, quia *Petrus, super quem Christus Ecclesiam suam aedificavit*, Romae illam non tantum verbo docuit, sed et sangvine ibi pro ea fuso confirmavit relicta Ierosolyma,

cuius secundum Christi vaticinium nec lapis super lapidem mansit, et nunc sub iugo Turcico misera gemit. En in Scriptura S. semitae antiquae Unionis fidei inter nationes, et cumprimis Graecos inter et Romanos habitae; negate, si audetis, fidem SS. Lucae, Paulo, et Petro Patribus vestris et per Evangelium Christi genitoribus. Quibus an *SS. Patres Graeci* consentiant, interrogate, dicent vobis, et primo quidem *S. Polycarpus* Ioannis Evang. discipulus, Smyrnae in Asia Eppus, natione Graecus ipso facto se cum Romanis in fide unitum fuisse dicet vobis. Nam hic Sanctus, teste Eusebio Eppo Caesareensi itidem Graeco, Romam ad Patriarcham Anicetum venit, de Paschate celebrando, deque aliis nonnullis tractaturus cum eo, ibique honoris gratia liturgiam facere permissus, dato et accepto caritatis osculo a nominato S. Patriarcha ad suos reversus est in pace. Secundo loco respondebit vobis *S. Dionysius* Corinthiorum Eppus, et ipse Graecus, qui apud eundem Eusebium haec de Romanis scribit: a principio, inquit, moris est vobis, fratres omnes variis iuvare beneficiis, multisque ecclesiis, quae sunt per diversa terrarum loca, cuncta quibus indigent destinare, beatus vero Eppus vester Soter non solum servavit, quae Patres tradiderunt, sed et auxit in melius; qui non tantum sanctis quae usus corporalis poscit impertit, verum et advenientes fratres clementi satis et mitissimo solatur alloquio, et tamquam pium ac religiosum patrem singulis se exhibet. Interrogate tertio *S. Basilium, Gregorium Nazianzenum*, illum ut Caesareae in Cappadocia Eppum, hunc ut Patriarcham CPnum: et primus quidem respondebit vobis eandem fidem fuisse suo tempore Seleuciae, CPli, et Romae. Alter vero fatebitur non tantum fidem Romae erectam fuisse antiquitus et rectam perseverasse suo tempore, sed etiam quod devinciat pio nexu, quaecunque sol labens videt. Porro si *S. Athanasii* vitam inspexeritis, videbitis eum semel atque iterum Romae apud Iulium Papam conversatum, et cum illo in omnibus fidei rebus communicantem. Denique ut innumeros alios omittam, interrogate, quaeso, columnam illam et lucidissimum Ecclesiae Orientalis solem *S. Ioannem Chrysostomum*, et quid senserit de Roma et Romanis, dicet vobis: non est, inquit, tam lucidum coelum, dum radios exmittit sol, sicut urbs Roma, duo haec (Petrum et Paulum App.) lumina ubique per universum exmittens.' — Verum quid ego vos ad unum alterumve Patrem de investi-

gandis semitis antiquis unionis relego? interrogate omnes illos in Spiritu S. ad Concilia congregatos. Interrogate, an non uno corde et una anima cum Romanis contra haereticos pugnaverint? — Et dicent vobis: Primo quidem 318 patres a. 325 *Nicaeae* in Bithynia contra Arium congregati se cum Osio Cordubae in Hispania Eppo, Victore item et Vincentio Romanae Ecclesiae presbyteris, et Silvestri Patriarchae Romani legatis condemnasse Arium; — secundo 150 patres contra Macedonium CPnum Eppum a. 381. *Constantinopoli* congregati, qui unita voluntate cum Damaso Patr. Romano — nominatum Macedonium qua haereticum damnarunt; — tertio 200 contra Nestorium *Ephesi* a. 430 congregati, qui unitis viribus cum Coelestino Patriarcha Romano dictum haereticum anathematisarunt, praesidente nomine Patriarchae Romani Cyrillo Patriarcha Alexandrino, usquedum novi Romanae Sedis advenissent legati, qui ubi Coelestini Papae literas Concilio legendas tradidissent, unanimi voce acclamatum est a Concilii Patribus: novo Paulo Coelestino, Coelestino custodi fidei, Coelestino cum Synodo concordi universa Synodus gratias agit. Dicent quarto 636 patres a. 451. *Chalcedone* contra Eutychen, et Dioscorum Alex. Patr. congregati, qui cum S. Leone Romano Patriarcha — non tantum dictos haereticos damnarunt, verum etiam uno ore ad epistolam S. Leonis, dum legeretur, acclamarunt dicentes: Haec est fides Patrum, haec Apostolorum fides etc. — Dicent et illi 165 patres, qui rursus *CPli* a. 553. Origenis errores condemnarunt; quam condemnationem suis firmaverunt decretis Pelagius II. Martinus I. et Gregorius M., omnes Romani Patriarchae; — dicent sexto iterum 289 patres contra Monothelitas a. 683 *CPli* congregati, qui praesidentibus Agathonis Rom. Pontif. legatis — fatos haereticos diris devoverunt. Denique 350 patres iterum *Nicaeae* a. 787. contra iconoclastas congregati dicent vobis, se unitis viribus cum Adriano Papa, cuius legati — primum in Concilio tenebant locum, nominatos haereticos ab Ecclesiae communione repulisse. — Ultimo si placet, interrogate ipsos Graecos Imperatores, an illi via unionis in fide cum Romanis incesserint? et statim magnus ille Theodosius Imp. dicet vobis ex epistola sua, quam scripsit ad Damasum Papam Patr. Romanum, in qua statuit dicens: cunctos populos, quos clementia nostra regit, in tali religione volumus

versari, quam D. Petrum tradidisse Romanis Religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque sequi clare docet.' Dicet et Iustinianus Imp. ad Ioannem Romanum Papam ita scribens : omnes sacerdotes universi orientalis tractus et subiicere et unire sedi vestrae sanctitatis properavimus, non patimur quidquam, quod ad ecclesiasticum statum pertinet, ut non vestrae innotescat sanctitati, quae caput est omnium S. Ecclesiarum.' —

Ecce, carissimi, quam vera et quam sincera fuerit in fide unio Graecos inter et Romanos, simul nempe conveniebant ad Concilia, unanimiter pugnabant contra haereticos ; nulla distinctio fuerat inter sanctos, ipsi Imperatores ut filii Patres venerabantur Romanos Pontifices. Tunc, tunc unio fuit, unum ovile, unus pastor, et una fides, sicut Deus unus, et unum baptisma, non obstante rituum et caeremoniarum diversitate. Nunc e contra, o sangvineis lacrimis digna coecitas! dilacerata est inconsutilis vestis Christi! divisa est Christi sangvine quaesita Ecclesia! scissa est, ut moriente Christo templum Ierosolymitanum, fides illa unice salvifica, quam ipse Dei Filius docuit, Apostoli praedicarunt, Martyres sangvine suo firmarunt, S. Patres voce et Scriptis contra portas inferi propugnarunt, denique unio in fide, et caritate, pro qua idem Unigenitus Dei Filius oravit, quam S. Paulus per nomen D. N. I. C. commendavit, pro qua plurimi S. Patrum exilia passi sunt, carceres sustinuerunt, sangvinem fuderunt, animas ipsas ut boni pastores posuerunt. Illa, inquam, per 900 fere annos sollicite custodita unio, non tantum iam non servatur, sed velut satanica vox a nonnullis horretur, cum evidenti eorumdem aeterna damnatione, quod iterum sangvineis lacrimis dignum. His intellectis scire, non dubito, cupitis, dilecti filii, quisnam ille fuerit, qui tam diu tamque sincere ab omnibus S. Patribus Graecis custoditam cum Romanis in fide unionem turbaverit, rescideritque et qua ex causa? dicam, si tamen me dolor loqui permiserit. Res sic accidit : Circa annum a reparata salute 854. *Bardas* Theodorae Imperatricis frater, et Michaelis Imp. avunculus, repudiata legitima uxore, cum nuru sua vidua turpiter miscebatur; quod cum S. *Ignatius* Patr. CPnus rescivisset, ac saepius ut a flagitio desistat, eum monuisset, tandem nihil proficientibus monitis ipso die Epiphaniae eum a sacra mensa repulit, sacrisque interdixit. Hoc videns Bardas, ut alter Herodes contra Ioannem Baptistam, furere coepit contra S. Ignatium nec

quievit eousque, donec eundem ex throno Patriarchali deiecisset, surrogato in locum eius *Photio* eunucho, qui intra sex dies ex seculari factus est Patriarcha CPnus, ordinatus a Gregorio Syracusano Eppo, quem S. Ignatius de criminibus convictum damnaverat. — Et hic primus initia dedit scissioni numquam satis deflendae. Eum circa a. 1042. secutus est *Michael Cerularius* Patr. CPnus, — Ecclesiamque Orientalem ab Occidentali penitus separavit. — Rediverunt quidem iterum ad unionem Graeci cum Romanis in C. Lugdunensi circa a. 1275. at rursus ab ea defecerunt. Rediverant et in Synodo CPna tempore Ioannis Becci Patriarchae, ac iterum ab ea recesserunt. Tandem 1439. in C. Florentino ultimo uniti sunt, — excepto *Marco* Ephesino Eppo, qui — contra initam cum Romanis unionem debachari coepit, eamque contra Imperatoris et complurium Epporum conatum rescidit penitus, Photii et Cerularii erroribus non modo renovatis sed et adauctis. Verum, o inscrutabilia Dei iudicia! vix quatuordecim ab unione inita cum Romanis elapsi sunt anni, cum tot tantorumque Imperatorum sedes urbs CPoleos, in Turcarum potestatem venit, una cum totius Orientalis Imperii mole; ita nempe iustissimo Dei iudicio factum est, ut, quos pudebat Christi Vicario Romano Pontifici in terris subesse, nunc Mahometi subsint, qui renuebant fidem cum Romanis, nunc mansionem in Imperio pecunia emant a Turcis, qui dominari volebant Christianis, mancipia facti sunt paganorum. — Huc nempe quorumdam Patriarcharum CPnorum caeca ambitio non minus sanctam quam doctam praecipitavit Graeciam, utinam non simul et in infernum: neque enim Photius, neque Cerularius, neque Marcus Ephesinus ab ipsis Graecis pro sanctis habentur, uti habetur Ignatius, Stephanus, Antonius, et plurimi alii, qui in unione fidei cum Romanis per semitas antiquas incedentes invenerunt refrigerium animabus suis. Quod refrigerium ut et vos animabus vestris inveniatis, scire vos oportet, quaenam sint dogmata illa, in quibus nonuniti dissentiunt ab unitis, seu in quibus discrepant moderni Graeci a Romanis? En illa singillatim. Primum, quod Romanus Pontifex sit Vicarius Christi, et caput atque rector totius Ecclesiae per orbem diffusae. Secundum, quod Spiritus S. procedat a Patre et Filio tamquam ab uno principio. Tertium, quod in S. Liturgia tam vere transsubstantietur in corpus Christi panis azymus apud Romanos, quam fermentatus apud Graecos. Quar-

tum, quod animae iustorum ex hac vita migrantes mox Coelum conscendant, Deumque cum Angelis intucantur, animae vero in peccato mortali decedentium absque dilatione ad aeterna supplicia transeant: eorum autem animae, qui in peccato veniali aut poenae temporalis debito moriuntur, infernales quidem poenas evadant, in beatorum tamen sedem, in quam coinquinatum nihil intrabit, non prius admittantur, quam poenis temporalibus, ex quibus viventium suffragiis liberari possunt, ab omni macula purgentur. In his, inquam, quatuor punctis dissidium est inter Graecos modernos, et Romanos. Vos, ne decipiamini, rursus interrogate de semitis antiquis patres et maiores vestros, qui in coelo iam existentes non vos decipient, ut alii impostores, sed veritatem dicent vobis. —

— Ultimum, in quo moderni Graeci a Romanis dissident, dogma est: *utrum Romanus Patriarcha sit Vicarius Christi, et Caput totius Ecclesiae,* consequenter potestate maior Patriarchis CPno, Alexandrino, Antiocheno et Ierosolymitano? De huius articuli fidei veritate, si Scripturam, S. Concilia, Patres, et Imperatores Graecos interrogare volueritis omnes, finem vix habitura est praesens oratio. Nam unum visibile Caput, et unum rectorem in Ecclesia debere esse, et illi fatebuntur, et vos inficiari haud potestis, qui videtis nullam communitatem absque aliquo directore esse; sic enim regnum dirigitur a rege, exercitus a supremo belliduce, comitatus a supremis comitibus, civitas, oppida et pagi a iudicibus, imo quaelibet domus a suo patrefamilias. — — An de Christo id cogitare possumus, quod is post gloriosam in coelum assumtionem Ecclesiam suam ex diversis nationibus et lingvis adunatam absque omni capite et rectore permiserit? aut plures eidem cum summa potestate praefecerit? id de Christo cogitare cum ipsa sana ratio prohibeat, illud inquirendum restat, quisnam ergo post Christum sit Ecclesiae Caput, atque Rector? Respondebit ipse primus Christus *Petrum* Apostolum ita alloquens: ‚Tu es Petrus etc.' Item eidem Petro dixit: ‚Pasce oves meas.' Nec non pro fide eius oravit dicens: ‚Ego autem oravi pro te etc.' Ecce, carissimi filii, ex duodecim Apostolis super solum Petrum dicit se aedificare Ecclesiam suam Christus Dominus: illi soli committit oves suas pascendas: pro illius solius fide rogat, ne deficiat, imo ut ille alios fratres confirmet. Quid aliud, quaeso, per haec verba nobis in-

nuit, nisi quod Petrum Apostolum Caput et rectorem Ecclesiae suae constituerit? Et hoc ideo, quia, teste S. Matthaeo, omnium Apostolorum primus S. Petrus Christum Filium Dei vivi esse confessus est. Audite hac de re S. Cypriani Eppi et Martyris, qui die 2. Oct. a Graecis colitur, testimonium: ‚Super illum (Petrum) unum aedificat Ecclesiam suam Christus, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, tamen ut unitatem manifestaret, exordium ab unitate proficiscitur, et Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, et Cathedra una monstretur.‘ En Primatus Ecclesiae, et Cathedrae unitas in Petro! nec id solus S. Cyprianus dicit, verum et alii omnes SS. Patres docent. Cum itaque S. Petrus 25 annis Romae commissam sibi Christi Ecclesiam gubernaverit, ibidemque sangvinem suum pro illa fuderit, consequens est, S. Linum, qui illi successit in Cathedra, successisse et in potestate Primatus Ecclesiae; Lino S. Cletum, huic S. Clementem, et sic per omnia secula usque ad modernum Patriarcham Clementem XIII. Nec facile quis alter dubitavit de hac Romanorum Pontificum in potestate Primatus successione, praeter Lutherum et Calvinum, quorum sectam vos utique execramini. Quia tamen et moderni Graeci pernegant, Romanum Pontificem esse caput Ecclesiae, in quo cum dictis haereticis conveniunt, vos iterum ne decipiamini, non modernos, sed antiquos Patres Graecos, Concilia item et Imperatores interrogate, et omnes uno ore dicent vobis, Romanum Pontificem Caput esse Ecclesiae, consequenter maiorem aliis Patriarchis. Sic 318 Patres in C. Nicaeno congregati haec confessi sunt de Romano Patriarchatu: ‚Ecclesia Romana semper habuit Principatum.‘ In CPno I 150 Graeci Patres hunc canonem statuerunt: ‚Eppus CPnus habeat priores honoris partes post Romanum Eppum.‘ In Synodo demum Chalcedonensi 630 Patres agnoverunt et dixerunt: ‚Videmus ante omnia primatum, et praecipuum honorem secundum canones Dei amantissimo AEppo veteris Romae conservari.‘ Canon vero, secundum quem dicunt isti SS. Patres primatum conservari Romano Pontifici, inter reliquos est et ille canon quartus Concilii Sardicensis, qui sic sonat: ‚Si quis Eppus ab omnibus Coeppis depositus appellet et recurrat ad beatissimum Romanum Eppum pro iustitiae administratione, in eius interim Eppatum nemo sufficiatur, donec depositi causam exami-

nabit Romanus, finaliterque decidet.' Sic appellavit et recurrit ad Romanum Patriarcham Iulium S. Athanasius Alex. Patriarcha, S. Chrysostomus CPnus Patriarcha ad Innocentium Papam, Theodoretus ad Leonem, Maximus ad Martinum, S. Ignatius ad Nicolaum Pontificem: quod utique non fecissent, nisi potestatem Romani Patriarchae supra se agnovissent: uti numquam recurrerunt et appellarunt Romani Pontifices ad Patriarcham CPnum aut aliquem alium. Patres, ne infinitus sim, in testimonium vocare praetermitto: sufficiat ex illis S. Irenaeus, qui sic scribit: ‚Ad Ecclesiam (nempe Romanam) propter principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, qui sunt undique fideles.' Item S. Cyrillus Alex. in hunc modum scribens: ‚Oportet nos tamquam membra Caput sequi Romanum Pontificem et Apost. Sedem, a qua debemus petere, quid credere et sentire debeamus, ac tenere: quia ipsius est tantum confutare, redarguere, confirmare, et ligare.' Nec non S. Theodorus M. Studites ita ad Rom. Pontificem Paschalem scribens: ‚Audi Apostolicum Caput a Deo electe, Pastor ovium Christi, claviger regni coelorum, petra fidei, super quam aedificata est Catholica Ecclesia. Nam tu es Petrus, Petri Sedem exornans, et gubernans; tibi namque dixit Deus Christus noster: et tu quandoque conversus confirma fratres tuos.' Item ad Michaelem Imp. ita loquitur: ‚Si vero aliquid dubitare, vel non credere videtur vestrae divinae magnificentiae, eius rei explicatio a Pontifice pie expostulanda est. Iubeat a Veteri Roma capere declarationem, ut a principio a Patribus nostris est traditum. Ea, o Christi imitator, Imperator, inter omnes Ecclesias Dei summum et supremum obtinet locum, cuius Petrus tenuit primam Sedem.' Horum aliorumque SS. Patrum testimoniis subscribunt Graeci, Romani Patriarchae super omnes alios Primatum agnoscentes, et declarantes ut potestatem ab ipso Christo Domino institutam. Quos inter primus ille Christianus Imperator Constantinus M. sequentem in modum de Romano Patriarcha, qui tunc S. Silvester erat, et eius successoribus scribit statuitque: ‚Volumus ipsum (Silvestrum) Principem Apostolorum, et successores ipsius ex eius persona primos apud Deum esse patres et defensores. Et sicut nostra imperialis potestas in terris colitur et honoratur, ita eius S. Romanam Ecclesiam veneranter honorari decernimus, et amplius, quam nostrum imperium, terrenumque thronum, sedem sacratissimam beati Pe-

tri gloriose exaltari. Sancimus etiam, ut principatum teneat, tum super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Ierosolymitanam, CPnam, quam etiam super omnes in universo orbe terrarum Ecclesias Dei; et Pontifex, qui per tempora ipsius S. Romanae Ecclesiae extiterit, celsior et princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, et eius iudicio quae ad cultum Dei vel fidem Christianorum, vel stabilitatem procurandam pertinent, disponantur. Aequum enim est, ut ibi divina lex obtineat apicem et primatum, ubi S. Legislator Christus Iesus Salvator noster beatum Petrum iussit Cathedram tenere, et ubi is crucis patibulum passus beatae mortis calicem bibit.' Subscribit huius sancti et magni Imperatoris declarationi Iustinianus Imperator, et in Nov. 1030 haec dicit: ‚Sanctissimum Veteris Romae Papam primum esse omnium sacerdotum, CPnum vero secundum locum obtinere post Apost. Sedem.' Taceo alios pientissimos Orientis Imperatores, qui Romani Patriarchae super omnes potestatem agnoverunt et professi sunt. Ex hucusque enim adductis SS. Conciliorum, Patrum, atque Imperatorum testimoniis liquido et clare intelligere potestis, Romanum Patriarcham Vicarium esse Christi, Caput, et Rectorem Ecclesiae per universum diffusae. —

— Ex quibus omnibus istud consequitur necessarium, quod unio cum Romanis in fide, non in ritu, sit necessaria ad salutem, quodque sine illa nemo salvus esse possit. Teste enim Apostolo Paulo fides Romanorum annunciatur in universo mundo, quia fides eorum fuit fides Pauli, ut ipse scribens dicit: ‚desidero simul consolari in vobis per eam, quae invicem est, fidem vestram atque meam,' quae utique fuit catholica, et illa, de qua ipse Christus dixit, quod portae inferi non praevalebunt adversus eam, et pro qua oravit, ne deficiat. Cum itaque eodem Apostolo teste sine fide impossibile sit placere Deo, et sit tantum unica, ut unus Deus et unum baptisma, clarum est extra illam salutem neminem consequi posse. Ipsi enim iudicate, carissimi filii, an membrum a Capite et corpore divulsum vivere possit? an ramus ab arbore resectus fructificare queat? an rivulus a fonte praeclusus fluere valeat? Non utique, ut ipsi experimini: atqui teste S. Cypriano Ecclesia super Petrum fundata est unum corpus, nos vero membra, est arbor, nos rami, est fons, nos rivuli. Nulla itaque nobis spes salutis, si ab ea rescindamur. Nam, ut idem S. Pater dicit, non pervenit ad Christi proemia, qui reliquit

Christi Ecclesiam. Et haec causa fuit, filii dilectissimi, quod ipse Christus Patrem coelestem, ut omnes fideles in unitate fidei conservet, his oraverit verbis : ‚Pater sancte, serva eos in nomine tuo etc.‘ Ioann. 16, 11. Quod ipsum et discipulus eius Paulus Apostolus his verbis a Corinthiis, et omnibus Christifidelibus petiit: ‚Obsecro vos, fratres, per nomen D. N. I. C. ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.‘ Haec fuit causa, quod tam sollicite tamque illibate Graeci cum Romanis unionem in fide conservaverint semper, ut intellexistis ex testimoniis S. Scripturae, sacrorum septem Conciliorum Generalium, SS. Patrum, et Imperatorum Graecorum. Quia nempe sciverunt unum esse ovile et unum pastorem, Christum quidem in coelis, Romanum vero Patriarcham eius Vicarium in terris, cuius potestati et directioni dum Photius, Cerularius, Marcus Ephesinus, et sequaces eorum contra Christi praeceptum et SS. Canonum statuta subesse noluerunt, non tantum ex ovili Christi exiverunt, sed et totum Orientem in Turcarum potestatem redegerunt. Felices illi, qui in Conciliis Lugdunensi et Florentino ut errantes oves ad suum Pastorem rediverunt, omnia illa professi, quae ab Apostolorum tempore per 900 fere annos tota profitebatur orthodoxa Graecia; illi e contra infelicissimi, qui absque Capite et directore quid credant, quidve observent, ignorantes, hinc inde oberrant, similes ovibus illis, quae pastoribus destitutae, ubi minime opinantur, in praedam cedunt lupis. Quapropter, filii dilectissimi, qui hoc maxime anno eratis sicut oves errantes, sed conversi estis nunc ad Pastorem et episcopum animarum vestrarum, state in fide, quam patres et maiores vestri tenuerunt, nec ad dextram nec ad sinistram declinantes etc. — *Sermo de sacra Occidentalem inter et Orientalem Ecclesiam unione, quo* **Michael Manuel Olsavszky** *Eppus Rossensis, Vicarius Apostolicus Munkacsiensis etc. Comitatus Szathmariensis populum, per Sarabaitam quemdam, qui Sophronium se nominabat, ad schisma concitatum et relapsum, a. 1761. ad reassumendam S. Unionem cum optato successu exhortatus est.* Tyrnaviae. 1764.

955. 956.

Clemens XIII PP. admonet AEppum **Toletanum** erroris, quem per translationem ieiunii auctoritate duntaxat episcopali factam commiserat. A. 1762.

955. Et paternus amor, quo te complectimur, et impositum humilitati nostrae apostolicae servitutis officium ea nos dissimulare non sinunt, quae et regulis antiquissimis minime consentanea sunt, et Apostolicae Sedis dignitati contraria; ac proinde diffiteri non possumus, non sine moerore accepisse nos, in ista Toletana dioecesi *ieiunium pervigilii S. Matthiae Apostoli in proxime antecedens Quinquagesimae Sabbathum Eppali auctoritate translatum.* Siquidem ignorare non poteras gravissimam animi nostri reluctantiam in eo ieiunii die commutando, ne, quod ecclesiastici ritus est, baccanalium turbis, quas impura superstitio invexit, et cum abolere nondum penitus queat purissima Christi Sponsa detestatur et fletu prosequitur amarissimo, concedere locum eamque ob causam sua sede dimoveri videretur. Neque tibi pariter incognitum esse debuerat, quod eximiae pietati carissimi in Chr. filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici plurimum fidentes eiusmodi petitionem pro se et aulico comitatu per dil. filium Emanuelem Roda Regium Ablegatum nostrum delatam censuimus aequam, eidemque indulsimus id, quod alteri praeterea nemini concessum a nobis fuit; quae quidem a tanto Rege Apostolicae Sedi facta petitio nonne satis erat ad ostendendum, *soli Romano Pontifici pertinere, ieiunium in Ecclesia universa receptum*, cuius etiam mentio Corpori Canonici Iuris fuit inserta, *in alteram diem transferre?* Ac demum eaedem ipsae encyclicae literae sanctae memoriae Benedicti XIV, quibus eiusmodi translationem tum elargiri non renuit, si prae manibus sumantur, hoc ipsum non comprobant apertissime? Quare de moerore nostro, dil. fili, mirari non debes, qui eo gravior fuit, quo cogitabamus te et S. R. E. Cardinalem esse, et tam insignis Ecclesiae AEppum Hispanicae nationis, quae Romanae

Cathedrae observantissima semper fuit. Verum haec eadem cogitatio nos pariter consolatur; certo enim certius fore confidimus, ut quae paternae caritatis impulsu duximus perscribenda, pro tua egregia in nos voluntate et in Apost. Sedem obsequio aequi bonique facias, ac interea apost. benedictionem etc. Datum Romae die 4 Mart. 1762.

956. *Alterum Breve ad eundem AEppum, postquam suam excusationem ad Sedem Apost. miserat, editum.* Perlibenter legimus literas tuas pridie Cal. Apr. ad nos datas, quibus de lege ieiunii a pervigilio S. Matthiae in alterum diem translati te nobis diligenter purgare voluisti. Etsi vero quidquid de sanctissimis maiorum institutis et veteri Ecclesiae disciplina immutatur, Romano Pontifice inconsulto, Romano ipsi Pontifici gratum ratumque esse minime possit, fecerunt tamen eaedem tuae literae, ut si quid nobis eam ob rem aut suspicionis aut offendiculi insederit, statim depositum esset ac stirpitus evulsum ex omni memoria vitaque nostra. In iis enim omni ex parte elucebat Hispana, hoc est, egregia et singularis erga nos atque Apost. Sedem observantia et fides: praesertim cum de concepta aegritudine nostra te vehementer sollicitum esse ac praecipuo quodam dolore angi significaveris. Neque nos quidem vicem non rependimus, teque, dilecte fili noster, paterna benevolentia atque intimo amoris et caritatis nostrae sinu complectimur, arctiusque etiam quam antea devinctum tenemus: nam pro tua eximia prudentia optime intelligis, quam intersit ad bene feliciterque gubernandam Ecclesiam, his praesertim turbulentissimis temporibus, quacunque communis eorum consensus et conspiratio, qui nobiscum sedent ad puppim. Itaque sic existimare debes, te nobis esse carissimum, idque ut omnes homines intelligant, nos, si occasio ferat, operam et studium libentissime posituros; atque huius nostrae erga te benevolentiae obsidem damus apost. benedictionem, quam tibi, dil. fili noster, peramanter impertimur. Datum Romae die 12 Maii 1762. — **Bullarii R.** *continuatio.* II. 226. 242.

957. 958.

Synodus schismatica Ultrajectina A. 1763. de Primatu Romani Pontificis.

INTR. Iansenistici erroris sectatores Ultraiectini, quo S. Sedem Apostolicam ad ineundam secum concordiam facilius permoverent Synodum Ultraiecti a. 1763. celebrarunt: in eaque non tantum Primatum Rom. Pontificis professi sunt, verum etiam librum ‚Petri le Clerk' Galli Iansenistae, Primatui infestum, condemnarunt; actis Synodi tum ad Clementem XIII Papam, tum ad omnes orbis Eppos transmissis. Quidnam Summus Pontifex de actis pseudo-synodi huius decreverit, paulo inferius servato ordine chronologico, occurret; hic satis sit animadvertere: Ultrajectenses in ipsis suis decretis de Primatu conditis non genuinam Ecclesiae Catholicae doctrinam proponere, sed adoptato Richerii systemate ‚ministeriale' duntaxat Caput in Romano Pontifice agnoscere.

957. MON. *Decr. II.* — Declarat S. Synodus: 1. Ecclesiam visibilem a Christo fundatam esse unam, sanctam, catholicam, et apostolicam, quae nec a caritate decidere potest, nec ab orthodoxa fide deviare. 2. Aliud esse schisma, aliud haeresim, et ideo verae et orthodoxae fidei professionem non esse proprie centrum exterioris communionis, quae debet esse inter omnia huius Ecclesiae Cath. membra, sed illud *centrum esse Cathedram Petri, ab illo Apostolo Romae collocatam,* unde unitas sacerdotalis exorta est. 3. Eum esse schismaticum et peccatorem, qui contra hanc singularem cathedram alteram collocat. 4. Praescindendae unitatis cum hac singulari cathedra aut cum Ecclesiis quae ipsi adhaerent, nullam esse iustam necessitatem. 5. Proinde Christianos Graecos, qui hanc unitatem disciderunt, et in hac scissione perdurant, sive veram et orthodoxam fidem profiteantur, sive non, esse vere et proprie schismaticos.

Decr. III. Declarat S. Synodus: 1. Apostolum Petrum a Christo Domino primatu supra ceteros Apostolos donatum fuisse, ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur. 2. S. Petrum,

in quo Primatus Apostolorum tam excellenti gratia praeeminet, propter hunc apostolatus sui primatum Ecclesiae gessisse figurata generalitate personam. 3. Eppum Romanum tamquam Petri successorem iure divino eodem primatu frui supra ceteros Eppos. 4. Hunc Primatum Romani Pontificis tamquam Petri successoris non esse tantum primatum honoris, sed etiam ecclesiasticae potestatis et auctoritatis. 5. *Romanum Pontificem tamquam Petri successorem esse iure divino Caput visibile et ministeriale Ecclesiae* fundatae a Christo, qui est Caput eius invisibile et vivificans, ac proinde eiusdem Christi primum esse in terris Vicarium, cui totius Ecclesiae cura commissa est.

958. *Epistola Synodi ad Clementem XIII PP.* Cum unaquaeque Ecclesia teneatur secundum voluntatem Dei ministerii partem tueri et implere sibi commissam a Christo Capite et Salvatore nostro, qui promisit se futurum esse nobiscum usque ad consummationen seculi, debeatque etiam intra suae iurisdictionis fines catholicam fidem, evangelicam morum doctrinam, pretiosum externae communionis vinculum, in qua una est salus, ac necessarias ecclesiasticae disciplinae leges religiose conservare: Ecclesia Batava ab Ill. Ultrajectensi AEppo canonice congregata est, ut ea fidelitate, qua semper quantum potuit et per tempora licitum fuit, muneris sui partes adimpleret. Synodalibus suis decretis omni qua par fuit maturitate prolatis sacrum illud fidei et morum depositum praestitit tutum ab exundante errorum flumine in omnes Ecclesiae partes undequaque superfuso: quod quidem a populo fidei nostrae commisso arcere numquam possemus, nisi tot tantaque mala firmissimis aggeribus oppositis iuxta usitatas omnium seculorum formulas amoliremur. Dignetur Sanctitas Vestra, Beatissime Pater, totius orbis christiani tum bonis tum malis medullitus commota, ut par est eum affici, qui visibile Ecclesiae Catholicae Caput est, dignetur, inquimus, ea benignitate immensaque caritate, qua ei a Christo mandatur confirmare fratres suos in fide, huius Synodi in Spiritu S. congregatae accipere acta fidelia. Dignetur Beatitudo Vestra, cui totius Ecclesiae cura commissa est, omnibus coram Deo rite perpensis eadem Primatus vestri auctoritate et potestate confirmare et stabilire. Haec acta perlegendo facile intelliget Sanctitas Vestra, quam sedulo tantis urgentibus periculis sumserimus scutum fidei, ad tot tantasque veritates propugnandas, et spe-

ciatim divinam hanc institutionem, qua Primatus Apostolicus ad usque Vestram Sanctitatem pervenit, quique qualis et quantus in S. Petro, in Beatitudine Vestra tam excellenti gratia praeeminet. His consideratis confidimus et speramus Vestram Sanctitatem auctoritate, cui adhaesimus semperque adhaerebimus, quam tuemur semperque tuebimur, absque ulla haesitatione confirmaturam, quae in Domino secundum Ecclesiarum nostrarum firmam certamque traditionem statuimus, sive contra novos errores ab alienigena in nostram patriam irrepentes, quibus non damnatis dubia facta fuisset nostra in catholica fide integritas, sive contra iam pluries a S. Sede Apostolica atque in pluribus Ecclesiis damnatos Harduini et Berruyerii errores, fidem totamque religionem subvertentes, seu denique contra laxiorum Casuistarum multitudinem, quos non immerito suspicamur in perniciem animarum coniurasse. Liceat nos etiam nunc in Synodo congregatos et concordibus animis ad Vestrae Beatitudinis pedes provolutos, Sanctissime Pater, deprecari vos, ut tandem Clero tam fideliter tamque religiose S. Petri Cathedrae omnibusque catholicis dogmatibus adhaerenti huius vestrae benignitatis signa demonstretis, quam confidimus et scimus vos in corde paterno gestare; sicut fraternae caritatis testimonia omni aetate a florentissimis Ecclesiae Cath. partibus opitulante Deo accepimus; ut denique vestram impertiamini nobis apostolicam benedictionem, quam humiliter ac impensissime postulamus. Datum Ultrajecti die 21 Sept. 1763. — **Acta et decreta** *II Synodi Provinciae Ultraiectensis*. Ultrajecti. 1764. p. 178. 234. 632.

959—965.

Clementis XIII PP. literae apostolicae de libro ‚Iustini Febronii' iuribus R. Pontificis adverso. A. 1764. s.

INTR. Monumenta, quae de Primatu hactenus exhibuimus, serie chronologica excipiunt illa, quae ad famosum Eppi Suffraganei Trevirensis, Nicolai ab Hontheim, librum sub nomine ‚Iustini Febronii' a. 1763. vulgatum se referunt. Quantos liber

hic motus excitaverit, quantisve literariis velitationibus ac certaminibus occasionem praebuerit : tum in opere nostro ‚de Primatu R. P. eiusque iuribus' ubertim exposuimus, tum in Literatura, quam Monumentis his subiicimus, ex professo exponemus. Praesenti loco id duntaxat observamus : eodem fere tempore, quo Febronius controversiarum, opinionum, querelarum iamdiu ante disputatarum, lacinias membratim sparsas in qualequale systema nexuit, Politicos ac Pragmaticos novum systema status et sic dictum supremum ius maiestaticum circa sacra parturiisse, Febroniique systema, velut novis suis principiis accomodum mox adoptasse, quasi foederatas iungendo manus, ut, dum Romanus Pontifex de sua auctoritate deturbaretur, Princeps civilis et maiestate et iure cresceret, iusque hoc iam fere in ipsa divinae religionis negotia et sacra extenderet.

959. MON. *Eppo Herbipolensi. 14. Mart. 1764.* Quantae tibi sit curae incolumitas huius Apost. Sedis, eiusque divina auctoritas et potestas, saepe antea animadvertimus; ac propterea summum tuum in Romanam Cathedram studium et praeclaram devotionem requirimus a fraternitate tua magna fiducia, nec dubitamus, quin egregiam in nos voluntatem tuam nunc maxime sis alacriter praestiturus. Prodiit nuper apud Germanos de potestate Pontificis liber, cuius titulus: ‚Iustini Febronii ICti de statu Ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis.' Eo quidem nomine libri huius auctor nomen celavit suum, sed infensum et male cogitantem animum apertissime prodidit. Eo enim opere scriptor sive haereticus, qualem ex ipso libro possumus suspicari, sive catholicus, qualis videri vult, Summum Pontificem ab eo potestatis et dignitatis fastigio, in quo a Christo ipso tamquam legitimus Petri successor locatus est, deiicere ac deturbare conatur. Malum autem animum suum callidus fraudum artifex, ut incautos simplicium hominum animos blandius decipiat, velo quodam ac tegumento pietatis obducit, perinde quasi opus hoc suum de minuenda sive obterenda potius Summi Pontificis auctoritate eo consilio scripserit, ut heterodoxi, qui eius amplitudini tantopere sunt infensi, placati tandem rursus, cum Romana Ecclesia, a qua sese ea maxime de causa disiunxere, coniungantur, atque unum corpus efficiant. Praeclarum sane foedus, quo non utique convertuntur haeretici, sed catholici pervertuntur. Itaque, ven. frater, plane vides, quam diligen-

ter, quam sedulo cavendum sit, ne tam pestilens liber isthuc in animarum perniciem irrepat. Et quoniam nunc temporis irreligiosorum hominum animos veluti pestilenti quodam sidere afflavit scriptitandi adversus Romani Pontificis potestatem immane studium et cupiditas prava, tuum erit ven. fr. vigilare, ne eiusmodi libri, qui fortasse in officina satanae modo cuduntur, prodeant in lucem, aut si prodierint, illico opprimantur. Novimus qui sis, quantoque animi ardore pro S. Romana Sede soleas et paratus sis dimicare. Scimus te ad aedificandam ac tuendam Ecclesiam tibi concreditam in episcopali veluti custodia summa excubare vigilantia. Quocirca satis habemus de periculo monuisse. Ipse enim per te diligentissime providebis, ne qua ex parte per diruptam sepem dolosa vulpes sese ad demoliendam vineam istam insinuet. Haec de te ven. fr. ita nobis pollicemur, ut satis securi possemus quiescere, si multos tui similes tamque egregie animatos erga sanctam hanc Sedem Apost. haberemus. Quocirca nos quoque erga fraternitatem tuam perinde ac obsequio isto tuo dignum est, affecti ac propensi nostram tibi benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae die 14. Mart. 1764.

960. *AEppo Trevirensi 14. Mart. 1764.* Quantum ex haereticorum et huic S. Sedi inimicorum libris Christiana Religio et Catholica fides acceperit detrimenti, non ignorat dilectio tua. Hi enim pervulgati et hac illac dissipati et dispersi pestem afferunt, qua fideles contacti a vera pietate et ab integritate fidei plerique desciscunt. Te non ignorare arbitramur, ven. frater, exitialem librum e latebris, quibus adhuc eius auctor delitescit, in Ecclesiam erupisse, cuius titulus: ‚Iustinii Febronii etc.‘ Hunc librum ad eandem potestatem, si fieri posset, extingvendam, et beatissimi Petri Apostolicam Sedem funditus evertendam ab homine Romanae Ecclesiae infensissimo scriptum procul ab oculis fidelium arcendum decrevimus, et ne a quoquam in posterum legatur vetuimus, veriti, ne venenati obscuri auctoris sensibus fidelis grex inficiatur, et hausto inde Romanae Sedis contemtu a dominico agro ad haereticorum pestifera pascua denique abducatur. Quamobrem te, ven. frater, obtestamur in Domino et obsecramus, omnem adhibeto curam et vigilantiam, ut quamprimum teterrimus liber a fidelium oculis et manibus submoveatur. Supervacuum existimamus dilectionem tuam monere, quanta ex eiusmodi libris sit extimescenda pernicies, qui Pe-

tram illam, super quam Christus Dominus suam aedificavit Ecclesiam, conantur suffodere. Nec cohortationis stimulos arbitramur tibi admoveri oportere ad extingvendam hanc flammam, qua in multis antea regionibus excitata salva adhuc et incolumi beatissimi Petri Sede ipsi Eppi eorumque dignitas, auctoritas et potestas miserrime conflagrarunt. Ceterum si quando innotescat, quis tam atrox et audax adversus Romanam Sedem coortus talia scripserit, eius erit Eppi, in cuius dioecesi versetur, severe in illum animadvertere. Tuam, ven. frater, in re gravissima requirentes vigilantiam, sedulitatem et fidem, eximiae erga te benevolentiae nostrae pignus apost. benedictionem etc. Datum Romae die 14. Mart. 1764. *)

961. *AEppo Moguntino, 14. Mart. 1764.* Prodiit haud ita pridem veneficus liber de statu Ecclesiae et de legitima Romani Pontificis potestate, cuius auctor sub falso nomine Iustini Febronii latere voluit in occulto; omnis enim, qui male agit, odit lucem. Et hominem quidem, qui sit catholici nominis aut saltem a Catholica Religione non alienum esse videri velit, puduisse oportuit sese prodere in lucem, cum Romanam Cathedram, cui tamquam fundamento nititur Catholica Ecclesia, funditus conatur evertere. Omnia ille ex haereticorum et huic S. Sedi infensissimorum hominum libris conquisita et depromta in unum congessit; quaedam etiam absurdissima de suo voluit adiicere, ne cuiquam inimicorum eiusdem Apost. Sedis secundus esse videretur. Nos hunc librum, quo fidelibus et praesertim hominibus harum rerum parum intelligentibus maxima offertur offensio, nuper proscripsimus; tuamque vigilantiam ven. fr. modo requirimus, ut non solum caveas, ne per manus fidelium circumferatur, sed ne in ullo quidem angulo, si fieri potest, totius tuae Dioecesis illi sit locus. Nihil autem nobis non pollicemur de tua custodiendi gregis tibi commissi sollicitudine, eiusque prohibendi a venenatis pascuis sedulitate et cura; novimus enim, quam zelo Dei et in eius Ecclesiam amore flagrantem animum geras. Ac fraternitāti tuae pro certo habemus perspectissimum esse, suffosso eversoque fundamento, quae est Cathedra Petri, omnem Ecclesiam dirui oportere; quam propterea numquam patietur pietas tua exitiali et pestifero libro labefactari. Hac igitur peste

*) Eodem tenore scriptum est Eppo Spirensi et aliis Germaniae Eppis.

Dioecesim tuam, si forte isthuc irrepserit, omni cura perpurgabis et diligentia. Id a te postulat pro salute sua et incolumitate Catholica Religio, id te ipsa etiam dignitas tua maiorem in modum efflagitat. Neque enim ignoras, *quo miseriarum semper deciderint illae Ecclesiae, quarum Eppi sibi sunt assentati, depressa Romani Pontificis auctoritate plus sibi accessurum esse potentiae et dignitatis, novarumque rerum cupidos Eppatum denique servituti et compedibus obiecisse.* Tua igitur in Ecclesiam pietate egregiaque devotione in Apost. Sedem confisi semen adeo pestiferum inimica manu in vineam Domini iactum dum speramus tua diligentia extinctum iri, apost. benedictionem fraternitati tuae omni nostri cordis affectu peramanter impertimur. Datum Romae die 14 Mart. 1764.*)

962. *Cardinali AEppo Viennensi dd. 14. Iul. 1764.* De exitiali Iustini Febronii libro non solum e fidelium manibus excutiendo, sed etiam quantum potest omnino delendo tibi scripsimus ante hos quatuor menses, tuumque erga Romanam Ecclesiam, in qua amplissimum ministerium geris, excitabamus studium, ut ad amoliendum scandalum ab eodem libro fidelibus oblatum omnem operam tuam conferres. Non dubitamus, te, dil. fili noster, id iam fecisse, quod de tua religione, pietate, et in hanc sacram beati Petri sedem egregia voluntate et fide nobis ipsi pollicebamur. Sed cum ad nos allatum sit, pestiferum librum per manus etiam Caesareae istius Aulae Procerum non sine quorumdam approbatione circumferri, Apostolici nostri muneris esse arbitramur, te alioquin ardentem et erectum ad hanc S. Sedem in hac re defendendam vindicandamque datis iterum ad te nostris literis adhortari. Itaque omni cogitatione et cura in hoc serio, dil. fili noster, incumbe, nec patiare tantum malum inveterascere, et fieri robustius, quod nascens multo facilius opprimi potuisset. Tua demum providentia, sedulitate et industria freti dum expectamus eius libri vel ipsam opera tua memoriam obsolevisse, tibi apost. bened. peramanter impertimur. Datum Romae die 14. Iul. 1764.

963. *Eppo Basileensi dd. 12. Sept. 1764.* Tanta est tui tuaeque religionis, pietatisque fiducia nostra, ut cum veneficus liber Iustini Febronii haud ita pridem prodierit in vulgus, non

*) Eiusdem tenoris Breve ad AEppum *Coloniensem* missum fuit.

putaverimus continuo tibi in primis addendos esse stimulos, quibus ad eum opprimendum vel e dioecesi tua eliminandum excitarere. Et nunc has fraternitati tuae literas damus, magis ut intelligas, de tua erga hanc Sacram beati Petri Sedem egregia devotione et fide quae nostra sit opinio, quam quod te existimemus cohortationibus nostris egere. Satis ad eam pestem ab ovibus tibi commissis propulsandam tua te sollicitudo eppalis, sedulitas et vigilantia, tuusque erga gregem flagrantissimus amor excitat. Si quid autem tibi opus fuerit fecisse aut facere, quo isthinc eiusmodi liber aut arceatur, aut de fidelium manibus excutiatur, certiores ea de re nos faciat fraternitas tua. Iucundissimum enim nobis erit novo argumento nostrum de tua religione custodiendique gregis studio comprobari iudicium. — Datum Romae die 12. Sept. 1764.

964. *Eppo Herbipolensi dd. 6. Febr. 1765.* Luculentum observantiae erga nos tuae tuique in Apost. Sedem studii officium fraternitas tua humanissime exhibuit, cum per occasionem redeuntis Dominici natalis diei et ad sua initia recurrentis anni laetissimis auspiciis rerum omnium secundarum cursum nobis ominaris, Deumque te orasse scribis, ut bonum eiusmodi abs te susceptum omen suo nomine et voluntate confirmet. Ceterum omni ex parte literarum tuarum se ostendit praeclara devotio tua in Ap. Sedem, cuius auctoritatis et dignitatis te ceteroquin fuisse et esse studiosissimum plurimis indiciis antea declarasti. Et nunc nova se occasio obtulit, qua potes novum praebere argumentum egregiae tuae voluntatis et alacritatis ad Romanam Cathedram defendendam ab hostibus Catholicae Ecclesiae, qui temerariis impiisque conatibus eam evertere sunt adgressi. Nosti, ven. frater, quo imbutus veneno prodierit liber Iustini Febronii, et quid ipse feceris, ut idem liber eiusque doctrina opprimatur, ex aliis tuis literis intelleximus. Sed a fraternitate tua merito petimus, qui zelo Dei et in Ap. Sedem observantia sis nulli secundus, imo singularibus quibusdam significationibus quacunque data occasione tuam in eandem Ap. Sedem pietatem et devotionem insignem feceris, nunc cum ceteri omnes Germaniae Eppi publicaverint decretum nostrum, quo eum librum indignum declaravimus, qui ab homine catholico legatur, ne patiaris id a tuis laudibus abesse, quod in illis Eppis laudavimus. Itaque te in Domino obsecramus, ut solemni, quemadmodum illi

fecere, Edicto tuo memoratum decretum populo tuo notum facias, eumque iubeas eidem decreto debitam exhibere obedientiam. Id si feceris, quod quidem te facturum non dubitamus, arctiori quodam vinculo apostolicum animum nostrum tibi devinxeris. — Datum Romae die 6. Febr. 1765.

965. *Universitati Coloniensi dd. 19. Oct. 1765.* Egregiam a nobis de doctrina et ingenio vestro laudem tulistis eo scripto, quod ad nos misistis, adversus exitialem Iustini Febronii librum et acta pseudo-synodi Ultrajectinae; vobisque illud maxime gratulamur, quod oblatam ab iis libris declarandae egregiae vestrae in Ecclesiam et hanc sacram b. Petri Sedem voluntatis occasionem taciti praetermittere noluistis. Sic sunt ingenia Dei zelo flagrantia, ut si qui exoriantur ab Ecclesiae hostibus adversus veram pietatem et orthodoxam fidem impetus, nulla interiecta mora eos adgrediantur extingvere. Itaque et vestrum in S. Ecclesiam amorem, et in Apost. Sedem studium, et devotionem recognovimus, et his de causis vos magnopere amamus, et egregiae voluntati erga nos vestrae magnas agimus gratias. Deum enixe precamur, ut ingenia vestra sibi devota uberiore in dies divinae lucis copia collustret, vobisque omnibus eximiae erga vos benevolentiae gratique animi nostri pignus apost. benedictionem peramanter impertimur. Datum ex arce Castri Gandulphi Alban. dioec. die 19. Oct. 1765. — **Bullarii R.** *continuatio.* II. 450. s. III. 1. 16. 51. 140.

966—974.

Praesules Germaniae adversus librum ‚Iustini Febronii' A. 1764. 1765.

966. MON. *Card. Eppus* **Constantiensis** *18. Maii 1764.* Non ita pridem librum sub colorato titulo ‚Iustini Febronii etc.' ex literis apostolicis in forma Brevis dd. Rom. 14. Mart. 1764. a SS. Dno nro Clemente PP. XIII. ad nos datis divulgatum esse comperimus. Quoniam vero, ut eaedem literae sonant, praedictus liber ad Romani Pontificis potestatem, si fieri posset, extingvendam et beatissimi Petri Ap. Sedem funditus evertendam ab incerto auctore conscriptus, procul ab oculis et manibus fi-

delium arceri debet, ne venenatis obscuri auctoris sensibus fidelis grex inficiatur, et hausto inde Romanae Sedis contemtu a dominico agro ad haereticorum pestifera pascua abducatur: nos pro officii pastoralis nobis incumbentis exigentia, et ea, qua S. Sedem Ap. reveremur, submissione periculosum hunc libellum a limitibus dioecesis nostrae arcere cupientes, omnes et singulos supra recensitos (Abbates, Praepositos etc.) hortamur in Domino, iisque firmiter et districtim in virtute sanctae obedientiae praecipiendo mandamus, ut praeallegatum opus seu libellum vel solo nomine auctoris ficti suspectum, ubicunque demum occurrat, apprehendant, supprimant, eumque inter libros auctoritate etiam apostolica prohibitos numerent, singulari nisu praecavendo, ne typographi, bibliopolae, aut alii quicunque eundem venalem nec exponant, nec in vulgus distrahant, invocato etiam ad id brachii secularis auxilio. Marispurgi die 18 Maii 1764.

967. *AEppus* **Pragensis** *20. Maii 1764.* Muneris nostri pastoralis officium postulat, ut omni cura et sollicitudine invigilemus, ne per manus fidelium nobis a Deo concreditorum libri circumferantur, quibus Ecclesia Romana, Christique Summus in terris Vicarius ab infensissimis hostibus proscinditur, Religio Catholica labefactatur, Christique fidelibus pro lacte doctrinae christianae et catholicae toxicum propinatur. Cum itaque non pridem liber veneficus ‚de Statu Ecclesiae etc.' in lucem prodiverit, cuius auctor sub falso nomine ‚Iustini Febronii' in occulto latere voluit, quem SS. in Christo Pater D. D. N. feliciter regnans Clemens PP. XIII vigore decreti a S. Congr. — Indicis — die 28 Febr. 1764. Romae — emanati tamquam exitialem et pestiferum damnavit, proscripsit, librumque hunc damnatum et proscriptum in indicem vetitorum librorum referri mandavit, ita quidem, ut nemo — praedictum librum — edere aut iam editum legere vel retinere audeat; — ipseque SSmus noster in Christo Pater vigore literarum apost. Romae sub die 14. Mart. 1764. ad nos emanatarum nostram vigilantiam requisiverit, ut non solum caveamus, ne per manus fidelium liber hicce damnatus circumferatur, sed ne in ullo quidem angulo totius nostrae archidioeceseos illi sit locus: nos pro nostra custodiendi gregis nobis commissi sollicitudine eiusque prohibendi a venenatis pascuis sedulitate et cura pastorali, ac devotione nostra in Sedem Apost. zeloque quo in Deum et eius Ecclesiam flagramus, tenore prac-

sentium strictissime atque sub poenis in Indice librorum prohibitorum indictis vetamus, prohibemus, et interdicimus, ne quis in universa nostra A. D. Pragensi a Sede Ap. damnatum et proscriptum librum sub falso nomine Iustini Febronii impressum, quem nos ipsi proprio studio perlegimus, ac catholicae Religioni, Christique fidelibus perniciosum deprehendimus, — edere aut legere etc. — Super quo vos et omnes vobis subordinati parochi diligenter et sedulo invigilabitis, ut in quorumcunque manibus liber hic deprehenderetur, illico sequestretur, ad nostrum AEppale Consistorium cum speciali relatione, apud quem et qua occasione deprehensus fuerit, transmittendus. — Pragae die 20. Maii 1764.

968. *Vicariatus* **Moguntinus** *21. Maii 1764. Extractus Protocolli:* Legebatur Rescriptum Celsitudinis Suae Electoralis tenoris, ut in urbe hac et A. Dioecesi liber scandalosus ac periculosus sub nomine ‚Iustini Febronii etc.' ab Ap. Sede iam damnatus rigorosissime inhibeatur, et nihil omittatur, quidquid ad suppressionem dicti libelli conducere possit. *Conclusum:* In vim clementissimi Rescripti Electoralis Moguntini inhibeatur Bibliopolis, librariis, et singulis quibuscunque sub poena confiscationis exemplarium aliisque a iure statutis ac arbitrariis, ne librum periculosum lapso anno editum — ab Ap. Sede iam damnatum retineant aut legant. Et fiat publicatio huius inhibitionis in urbe et per totam ADioecesim. Insuper cum relatum fuerit huic AEppali Vicariatui, esse qui praedicto libro damnato additamenta addere, typisque imprimere velint, imo pariter esse qui eundem librum in lingvam vernaculam — vertere et versionem imprimere velint, referatur Electorali Suae Celsitudini, an non et quatenus ad impediendas similes novas editiones et versiones in toto imperio ad Aulam Caesaream necessaria perscribere omnino expediat. Denique committitur Promotori Fisci AEppalis, ut modis omnibus allaboret, ut periculosus liber supradictus supprimi hac in urbe et ADioecesi possit.

969. *Elector* **Trevirensis** *ad Summum Pontif. 27. Maii 1764.* Nulla sane maiori nec magis sensibili affici potui consolatione animi, quam dum ex Apost. Brevi de nona labentis intellexi, a Sanctitate Vestra operam in tuendis S. Sedis iuribus a me in transacta Dieta Electorali Francofordiensi collocatam be-

nigne fuisse susceptam, eandemque plene persvasam existere, me nullam praetermissurum esse occasionem, ubi luculentiora de inalterabili, qua S. Ap. Sedem prosequor, devotione specimina testata reddere potero. Cumque Sanctitati Vestrae non immerito sit cordi, ut venenatus liber, qui sub ignoto ‚Iustini Febronii' nomine in publicum prodiit, ab omnium oculis arceatur, eiusdemque pestifera principia in spurio suo ortu suffocentur, sedula expendam indagine, qua efficaciori ratione Sanct. V. expectationi correspondere valeam. Me eatenus summopere excitatum sentio ab alio Apost. Brevi 14. Martii nuperi, quod D. AEppus Ravennatensis hisce diebus mihi tradidit. Is secundum eminentem, quo flagrat, zelum intolerabilia summeque exitiosa indigni libri principia mihi latius exposuit, et pessimas, quae exinde enasci possent, sequelas ad evidentiam usque comprobavit. Uti erga eundem peculiari observantiae studio feror, eximiasque ipsius dotes in summo semper habebo pretio, ita ea, quae circa detestabilem dicti libri spiritum mihi detexit, eo magis animum meum commoverunt, quanto certius me convictum sentio, me ipsum pastoralis officii mei partibus defuturum, nisi omnem impendam sollicitudinem, ne pessima haec zizania in agro dominico radices figant. —

970. *Eppus* **Frisingensis** *14. Iun. 1764.* Dolenda sane temporum nostrorum perversitas! quibus si unquam alias teterrimi libri passim e latebris obscurorum plerumque auctorum tamquam flumina Babylonis erumpunt, agrum dominicum inundant, sementem Evangelii suffocant, verae pietatis et christianae religionis sensa extingvunt, ac foedissima zizaniorum semina post se relinquunt. Inter hos haud ita pridem comparuit liber, cui titulus: ‚Iustini Febronii etc.' qui cum beatissimi Petri Ap. Sedem penitus evertere, et petram illam, super quam Christus Dominus aedificavit Ecclesiam suam, omni adhibito conatu suffodere tentet, non solum a S. Congreg. Indicis habita die 27. Febr. curr. anni damnatus, proscriptus atque in indicem librorum vetitorum cum pluribus aliis sui similibus relatus fuit, verum etiam ipsemet SS. Clemens PP. XIII operae pretium duxit datis ad nos apost. literis summa cum indignatione in eum animadvertere. Contra hunc igitur exitialem librum vos omnes et singulos in partem sollicitudinis et vigilantiae nostrae pastoralis vocamus, et quantum possumus in Domino adhortamur: attendite

vobis et gregibus curae vestrae commissis, ne hausto ex eodem libro Romanae Sedis contemtu a centro catholicae unitatis sensim exerrent, et ab agro dominico ad pestifera haereticorum pascua denique abducantur. Frisingae die 14. Iunii 1764.

971. *Elector* **Trevirensis** *ad suum Vicariatum 14. Iul. 1764.* Celsitudo Sua Electoralis non aliter quam singulari attentione percipere potuit propositiones non solum offensivas, sed et ulterius perpendendas, quae in libro sub ementito nomine ‚Iustini Febronii' praeterito anno in lucem edito emanarunt. Postquam ille a S. Sede vi decreti sub die 27. Febr. nuper condemnatus fuit, et in numerum librorum prohibitorum redactus, necessitas non minus exigit, ut Celsitudo Sua Electoralis vigore sui pastoralis officii sufficientem curam adhibeat, ne principia in illo contenta auctoritatem et praeeminentias Sedis Ap. opprimentia in suo AEppatu dilatentur. Vult itaque et praecipit ipsa sub confiscationis poena aliisque in iure contentis etiam severioribus, quod praedictus liber in sua ADioecesi non introducatur, nec vendi nec legi praesumatur; onerat etiam eum in finem subalternas AEppatus sui Curias, ut serio et diligenter invigilent, curamque gerant, ne supremae huic Electoralis voluntatis intentioni contraveniatur. —

972. *AEppus* **Coloniensis** *14. Iul. 1764.* Antiquus serpens Ecclesiae et humani generis hostis infestissimus nullo unquam tempore cessat in agrum dominicum per suos emissarios venenata semina et virulenta zizania spargere, quibus vel morum corruptela in Ecclesiam inducatur, vel pestiferis maleferiatorum hominum scriptis incauti fideles inescati a veritate in errorem a via seducantur. Pestilentium huius farinae librorum farraginem diversis locis editam et in publicam lucem proiectam nuper Summi Pastoris Clementis PP. XIII vigilantia detexit, et in S. Congr. feria II. die 27. Febr. a. c. habita damnavit, et anathematis fulmine proscripsit. Hos inter Sanctitas Sua datis ad nos die 14. Mart. nuperi clementissimis literis acerbe queritur, haud ita pridem prodiisse veneficum librum ‚De Statu Ecclesiae etc.' cuius auctor penultimo loco positus sub falso ‚Iustini Febronii' nomine verus tenebrio latere in occulto voluit: qui incredibili audacia Romanam Cathedram a Christo in petra firmatam, cui tamquam fundamento Catholica nititur Ecclesia, convellere conatur et funditus subruere, idque ut efficiat, omnia ex haeretico-

rum et Sanctae huic Sedi infensissimorum hominum libris conquisita et depromta in unum congessit, quaedam etiam absurdissima, ne cuiquam inimicorum eiusdem Ap. Sedis secundus esse videretur, de sua venenata officina adiicere voluit. Nos itaque semen adeo pestiferum inimica manu in vineam Domini iactum in herba supprimere, et eradicare volentes, pro ea, quam dominico gregi superne nobis commisso debemus, paterna ac pastorali vigilantia ac sollicitudine, ut sciant fideles, qui fontes pestiferi sint omnibus declinandi, ne salutis evidenti periculo exponantur, praesentium tenore auctoritate nostra AEppali ordinaria et in Conciliis Oecumenicis non modo sed per praedictas SSmi D. N. Clementis literas specialiter nobis commissa et delegata omnibus Christifidelibus nobis in ADioecesi nostra quomodolibet subiectis districte inhibemus, ne quemquam supranominatorum librorum legere, vendere, distribuere, imprimere, aut apud se retinere sub poenis in Indice librorum prohibitorum expressis quoquomodo praesumant. Caveant autem sub gravi animadversione Bibliopolae, ne lucri spe merces illas venenatas et damnatas cum animarum praesentissimo periculo in Civitatem vel ADioecesim nostram inferant vel distrahant, praesertim cum anathematis sententia tam qui legunt libros haereticos et prohibitos, quam qui servant domi, fulminentur.

973. *Eppus* **Bambergensis** *simul* **Wirceburgensis,** *pro Dioecesi Wirceburgensi 11. Mart. 1765.* Cum liber quidam sub ementito ‚Iustini Febronii I. C.' nomine absque ulla censura et approbatione, adeoque contra canonicas Ecclesiae et pragmaticas Imperii constitutiones in lucem proditus, cui titulus ‚De statu Ecclesiae etc.' ad nostras iampridem aures et manus pervenerit, ad reuniendos quidem dissidentes in religione Christianos, uti facies praesefert, compositus, reapse tamen ad avertendos alienandosque a Summi Pontificis auctoritate tamquam necessario unitatis catholicae centro Catholicorum animos, et ad suscitanda una cum graviore S. Sedis contemtu gravissima animarum pericula magis aptus, quam ad revocandos in verae religionis et s. matris ecclesiae sinum dissentientes opportunus a nobis repertus, atque ut talis manifestata propediem desuper mente nostra et excitato contra eundem fiscalium nostrorum officio declaratus fuit. Videntes vero cum ingenti animi nostri dolore una ex parte eundem librum necdum penitus eliminatum,

sed tum sub iniqui spe lucri, tum ad perniciosum curiositatis novaturientis fomentum opinione nostra latius divulgatum fuisse; altera ex parte probe memores et maturiore consilio imo meditatione nostra assidua pensantes, quanta quamque provida *sanctissimis Eppis et Patribus SS. Synodi Tridentinae* ad errores novatorum nostri temporis nostrarumque Germaniae partium praecipue condemnandos in Spiritu S. legitime congregatis sollicitudo fuerit: ut, cum illos prae antiquioribus heterodoxis per alias Synodos iam condemnatis *a Primatu S. Sedis Apost.* quam maxime alienos nossent, *de hac Patres iidem eo magnificentius non sentirent modo sed et loquerentur* disertis videlicet verbis, et more in aliis Conciliis adversus alios errores convocatis non aeque usitato, *salvam semper in omnibus dictae S. Sedis auctoritatem volentes;* praeterea quod eodem ex fine in ipsam fidei catholicae professionem ad mentem praelaudatae Synodi a Pio IV Summo Pontifice conceptam atque in speciali Bulla, quae incipit ‚Iniunctum nobis' praescriptam expressa *de sancta, catholica, et apostolica, romana Ecclesia omnium ecclesiarum matre et magistra agnoscenda, ac debita Romano Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori ac Iesu Christi Vicario, vera obedientia* protestatio inserta et impetrata fuerit: pro eppalis muneris nostri debito, et ea, quam erga altefatam Sedem Apost. constanter profitemur, submissione pastorales omnes curas nostras eo praecipue intendimus, ut a grege custodiae nostrae commisso contagionem omnem nostris in partibus, ubi cum Protestantibus supramemoratis Primatus Apostolici adversariis intermixti degimus, tanto perniciosiorem, quanto magis generatim diffundendam atque periculosa caritati et unitati catholicae molimina quam longissime alienemus. Hinc est, quod laudatissimis SS. Patrum Tridentinorum vestigiis inhaerentes supradictum librum, utpote Summo Christi in terris Vicario oppido graviterque iniuriosum, et communioni corporis Pastorum cum eodem uno Supremo Capite continendae inimicum, solemni edicto eo magis condemnandum ac prohibendum esse censeamus, quod auctoritate apostolica eundem iam proscriptum, atque ut nos id ipsum nostro etiam suffragio solemnius praestaremus, per speciales ultra literas SS. D. N. Papae Clementis XIII in forma Brevis die 6. Febr. curr. modo anni affectu vere paterno datas desideratum fuisse noverimus: prout eundem hisce condemnamus

ac prohibemus auctoritate nostra eppali et ordinaria, vobis omnibus in virtute sanctae obedientiae hortando mandantes, ut praedictum librum sic ut praefertur a nobis condemnatum habeatis ac teneatis prohibitum, et nemo in tota Dioecesi nostra Wirceburgensi — eundem evulgare audeat etc. — Datum Wirceburgi die 11 Mart. 1765.

974. *Idem Eppus pro Dioecesi Bambergensi 13. Mart. 1765.* Biennium currit, ex quo lucem publicam subiit tenebris dignior liber, cui titulus ‚Iustini Febronii etc.' Opus vel inde suspectum satis, quod nec nomen auctoris, nisi sub mentito tegumento, quo sese occultare solent partus spurii, nec censura et approbatio in eo aliqua appareat, nihilque minus ac reuniendis dissidentibus in religione Christianis, ut tamen fucata fronte audacter refert, idoneum. Tulit equidem liber iste fatum merito suo dignum, cum a S. Congr. Officii et Indicis edito desuper decreto apostolico anni prioris iustissime prohibitus, atque a nobis ipsis auctoritate ordinaria utprimum comparuerat suppressus fuerit; nihilominus, quae veneni natura est, illum et occulto latius latiusque serpere atque incautis plurium manibus eo periculosius tractari, quo maior solet esse seculi nostri novaturientis curiositas, summo animi nostri dolore intelligere debemus. Ut igitur concreditum nobis gregem Domini fidelem partim a pascuis eiusmodi pestiferis pro pastorali nostro munere procul avertamus, omnemque contagionem, quae in hisce nostris partibus solet esse periculosior, tempestiva vigilantia praeveniamus, et rapacem lupum sub ovina pelle incedentem atque ad dispergendas oves venientem longius arceamus; partim vero debitae subiectionis et dependentiae nexum, qui inter supremum pastorem Christique in terris Vicarium Romanum Pontificem, ac reliquos omnes totius christiani orbis Pastores horumque greges intercedit, unumque ovile constituit, intentis curis omnibus conservemus, arctiusque adstringamus, insistentes hac in parte tum SS. Patrum et Epporum vestigiis, qui et in antiquioribus Conciliis et praesertim in SS. Tridentina Synodo afflante Spiritu S. in id semper unanimes conspirarunt: *salvam in omnibus S. Romanae Sedis auctoritatem esse oportere,* atque adeo in ipsam fidei professionem a Pio IV ad eorum mentem conceptam ac speciali bulla, quae incipit, ‚Iniunctum nobis,' praescriptam inseri voluerunt articulum, quo *Sanctam, Catholicam etc. ut supra* —

fideles omnes profiterentur, tum etiam et praecipue, quoad rei praesentis causa agitur, praeclarissimis aliorum tum Architum Epporum exemplis permoti, eodemque animati spiritu, nec non aliis iustissimis de causis animum nostrum moventibus, praevio maturiore consilio decrevimus non solum supradictum S. Sedis Romanae decretum, quo praefatus liber tamquam indignus, qui ab homine catholico legatur, declaratus fuit, in dioecesi nostra Bambergensi ad omnium notitiam promulgare, sed et nostra insuper auctoritate eppali et ordinaria eundem librum, utpote qui contra sanctiones tum canonicas Ecclesiae tum Imperii publicas clanculum irrepsit, tamquam periculosum denuo condemnare ac prohibere, prout praesenti edicto promulgamus, condemnamus, et prohibemus etc. — Datum Bambergae die 13. Mart. 1765. — **Zaccaria** *Antifebronius vindicatus.* Caesenae. 1771. I. 34. ss.

975.

Clemens XIII PP. damnat acta pseudo-synodi Ultrajectinae. 1765.

INTR. Clemens XIII. PP. instar responsi ad literam Ultrajectinorum, paululum superius vulgatam, acta pseudo-synodi Ultrajectensis damnavit, Ultrajectini decreto Pontificio ad maiorem quodammodo iracundiam offensionemque provocati, sat prolixam, querimoniis expostulationibusque plenam denuo Romam miserunt epistolam: in eaque pathetico sermone ad ipsum Papam converso, adhibitis S. Bernardi verbis eum exhortantur: ut non sinat e memoria sua effluere, quod et ipse homo sit, quod cum antecessoribus suis deceptus fuerit etc.

MON. Non sine acerbo animi sensu, atque dolore iampridem accepimus, perditos homines et pervicaces iniquitatis filios Petrum Ioannem Meindarts, Ioannem Van Stiphout, et Bartholomaeum Byeveld, quos a fel. rec. praed. nostris Clemente XII et Benedicto XIV semel atque iterum apostolico maioris excomm. mucrone fuisse confixos atque ita ab Ecclesiae gremio exturbatos etiam schismaticos vitandos declaratos

fuisse, et ab omnibus eppalis iurisdictionis et dignitatis muneribus interdictos ipsa iamdudum novit Catholica Ecclesia, nonnullis suae factionis eccles. viris in criminis societatem adscitis clancularium quemdam habuisse conventum, atque in eo de fide, de moribus, de disciplina tamquam iudices in Ecclesia constitutos ausos esse plura statuere, et decernere, canones condere, atque ea demum omnia eppalis muneris officia usurpare, quae constat inter omnes, qui quidem sint catholici nominis, ad Eppos cum Cath. Ecclesia communionem habentes, dum in legitimis Synodis congregantur tantummodo, pertinere. Indignum eiusmodi facinus plane detestati, supplices usque adhuc ad Deum preces nostras prosternere non cessavimus, ut ambulantes in pravitate cordis sui divina luce collustratos et coelestis gratiae numine permotos super semitas iustitiae deduceret. Sed, ut ait Sapiens, perversi difficile corriguntur, et eos impiorum devorat iniquitas. Nam de irrequietis hominibus, quos supra memoravimus, gravior ad nos perlatus est nuncius, eos tumentes in peccato suo et ipsis sibi delictis placentes, illegitimi huius nefariique conventus non modo acta typis impressa in publicam lucem edidisse, atque in omnes partes per nefarii sui schismatis fautores latissime disseminasse, sed eo etiam prorupisse temeritatis, ut contemtis incredibili audacia et ludibrio habitis tot apostolicis nostrorum praedecessorum decretis, quibus segregati sunt a Catholica Ecclesia, compluribus ven. fr. nostris Episcopis, qui nobiscum sunt christiana caritate coniuncti, eadem acta callide submiserint, eo fortasse consilio, ut ab iis probarentur, aut per eam occasionem saltem epistolam, quam veluti catholicae communionis signum deinde ostentarent, consvetis fraudulentissimae suae factionis artibus et quasi per insidias surriperent. Qui igitur indesinenter apostolico nostro officio admonemur, nostras esse partes animarum pericula avertere, motus et perturbationes in Ecclesia sedare, schismata vel coorta statim opprimere, vel si latius serpant, iis acerrime obsistere, ne seditiosorum hominum, quos videmus esse in felle amaritudinis, et in obligatione iniquitatis, temerariis venenatisque conatibus silentio nostro connivere, atque consensum adhibere videamur, unde gehennae poenas possimus incurrere, detestandam eorum machinam per manifestum Apost. Sedis et canonicae disciplinae contemtum ad evertendam eccles. hierarchiam, unitatem, communionemque catholicam dissolvendam, ad

decipiendos seducendosque simplices homines et incautos, et in perniciem trahendas in universum dominici gregis oves novissime admotam, censemus apostolica virtute et auctoritate, quantum in Domino possumus, dirui oportere.

Auditis itaque nonnullis ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque pietate et doctrina praestantibus viris, de eorum sententia et consilio, *eam pseudo-Synodum, quo convenerunt memorati P. I. Meindarts etc. aliique, qui extra Ecclesiam collecti secum esse Christum, cum fuissent collecti, falso sunt opinati, sine legitima iurisdictione, atque auctoritate coactam et celebratam, nullam, illegitimam et attentatam pronunciamus, atque omnia eius acta rescindimus, cassamus et irritamus, nulliusque esse roboris et momenti edicimus et declaramus.* Librum vero, quo eadem acta evulgata fuerunt, cuius titulus: ‚Acta et decreta secundae Synodi Provinciae Ultrajectensis in sacello Ecclesiae Parochialis S. Gertrudis Ultrajecti celebratae die 13 Sept. 1763. Ultrajecti sumtibus societatis. 1764.' tamquam continentem in infandi schismatis patrocinium propositiones falsas, calumniosas, scandalosas, eccles. hierarchiae eversivas, ac Ap. Sedi iniuriosas, damnamus et reprobamus, ipsiusque libri quocumque idiomate editi vel edendi lectionem, usum, retentionem, multoque magis distributionem et distractionem — interdicimus et prohibemus. Praeterea quaecunque alia scripta vel manu exarata vel typis excusa aut excudenda in huius funesti schismatis defensionem eadem auctoritate damnamus et reprobamus. — Noverint praeterea fideles omnes, idque eos sedulo admonemus, sibi vetitum esse sub poenis a iure latis, cum supramemoratis hominibus, utpote qui declarati sint excommunicati vitandi, ullam praesertim in spiritualibus communionem habere, multoque magis eorumdem acta schismatica tamquam legitima ac rata probare, et huic deplorando schismati fomentum ullum praebere. Exierunt ex nobis, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.

Faxit Deus et Pater D. N. I. C. Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, ut hoc a nobis aliquando removeatur amaritudinis offendiculum, et ea spina dolorem inferens e nostro animo evellatur. Illum in humilitate cordis nostri rogamus, et obsecramus impensissima prece, ut, qui ea quae diu in multa patientia sustinuit vasa irae, eadem ipsa aliquando efficit vasa

in honorem, coecos homines miseratus, iis aperiat oculos, quo tandem videant, et ex animo fateantnr, Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram eam esse, quae sola aperit, et nemo claudit, nemo aperit; qui Cathedram Petri, super quam Ecclesia fundata est, deserit et resistit, illum in Ecclesia se esse male confidere; neve amore iactantiae, quae superbiae semper est proxima, diutius in obstinatione permaneant, sed abiecto privato sensu errori semper obnoxio, Ecclesiae iudicio, quae est columna et firmamentum veritatis, se dociles praebeant, apostolicis mandatis sincero animo pareant, et in viscera s. Matris Catholicae et Apostolicae Ecclesiae tota mentis intentione aliquando properent regredi. — Datum Romae die 30. April. 1765. — **Bullarii R.** *continuatio.* III. Romae 1838. p. 67.

976.

Eiusdem litera ad AEppum **Rhemensem,** qua Acta Conventus Cleri Gallicani pro manutenenda Ecclesiae libertate ac immunitate approbat. A. 1765.

MON. De Generali isto Gallicanorum Episcoporum Conventu, qui te Praeside novissime Lutetiae Parisiorum est habitus, minime nos fefellit opinio, et Dei zelus, quo piissimi Antistites flagrantem animum gerunt, eorumque unanimis omnium consensus spei et expectationi nostrae plane respondit. Non dubitamus ex iis quae fecerunt, quin multo plura facturi fuissent et meliora, si aequioribus temporibus uterentur. Sed tamen Deo gratulandum, qui tanta gratiae suae firmitate eorum animos sepsit, ut ubi de summa Religionis dimicaretur, rati non amplius dissimulandum, tandem in memorato Generali Conventu omni humanarum rerum posthabito respectu, invictum omnino praetulerint robur, seque exhibuerint pro tuenda Ecclesia Dei plane sacerdotali fortitudine communitos. Et magna quidem Ven. frater iniuriarum mole per hos aliquot annos nos Ecclesiam Dei vehementer ingemuimus praegravatam. Vidimus his novissimis temporibus apud quosdam nutare lubricam fidem, apud irreligiosos vacillare Dei timorem, aut pacificam non perseverare

concordiam. Sed gratia Dei adiutrice et comite piissimi Antistites declaraverunt, non sic Evangelicum cecidisse in Ecclesia Gallicana vigorem, aut christianae virtutis et Catholicae fidei robur elanguisse, ut non supersit universus Episcopalis ordo, Ecclesiae portio praecipua, quae minime ad has rerum ruinas succumbat, sed fortis et stabilis honorem Divinae Maiestatis et sacerdotalem dignitatem plena timoris observatione tueatur. Itaque primum quod maxime opus fuit a Christiana Religione impiorum iniurias repulerunt, proscriptisque flagitiosissimis libris ab eorum lectione fideles absterruerunt, monueruntque nefas esse cum religionis amittendae periculo enunciatos aliosque eius generis perniciosissimos libros vel leviter attingere. Quod ad Ecclesiae divinam sublimemque potestatem attinet, sacris unice Pastoribus ab ipso Christo traditam, strenue eandem potestatem ab eius invasoribus in libertatem exemerunt, recteque docent eam absolutissimi et plenissimi esse iuris sui et arbitrii, nulli huius mundi potestati obnoxiam, a nulla prorsus seculari potestate pendentem, omni denique liberam libertate: cui libertati laicam potestatem praesidio quidem esse debere, at sub auxilii ferendi praetextu non illi iugum imponere. Subditos Ecclesiae in iis, quae ad spiritualia pertinent, esse vel ipsos terrarum rectores et dominos, nec eorum unquam fas esse, vel in tradenda sive fidei sive morum doctrina, vel in Sacramentis administrandis, et ad ipsorum administrationem sacris ministris adhibendis vel amovendis quidquam praeripere, nec per causam componendarum in Ecclesia turbarum, quas veritatis inimici excitaverint, sacris pastoribus fideique propugnatoribus silentium imponere. De Religiosorum Ordinum Institutis, et quae ab eorum conditoribus vota praescribuntur, de iis solius esse Ecclesiae iudicare. Constitutionis denique ‚Unigenitus' — assertores catholicam doctrinam et Apost. Sedis dignitatem auctoritatemque ab impudente obstinataque contumacium hominum et refractariorum audacia vindicaverunt, illud diserte declarantes, coniunctionem et unitatem servare se cum eadem beatissimi Apost. Petri sacratissima Sede, quam Christus Dominus posuit fundamentum, cui ita universae Ecclesiae nititur aedificium, ut quidquid ab eo se removerit, illud corruisse, et iam ab Ecclesia oporteat recessisse. Qui enim Cathedram Petri, ut ait ex Cypriano Martyre praedecessor noster Pelagius 2. super quam Ecclesia fundata est, deserit, et

resistit, quomodo in Ecclesia se esse confidit? Haec vero egregia eorum in Ecclesiam fides, singularisque in propugnanda incorrupta eius doctrina et sacratissimis iuribus defendendis alacritas atque constantia Deo quantopere fuerit grata, vel inde potest quisque facile intelligere, quod Episcopos, quot in Christianissimi Regis ditione suas regunt Ecclesias, ipse divino suo sic tetigerit numine, ut fere omnes, quemadmodum accepimus, memorato Cleri vestri Generali Conventui se adiunxerint, eiusque acta voluntate sua et publico testimonio comprobaverint et laudaverint; ipsa praeterea Christianissimo Regi eam dederit mentem, ut luculentissimum ederet argumentum, quo animo omnium vestrum et ipsius Ecclesiae tutelam acceperit. Etenim pro ea, qua maxime praeditus est, religione, et in S. Ecclesiam, cuius gloriatur esse primogenitus filius, observantia et amore, primos, qui sese statim exeruerunt, adversus vos et eandem Ecclesiam conatus, incunctanter, bonorum omnium, quotquot Ecclesiae filii sunt obsequentes, approbatione summa omniumque laudum praeconio, Regio Edicto suo non dubitavit infringere. Te vero Ven. frater apostolica nostra laude non existimamus fraudandum, qui tuam voluntatem cum religiosissimorum Antistitum voluntatibus coniunxisti. Te amamus, quod ad nos non eorum acta modo, sed etiam tuas literas perferendas curasti, quae diserte nobis nunciant, te ad omnia paratum esse pro Christo: te denique in Domino rogamus, et obsecramus, qui præclaro Episcoporum Conventui ut praeesses divina disposuit dignatio, ne committas, ut tentationibus aut evocatus aut victus, quod ait Martyr Cyprianus, in medio laudis et gloriae itinere desistas, nec quidquam tibi praestabilius, quam quae sancte nobis promittis, ut alacriter impleas, ac praecipue qua vales plurimum apud Christianiss. Regem gratia, illam ut polliceris ad sustentandam Christianam Religionem nunc maxime ab impiis labefactatam, defendendamque Cath. fidem adhibeas; sic enim quam bene gessisti, bene itidem rem gerens in posterum, eorum non modo comprimes voces, quos non obscure indicas tibi forte obtrectasse, sed etiam prudentibus humanarum actionum aestimatoribus, et qui ubi de religione agitur iure omnia redigunt ad acerrimam normam abunde satisfaciens omni te praedicatione dignum exhibebis, tuaeque virtuti debitas ab iis referens laudes, non humano praeconio animum sublatum ge-

rens, sed tamquam ab eo, qui te divina virtute sua et gratia adiuverit, commendatus, iure poteris in Domino gloriari. — Datum Romae die 20. Nov. 1765. — **Bullarii R.** *continuatio* III. 147.

977.

Clemens XIII. PP. electionem novi Eppi **Ultrajectini** schismatici nullam declarat, A. 1768.

MON. *Catholicis in Belgio foederato commorantibus.* Etsi satis exploratum habemus atque perspectum, quanta vobis cautio sit, ne ab hominibus pravam doctrinam imbutis et decretis Ap. Sedis parere detrectantibus vestrae fidei integritas corrumpatur, tamen pro ea, qua assidue tangimur, aeternae salutis vestrae sollicitudine et cura per has nostras literas vos admonendos existimavimus, ut eo magis ab Ultrajectini schismatis fautoribus eorumque consuetudine refugiatis, quo pertinacior eorum inobedientia, et alendi sustentandique illius scandali obfirmatior apparet in dies voluntas et obstinatior. Modo autem quid designarunt? Cum enim Ioannes Petrus Meindarts pseudo-AEppus Ultrajectensis a fel. rec. praedecessore nostro Benedicto XIV excomm. mucrone confixus, et tamquam filius perditionis ab Ecclesiae sinu deiectus atque exturbatus, in sua damnabili inobedientia mortalitatem expleverit, et in locum abierit suum, pseudo-Canonici Ultrajectenses nihil censurarum metu deterriti, alium quemdam nomine *Gualterum Michaelem Nieuvvenhuysen* in locum memorati Ioannis Petri Meindarts substituerunt, et in Ultrajectinum AEppum, ut vanissime existimant, elegerunt. Illum subinde nefario et execrando scelere Ioannes Van Stiphout pseudo-Eppus Harlemensis ad anathematum plagas, quas iam complures accepit, plane obdurescens, illicite, illegitime, sacrilege, et contra supremae huius Ap. Sedis mandata sacrorumque canonum sanctiones die 7 proxime elapsi mensis Februarii consecravit. Nos igitur immane huiusmodi facinus detestati, praedecessorum nostrorum vestigia sectando, auctoritate apostolica

per praesentes literas decernimus, et declaramus, *tam electionem eiusdem Gualteri Michaelis Nieuvvenhuysen in AEppum Ultrajectinum fuisse irritam ac prorsus nullam, quam eius consecrationem fuisse omnino illicitam, illegitimam, sacrilegam et execrandam*, eundemque Gualterium Michaelem et quotquot ementito Canonicorum Ultrajectensium nomine suffragia in illum contulerunt, itidemque eos omnes, qui in eiusdem Gualteri Michaelis nefaria electione atque execranda consecratione opem, consilium, consensum, aut operam quomodolibet praestiterunt, notorie incidisse in excommunicationem nobis atque huic Ap. Sedi reservatam decernimus et pronunciamus, anathematisamus, et ab Ecclesiae communione segregatos, et ut prorsus schismaticos habendos esse edicimus et declaramus. Praeterea memoratum Gualterum Michaelem pronunciamus ab omni exercitio tum eorum, quae sunt ordinis, tum quae sunt iurisdictionis, esse suspensum, eidemque idcirco interdicimus sub poena excomm. ipso facto sine ulla declaratione incurrendae, ne eppalem, quam numquam adeptus est, exercere iurisdictionem, aliamve ullam pro animarum regimine auctoritatem sibi audeat arrogare, vel pro suscipiendis ordinibus dimissorias literas dare, pastores, missionarios, aut quocunque alio nomine appellentur, ad animarum curam et sacramentorum administrationem quovis etiam necessitatis praetextu constituere aut deputare, talesque deputationes ad praedicta sub quocunque nomine officia pro animarum regimine seu factas seu fortasse faciendas cum omnibus inde sequutis prorsus irritas esse et fore nulliusque roboris et momenti pronunciamus et declaramus. Noverint autem, quicunque ab ipso Gualtero Michaele, vel per ipsius literas dimissorias ecclesiasticos susceperint ordines, suspensionis vinculo se esse illigatos, et susceptos ordines si exercuerint, in irregularitatem incidisse. Vos autem, dil. filii, cavete ab eiusmodi falsis pastoribus, qui sese in ovile intulerunt, ut furentur, mactent, et perdant. Ab his oportet quam longissime recedatis, ut ne minima quidem vox eorum ad vestras aures appellat. Semper enim maximo sumus in metu, ne mellitis quidem sed venenatis eorum sermonibus deliniti a recta veritatis semita in devios erroris anfractus seducamini. Vobisque omnibus, quos ob veram pietatem, sinceramque in beatissimi Petri sacratissimam Sedem obedientiam et fidem

vestram praecipua complectimur caritate, apost. benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae die 1. Iunii 1768. — **Bullarii R.** *continuatio.* III. 517.

978.

Instructio pastoralis **Eppi S. Pauli Tricastinensis** de officiis fidelium erga Romanum Pontificem, A. 1770.

MON. Annunciamus vobis, fratres carissimi, dies gratiae et salutis, per quos Ecclesia omnem, quam a Iesu Christo accepit, potestatem ad viam peccatoribus, qua ad Deum perfecte revertantur, aperiendam adhibebit. Summus Pontifex Clemens XIV gratias, quibus ad regendam Ecclesiam indiget, sibi comparare percupiens omnium fidelium auxilium petit, ut nostris votis ac precibus, ieiuniis, eleemosynis, ceterisque pietatis operibus veluti in unum coalescentibus a Dei misericordia, quidquid ad hoc opus est, exoremus. Propterea ut maiore ad id nos efficacitate impellat, suorum decessorum exemplo thesauros Ecclesiae, quorum sibi credita est dispensatio, pandit, illisque, qui ab ipso praescripta impleverint, Iubilaeum impertitur. Scitis enimvero, fratres carissimi, Iubilaeum extraordinariam esse indulgentiam, qua peccator temporariae poenae post obtentam actualium criminum veniam sibi subeundae remissionem consequitur, eaque de causa solemnioribus quibusdam cerimoniis atque insignioribus supra ceteras indulgentias plenarias privilegiis distinctam. Verumtamen Iubilaei fructum percipere haud possumus, nisi nosmet sincera poenitentia Deo conciliemus. Fierine poterit, ut vestrum aliquis corde contrito et humiliato in gratiam cum Domino redire negligat, quum ab illo non solum, quod saepe meruerimus, non puniri, sed etiam tanta misericordia vocari ad se et invitari nos videat? Spero equidem fore, ut maxima sollicitudine gratoque animo tantam vobis oblatam a Summo Pontifice gratiam suscipiatis. Meum vero esse existimo arrepta hinc occasione in iis, quos illi debetis, observantiae, obedientiae et amoris sensibus vos confirmare. Atque

id esse officii nostri eo magis credimus, quo vehementiore studio innumeros in vulgus disseminari libros videmus, ut contemtus, rebellionis, atque adeo indignationis in eos, qui Apostolicam Cathedram tenent, inspersis seminibus vincula, quibus Sanctae ipsi Sedi colligamur, plane abrumpantur.

Quid enim aliud spectare possunt, qui, num Pontifex Iesu Christi Vicarius sit, in controversiam vocant? qui non alio illum nomine designandum putant, quam ‚Eppi primae sedis, primique inter pares Eppi;' qui ei nonnisi honoris primatum adscribunt; qui iurisdictionis quidem primatum in eo agnoscunt, non tamen ex Christi institutione, sed ex una Ecclesiae concessione profectum? Quid aliud spectare possunt, qui illud quum semper ingerant, Papam errori obnoxium esse, de obedientia tamen ei debita numquam loquuntur? qui affirmare non dubitant *Gallicanam* Ecclesiam ab eius auctoritate immunem esse? qui hanc auctoritatem vocant ‚exteram quamdam potestatem,' hanc autem potestatem Ecclesiae paci, Regnorumque tranquillitati inimicam? Quid aliud tandem spectare possunt, qui numquam a commemorandis quorumdam superioris aetatis Pontificum scandalis, consiliis ac molitionibus absistunt, ceterorum vero, qui eos antecessere, vel consequuti sunt, moderationem, pietatem, sanctimoniam silentio obvolvunt, quum tamen animos nostros ab earum rerum, quas nonnisi ad punienda populorum vitia Deus olim permisit, recordatione avocatos in horum exempla defigi maxime deceret? Si terreni Principes iniurias suis legatis illatas veluti sibi factas habent, graviterque ulciscuntur: ne dubitetis, quin Christus quae in suum Vicarium committuntur, in sui ipsius contumeliam accipiat, magnaque severitate serius ocyus animadvertat.

Quod ad nos attinet, veritates a maioribus acceptas tamquam ad catholicam fidem maxime pertinentes diligenter servemus: Christum scilicet in Ecclesia sua formam constituisse visibilis monarchiae, cuius caput est Petrus; voluisse Christum, ut S. Petrus eiusque successores sui essent in terris Vicarii, ipsumque, qua caput est, exhiberent; divino denique iure Papae honoris ac iurisdictionis primatum congruere. Sunt hae veritates ex S. Scripturis haustae, Generalium Conciliorum decretis consignatae, unanimi perpetuaque traditione ad nos derivatae, a Catholicis omnibus Ecclesiis, praecipue vero a Gal-

licana constanter defensae. Agnoscamus igitur semper Romanum Pontificem veluti S. Petri successorem, Iesu Christi Vicarium, communem fidelium Patrem, visibile Caput huius Ecclesiae, extra quam salus non est, eumque religiosa reverentia, vera obedientia, sincero et filiali amore prosequamur. Religiosa quidem *reverentia:* superna quippe est, sive rationem spectes, quae ad illam movet, sive rem, in qua versatur. Neque enim nobis Summi Pontifices colendi sunt ob peculiaria cuiusque ornamenta, aut civilem eorum Principatum, sed tamquam Iesu Christi Vicarii. Quapropter quemadmodum nulla hac in terris eminentior dignitas est, si ad eam fidei oculos adiiciamus, ita nemo est, cui maior adhibenda sit reverentia, quam Romanus Pontifex. Maximi eius praestantiam faciamus; nullam praetermittamus occasionem, qua nostram erga eum observantiam testemur; nihil nobis aut opere aut verbo elabatur, quo everti illa aut infirmari possit. *Obedientiam* deinde illi debemus in omnibus, quae ad Religionem pertinent, cuiusmodi sunt dogmata, cultus, sacramenta, ministri altaris, religiosarum societatum vincula, ac constitutiones etc. Ecclesia in gremium suum nonnisi eos suscipit, qui Summo Pontifici veram obedientiam ex praescripta a Pio IV formula iurati promittunt, ut hanc Bossuetius merito fidei tesseram appellarit. Enimvero si Eppi, dum consecrantur, Pontifici obedientiam iureiurando singuli pollicentur, nec, licet fidei iudices sint, ius tamen sibi arrogant pontificiarum decisionum eatenus examinandarum, ut suo eas iudicio subiicere audeant, sed dum apostolicam Constitutionem accipiunt, obedientiam Pontifici exhibent, unaque simul iudicis auctoritate funguntur: an non aequum maxime sit, ut omnes utriusque sexus fideles illi pareant, eiusque decreta singulari animi demissione suscipiant? Sincerum denique ac filialem Summo Pontifici *amorem* debemus. Paulus Apostolus postquam nulli in eos, qui nobis pares sint, deesse nos officio iusserat, nos monitos voluit, ut illos, qui Christi nomine et auctoritate praesunt, non reverentiae solum et obedientiae testificatione prosequamur, sed etiam habeamus abundantius in caritate propter opus illorum ac sollicitudinem, qua nostram debent salutem curare. Quodnam ergo amoris officium Summo Pontifici non exhibeamus? est is communis omnium fidelium pater. Quamobrem cura, quam ex Christi institutione omnibus praestat Ecclesiis, in assiduas il-

lum sollicitudines, ac multiplicia negotia, eaque molesta maxime et operosa coniicit; omnia Christianorum scandala, lapsus, vitia eius animum dolore afficiunt; in scandali auctores vehementi studio incenditur; simul tamen ad erigendos lapsos, salvosque qui periclitantur praestandos advolat.

Magno equidem solatio nobis est, quod vos his ipsis permotos sensibus noscamus. Nos tamen fallaciae, conatusque, quos undique adhiberi videmus, sollicitant, anguntque. Vos ergo etiam atque etiam obtestamur, ut omnes sermones, libros, opera, unde in Romanum Pontificem reverentia, obedientia, atque amor infirmari possit, refugiatis. Si Summum Pontificem veluti Patrem habebitis, non modice vos tangent, quae illi inferuntur, iniuriae, multoque minus audebitis ipsi cum damnare, in eum licenter loqui, de eo iudicare. Ab his certe omnibus eo maiore cura abstinebitis, quo magis Dei hominumque iudicia inter se differunt, atque in horum reprehensionem facile cadit, quod illi probatur maxime. — **Zaccaria** *Antifebronius vindicatus.* IV. 277.

979.

Clemens XIV PP. Electori Trevirensi qua simul Eppo Augustano de erroneis assertionibus quoad Primatum a Cistercita ‚Udalrico Mayr.' vulgatis, A. 1773.

MON. Evangelicae lenitatis et caritatis rationes accomodatissimas semper duximus, ven. frater, ad revocandos ad doctrinae veritatem eorum potissimum animos, quos magis impetu quodam ac fervore ingenii, quam pertinacia aberrantes arbitremur. Mitiores hos modos ut adhibeamus in re, quam ad Te perscripturi tuaeque pastorali operae mandaturi sumus, eo lubentius inducimur, quo egregiam tuam, qua praestas, mansvetudinem cum amplissima dignitate coniunctam validiorem ad id, quod optamus, consequendum futuram confidimus. Delatus nuper ad nos fuit liber Ingolstadii impressus, cui titulus: *Dissertatio historico-politica inauguralis de nexu Statisticae cum Iurisprudentia*

Ecclesiastica Auctore Udalrico Mayr monacho Cisterciensi. Has ipsas theses in dissertatione nunc expositas ab eodem Udalrico defensas antea in Academia Ingolstadiensi, cum doctoralem lauream peteret, fuisse scimus. Ac sane cum pravitatem doctrinae in eo libello expositae animadvertimus, minime mirati sumus, disputationem ab eo Ingolstadii tunc habitam fuisse tantopere ab omnibus reprehensam, atque Ingolstadienses academicos vehementer esse conatos, ne illa dissertatio vulgari typis permitteretur. Librum itaque, cum accurate diligenterque de more a Cardinalibus ac Theologis nostrae Congregationis S. Officii expendi ac recenseri fecissemus, consensione omnium est compertum, plurimis erroribus ac temerariis depravatisque sententiis esse refertissimum. *) Hoc iudicio permoti damnandum quidem librum nostro etiam decreto esse omnino putavimus, cuius decreti exemplum hisce literis inclusum ad te mittimus. Verumtamen decretum ipsum minime adhuc publicari voluimus, sed antea diligentiam omnem adhibendam duximus, ut auctorem ipsum ad veritatis recteque sentiendi rationes revocatum ad suum cognoscendum atque emendandum errorem induceremus. Qua de re cum pro paternae caritatis officio potissimum solliciti simus, huius nostri studii perficiendi operam tua singulari virtute atque eppali animo freti tibi, ven. frater, committimus, praesertim cum idem Udalricus Cisterciensium monasterii B. M. V. Caesareae in Augustana tua dioecesi positi sit monachus, ac propterea tuas curas peculiarem in modum idcirco etiam expostulet. Ut ille iuvenilis aetatis ardore et quadam novitatis cupiditate hactenus abripi sese est passus, ad consectandas prave sentientium opiniones: ita monitis tuis flecti eundem item posse arbitramur, et frenato ferventioris animi impetu, quo antea maiora

*) Erroneae assertiones in dicto libro occurrunt potissimum sequentes: ‚Verum est, Romanos Pontifices sanandis Ecclesiae et Imperii vulneribus medicam manum applicuisse: ast manebit quoque verissimum, ustulantium et secantium cultris cicatrices ferme obductas horrendis hiatibus omnino dilaceratas fuisse. — Connexio Primatus cum Sede Romana non ex iure divino sed ex facto Petri et Ecclesiae consensu est petenda. — Iura RR. PP. ex scopo Primatus sunt desumenda, hinc potestas in regna et reges etiam indirecta ei nullo modo competit. — Promulgatio legum Papalium Romae facta non sufficit. ‚Cum potestas ecclesiastica sit mere spiritualis, leges et poenae ecclesiasticae nullos effectus temporales post se trahunt, nisi quoad ab Imperio Civili approbentur.‘

etiam aliquando minitari ecclesiae detrimenta videri poterat, ad utilitatem atque honorem eiusdem promovendum traduci. Ipsum itaque ad te compellatum benigne ac leniter ut alloquare volumus, atque in animum ac sensus hominis paullatim illapsus ad errores in illa sua disputatione et libro expositos atque damna inde ceteris illata ultro agnoscenda inducas. Pastoralis tuae mansvetudinis, auctoritatis ac veritatis vi coactus suam ipse pravitatem et suscepti in se criminis magnitudinem intelligat, meritam sibi illatam ab Apost. Sede damnationem videat, et quantum suae conscientiae sit onus impositum, ut damna atque offensiones a se ceteris importatas idem ipse amovere ac reparare sedulo satagat. Cum illum optime animatum et percupidum delendi et tamquam infecti faciendi erroris sui reddes, tunc hanc potiorem medendo malo rationem esse illi persvadeas, eumque ad eam ineundam cohortare, nimirum alium ut librum atque aliam dissertationem conscribat, typisque vulgari faciat, qua pristinas a se repudiatas esse opiniones non obscure declaret, easque unice profiteatur se consectari sententias, quae Ecclesiae atque Apost. Sedis doctrinae sint consentaneae. Propterea ne divelli ac removeri unquam a propositi consilii constantia possit, auctoritatis tuae gravitate id firmissime illi vetari abs te necesse est, ut ne deinceps quidpiam mandari typis possit, quod a tuo ecclesiastico Augustano Consistorio non antea expensum probatumque sit. Magnopere confidimus, proximis tuis, quas ad nos dabis, literis nos esse laetaturos allato qualem expectamus a te nuncio, sapientia tua, auctoritate ac svavitate revocatum esse hominem, et nedum ab omni contagione sentiendi abductum, sed ad tutandas etiam ecclesiae ac religionis partes egregia tua opera divinae gratiae praesidiis munita inflammatum. Huiusmodi spem nobis iniiciunt singularia tua de doctrinae integritate studia, tuaque praestans atque excellens virtus, quam in profligandis Ecclesiae adversariis, pestilentiae atque iniquitatis cathedram contra veritatis ac salutis cathedram constituentibus, luculentissimis indiciis perspectissimam fecisti. Atque etsi nulla mora atque impedimento interiecto id, quod quaerimus, te consecuturum putemus, tamen quo paratius atque expeditius tibi id ipsum esse possit, pontificiam nostram atque Ap. Sedis auctoritatem impertimur, ut si forte monachum ipsum aut illius abbatem, quod minime censemus, repugnantes et suis

se privilegiis tectos esse velle comperies, facile ad officium revoces, ac nostrae tuaeque voluntati morigeros ut se praebeant efficias. Quod cum praestiteris, et eppali tuo muneri praeclare satisfacies, et paternam nostram caritatem, qua te singulariter complectimur, mirifice devincies. — Datum Romae die 24. Febr. 1773. — **Walch** *neueste Religionsgeschichte.* V. Lemgo. 1775. p. 225.

980.

Pius VI PP. damnat electionem schismatici Eppi **Harlemensis**, A. 1778.

MON. *Universis Catholicis in Foederato Belgio commorantibus.* Plane cognitum vobis ac perspectum esse debet, dil. filii, ex sacrae memoriae Benedicti XIV sapientissimi praedecessoris nostri literis in forma Brevis primum die 26 Iunii 1745, tum die 28 Aug. eiusdem anni ad vos datis, *Ioannem Van Stiphout, pseudoeppum Harlemensem* et illegitime electum ad eam ecclesiam, et sacrilege deinde fuisse consecratum. Atque is ab eo tempore in tam diuturno plusquam 30 annorum spatio cum aliquando resipiscere, ipsisque, in quas inciderat, censuris admoneri de deponenda contumacia ac de ingredienda poenitentiae via debuisset, in suo perstitit schismate, ac tandem praeterito Decembri mense ex hac vita ad districtum Domini subeundum iudicium emigravit. Dissimulare profecto non debemus, paternum animum nostrum non mediocri commotum fuisse commiserationis sensu de hoc illius etsi dissensionis filii funesto atque infelici vitae exitu, valdeque doluisse, quod non ante a pertinacia sua, quam a vita decessisset. Sed utinam tandem hic eiusdem obitus in Harlemensi Ecclesia finem tantae tamque pervicacis a catholica unitate secessionis afferret. Verum quanto id magis optandum est nobis, tanto longius abesse iam videmus, atque ab exciso illo silvestri trunco novum repullulare stipitem, ac eius iam inveteratae inobedientiae et defectionis exemplum renovari intelligimus; ipseque Gualterus Michael Van-Niewenhuylen Ultrajecti pseudo-AEppus eiusque factionis antesignanus, qui iam ab a. 1768. Apostolicae Sedis auctoritate excom-

municationi subiectus ac inter schismaticos declaratus, interdicto etiam sibi omni cum ordinis tum iurisdictionis exercitio, non apostolico hoc iudicio, non ullo conscientiae metu retentus, alium nunc ex illo suorum coetu produxit, nempe *Adrianum Broeckmann*, Culemburgi olim pseudo-pastorem, eumque in Harlemensem Eppum die 13 April. c. a. designavit atque elegit, summaque praeteritorum omnium dissimulatione, tamquam ipse esset in catholicae Matris Ecclesiae sinu, quem iam magis hoc ipso dilacerare pergit, ad nos etiam dedit literas, in quibus certiores suae electionis reddit, eiusdemque confirmationem efflagitat. Quo id animo perlegerimus, quantum et ipsum in prava eiusmodi consilia abreptum et ceteros in suam perniciem ipsi consentientes defleremus, quod facile vos ipsi cogitando assequi potestis, nos certe dicendo explicare non possumus. Quamobrem cum iam illos, qui iampridem misere defecerant a nobis, adhuc in sua animi obtinatione persistere praefracte velle videamus in dolore cordis nostri, tamen pastorali munere sacrisque canonum legibus coacti, ut quos sanare non possumus saltem ab aliis laedendis repellamus, praedecessorum nostrorum Benedicti XIII, Clementis XII, Benedicti XIV, et Clementis XIII vestigiis inhaerentes, qui paria omnes iudicia in huiusmodi rebellantium electiones aliosque contumaces ausus exercuerunt, *electionem Adriani Broeckmann in pseudo-eppum Harlemensem a pseudo-archieppo Michaele Van-Niewenhuylen factam nullam, inanem, nefariam, illegitimam ac sacrilegam auctoritate apostolica declaramus, eamque rescindimus, delemus, abrogamus.* (Post solitas clausulas, prioribus Brevibus Pontificiis conformes, sic prosequitur:) — Haec ad vos praecipue scribimus, dil. filii, ut a quibus cavere debetis, per nos ipsos, qui summam de vobis vestrarumque animarum incolumitate curam ac sollicitudinem gerimus, intelligatis. Ceterum cum ad virtutem vestram, ad studia pro fidei veritate, ad constantiam in catholica unitate, ac Ap. Sedis obsequio animum nostrum convertimus, maximum a nobis percipi fatemur omnium, quae ex ceterorum inobedientia inferuntur, aegritudinum solatium. Has ipsas animi nostri erga vos significationes a vobis haberi volumus paternae hortationis nostrae loco, qua cum vos ad tuendum propositum vestrum vehementer inflammatos sciamus, minime indigere agnoscimus ac gaudemus. Nihilotamen minus hortamur vos, ac ad

id potissimum excitamus, quod christiana caritas erga ipsos fratres, qui a vobis tantopere dissident, postulare maxime videtur, ut nimirum assiduis deprecationibus Omnipotentis Dei misericordiam pro illorum ad Christi Domini ovile ecclesiaeque unitatem redita impetrare contendatis. Nos certe, quantum efficere possumus, summo in id studio incumbimus, ut et iis exoremus divini spiritus afflatum, quo a sua defectione tandem recedant, et pro vestra pietate, animi fortitudine ac religione summas Dei benignitati persolvamus gratias, ab eoque inposterum numquam intermissum de vobis uberrimum consolationis ac laetitiae nostrae cumulum habere confidamus. — Datum Romae die 22 Iul. 1778. — **Bullarii R.** *continuatio.* VI. Romae. 1843. p. 20.

981.

Idem consecrationem eiusdem pseudo-eppi Harlemensis censuris eccles. obnoxiat, A. 1778.

MON. Dedimus ad vos, dil. filii, die 22. praet. m. Iul. nostras in forma Brevis literis, easque typis etiam impressas in publicum emisimus, ex quibus nimirum tam vobis quam ceteris omnibus constare facile posset de apostolico iudicio, quo recentem Adriani Broeckmann in Harlemensem Eppum electionem a Michaele Van-Niewenhuylen Ultraiectino falsi nominis AEppo factam nullam, inanem, nefariam, illegitimam ac sacrilegam declaravimus, rescidimus, abrogavimus, eidemque Adriano sub excomm. poena ipso facto incurrenda non solum omnem eppalis iurisdictionis usum interdiximus, sed etiam mandavimus cum ipsi, ne se cuipiam praebeat consecrandum, tum memorato Michaeli ac aliis AEppis et Eppis, ne illum inaniter iam electum consecrare audeant. Eodem tamen tempore dissimulare certe non potuimus, quanto cum dolore eiusmodi iudicium apostolici muneris ratio a nobis expresserit; paterni enim animi caritatem in eos, si reversi ad nos essent, exhibere intime cupiebamus, ac propterea assiduis deprecationibus Dei omnipotentis misericordiam, quae superba illa rebellantium corda frangens ad poenitentiam converteret, impetrare conabamur. At nunc doloris hu-

ius nostri acerbitatem auctam in nobis esse cumulatamque fateri cogimur, cum nuper ad nos perlatum sit, die 21 mensis Iunii peractam fuisse eiusdem Adriani consecrationem, impositasque sacrilegas illas electoris super illegitime electum inauspicata ceremonia manus. Atque ab ipso etiam Broeckman sub ementito Eppi Harlemensis, quod assumsit, nomine accepimus die 22 eiusdem mensis datas literas, quibus et suae huius consecrationis certiores nos facit, et fictis ac subdolis verbis, quo incautos decipiat, obedientiae quamdam praesefert speciem, cum reipsa abalienationem a nobis suam ac ab hac S. Sede defectionem maxime confirmet. Sed hoc modo seipsum praecipue decipit, sibique misere illudit, dum in quam semel prolapsus est animae suae ruinam, in eandem per summam animi temeritatem se magis impellit, atque altius in praeceps immergit. Tantae vero audaciae et confidentiae suae divinam obtendit voluntatem, cum a fundata ab ipso Deo unitatis hac petra tam contumaciter resiliat; in Christi Ecclesia se esse simulat, quam discindit; ab eo missus, qui mittendi facultate caret, infert se seu potius intrudit non in curam sed in perniciem animarum; in ovile non per ostium intrat, sed intrinsecus rapax sub ovis vestimento lupus dat operam, ut Domini gregem disiungat, dividat, disperdat. Nos igitur ne quid detrimenti a iam corrupta in incolumen Christi corporis partem transire, et tamquam diffuso paulatim veneno serpere atque illabi per fraudem possit, sollicitudine ac vigilantia nostra prospicientes, ac dolosis iis plenisque fallaciae, pravitatis atque erroris consiliis occurrentes, morem illorum praedecessorum nostrorum, in quorum tempora nefariae eiusmodi actiones inciderunt, ac canonicas regulas secuti, tradita nobis a Deo potestate primum illam *consecrationem illicitam, illegitimam, sacrilegam, contra supremae Sedis mandata ac sacrarum legum sanctiones factam declaramus, reiicimus, detestamur;* tum eundem Adrianum Broeckman, qui nefariam illam manuum impositionem excepit, ac cum ipso Michaelem Van-Niewenhuylen toties iam gravissimis omnium censurarum eccles. poenis subiectum qui nunc electioni consecrationem, hoc est, sceleri scelus adiunxit, unaque eos omnes, qui operam suam execrabili huic facto commodarunt, et quicunque illis adhaeserunt, opemque, consensum, et consilium praestiterunt, excommunicamus, anathematisamus, atque ab Ecclesiae commu-

nione segregatos et prorsus schismaticos habendos et evitandos esse constituimus, edicimus, mandamus. Sciat autem idem Adrianus, non solum ab iis, quae sunt iurisdictionis, exercendis se esse suspensum, prout fuit a nobis in proximis literis nostris expressum, sed ab iis etiam, ut nunc pronunciamus, quae sunt ordinis. Illi propterea districte interdicimus, sub poena excomm. etc. *(ut in prioribus Brevibus.)* — Iam vero, quod ad vos, dil. filii, pertinet, magnam a nobis percipi iucunditatem profitemur, quod quanto plura isthic a refractariis haec suae contumaciae monumenta renovantur, tanto a vobis constantius animi vestri virtutem ac religionem retineri videamus. Ipsa populi infrequentia ac pene solitudo, in qua illos relictos fuisse audivimus, cum execrabilem consecrationis suae actionem peragerent, satis indicat nobis, quam vos ab his eorum conventibus refugiatis, quamque tantae in defectione pertinaciae, tantae temeritatis ausus magna animorum consensione damnetis, ac aversemini. Agite igitur, dil. filii, omnique studio contendite, ut illis inobedientiae, perversitatis, schismatis exemplis nova semper ac potiora vestrae pietatis, fidei atque in Ecclesiam ac Apost. hanc Sedem obsequii exempla opponatis. Hunc in modum amplificata vestra laude, cumulata laetitia nostra eximie pontificiam in vos paternam benevolentiam confirmabitis. — Datum Romae die 5. Aug. 1778. — **Bullar.** cit. l. 28.

982—986.

Pii VI PP. Allocutio in secr. Consistorio 25. Dec. 1778. de retractatione **Febronii:** cum pluribus Actis eo spectantibus.

INTR. Postquam Febronius doctrinam suam quatuordecim annorum intervallo strenue defendisset, tandem studio ac opera sui APraesulis Clementis Venceslai eo perductus fuit, ut palinodiam caneret, datis ad S. Sedem Apostolicam literis devotionis plenis, et formali Retractatione edita, in qua et errorem suum confitetur, et deliberatum sibi esse promittit, iura et decorem summae Sedis pro viribus tueri, nullumque suae erga

eandem submissioni terminum ponere. Eventum adeo memorabilem Summus Pontifex cum Actis eo spectantibus in Consistorio Cardinalibus proponendum censuit.

982. MON. Quam bonum sit confidere in Domino, Ven. fratres, splendidissimum exhibet argumentum ea, quae inter saevientes procellas aura prodiit securior; ob quam repletum est gaudio os nostrum, et lingva nostra exultatione. Iusta enim et rationabilis est causa gaudendi, ait Leo M. cum a sacerdotibus Domini ea gesta cognoscimus, quae et paternorum canonum regulis, et apostolicis congruunt institutis. Magno munere divinae misericordiae multiplicata sunt gaudia totius Catholicae Ecclesiae: quippe studio Ven. fratris Clementis Wenceslai AEppi Trevirensis et S. R. I. Electoris, quem sine summa laude nominare non possumus, perniciosissimi errores exstincti sunt, et in victoria veritatis dudum falsa dogmata perierunt. Non ignoratis plane, quae et quanta intulerit damna Ioannes Nicolaus Eppus Myriophitanus Ecclesiae Trevirensis Suffraganeus, cum ab anno 1763. sub ementito Iustini Febronii nomine libros edidit, quibus, ut impugnaret huius S. Sedis iura, veritus non est Ecclesiae ipsius unitatem dissolvere. Modo idem AEppus pro religionis ardore, quo incensus est, pro pastorali, qua maxime valet, virtute suaeque mentis praestantia, illum ipsum Febronium induxit ad solemnem errorum suorum confessionem et retractationem. Plura et gravissima sibi ab illo proposita veritatis argumenta cum Febronius excepisset, serioque recogitasset, facile animadvertit, se fuisse terrena opinione deceptum, et ut in S. Literis est apprime versatus, agnovit commentis suis obsistere atque adversari Christi Domini doctrinam, Patrum testimonia, Conciliorum decreta aliasque Ecclesiasticas sanctiones. Ac tum etiam facile nos credimus animo eius obversatum esse, quidquid in Sacris Conventibus Trevirensibus A. 1549. habitis, quos ipsemet iterum prelo subiici voluit, sancitum fuerat de tenenda docendaque Romanae Ecclesiae doctrina, aliisque servandis ecclesiasticis iuribus: quod perspicue agnovit nulla debere varietate corrumpi. Sed adfuit certe eumque intime commutavit illabens in cor mentemque Divinus Spiritus, ut repente Febronius lapsum intelligeret, et ruinam sentiret atque defleret. Tum ut ad Patrem sapiens rediret, qui insipiens a Patre recesserat, cum statim retractasset, reiecisset ac detestatus esset,

quae suis antea libris scripserat, veniam a nobis petiit, Apost. Sedis clementiam imploravit, tamque promtum ac paratum ad praestandas omnes officii sui partes exhibuit animum, ut etiamsi plurima iam accurate revocasset, cetera tamen omnia, quae nos adhuc emendanda esse censeremus, sine ulla cunctatione se correcturum promiserit. Sed praestat haec ipsa, Ven. fratres, ex AEppi literis et Febronii retractatione cognoscere, quas nostrarum ad Principes Epistolarum Secretarius recitabit. Ac primum audite literas.

983. „*Literae AEppi Trevirensis ad Pium PP. VI. super retractatione Febronii.* Benedictus Deus et Pater D. N. I. C. Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui me consolari dignatus est in gravissima tribulatione mea, ut possem et ipse oppressum simili sollicitudine Sanctitatis Tuae animum sublevare. Magna nimirum tristitia mihi fuit, et continuus dolor cordi meo, dum viderem Suffraganeum ac Coepiscopum meum Nicolaum ab Hontheim, virum tot ceteroquin nominibus mihi carum ac venerandum, utpote qui ob excellens et singulare ingenium, immensum omnigenae eruditionis apparatum, longaevam experientiam, mores a puero intactos, et fervidum restaurandae disciplinae, Ecclesiaeque ampliandae studium prae alio quovis oneri meo pastorali levando aptior esset, quique, nisi eum zeli amaritudo et inconsiderantia in transversum egisset, Ecclesiae bono, solatio ac praesidio natus videbatur; dum, inquam, viderem virum hunc terminos, quos posuerunt patres nostri, quinimo quos Patribus nostris Divinus Legifer posuit, transilire, atque a veritatis tramite tanto longius tantoque obstinatius aberrare, quo ipsum magis decipiebat species recti, et optimae voluntatis conscientia. Interim tamen scriptis suis unitatem catholicam scindebat, ad quam reducere Protestantes moliebatur; zizaniorum exstirpandorum praetextu ex agro dominico evellebat et triticum; et fundatae supra petram Ecclesiae ruinam parabat, dum illi etiam suppetias ferre cogitaret. Sed et adversus sanctam Catholico cuivis nonnisi cum religione suscipiendam Romanam Sedem attollere quandoque supercilium, eius iura extenuare, praerogativas obterere, iurisdictionem universalem, quam tota antiquitas venerata est, e medio tollere, imo et eiusdem Sedis Praesules hinc inde probris conscindere non dubitavit, eo nimirum, ut asserit, consilio, ut vigentes in Romana Cu-

ria abusus aboleret, Sedemque Divi Petri sublatis adscititiis iisque monstrosis parergis nativo suo splendori restitueret. Ut autem omnia haec tutius ageret, et parata fors temeritati suae mala declinaret, ficto, Iustini videlicet Febronii, nomine scripta sua vulgabat; et ita quidem caute, ut quamquam auctoris nomen uti hominum neminem ita nec me lateret, argumenta tamen deessent, quibus eum conscripti operis convincerem. Sed et verebar, ne si eo hominem adigerem, ut Febronianorum Scriptorum se auctorem fateri cogeretur, iam asseclarum numero et Magnatum praesidio audacior effectus eo proterviae procederet, ut infelicis operis elucubratione optime se de Ecclesia et veritate meritum esse contenderet; sicque ignis non iam lente et clanculum, ut antea, sese diffunderet, sed disiectis repagulis in vastissimum et numquam forte amplius exstingvendum incendium erumperet. A Deo itaque O. M. consilium, auxilium, temporaque opportuniora exspectanda esse duxi; quem in finem indignas quidem at sinceras tamen et fervidas cum gemitu columbae, bonorumque omnium votis unitas preces ad coelum direxi, illius quoque frequenter interponens auctoritatem, sangvinem et merita, qui quaecunque in nomine eius a Patre petituri essemus, ea nos consecuturos esse promisit. Quam benignum, quamque inclinatum supplicationibus meis se praebuerit consolator in se sperantium Deus, dignabitur Sanctitas Tua ex adiuncto libello intelligere. Praetermitto, ne longior sim, narrare, qua occasione dictum Suffraganeum meum officii sui commonere incoeperim, quibusque gradibus cum Divina Clementia ad Sanctitatis Tuae pedes reduxerit. Verum hoc, utpote eximiae virtutis argumentum, in Venerabilis Senis laudem praeteriisse nefas foret, quod videlicet illum a primo instanti auspicati inter nos negotii usque ad eius consummationem numquam non humilem, docilem, modestum, et ad quaevis iussa mea capessenda obedientem ac promtum expertus fuerim. Nec solum Sanctitati Tuae ad saniora consilia reversum auctoris nostri animum dictus eius libellus exhibebit; sed et cum intimi solatii sensu considerandum sistet, quam humiliter cum Sancta Sede reconciliari postulet, imo quantum gratiam hanc promereatur et magnanima errorum suorum confessione, et amara pristinae rationis factorumque minus rectorum poenitudine, et inconfusibili hodiernorum eius sensuum orthodoxia

et acri, quo modo incenditur, illata Ecclesiae damna reparandi desiderio. Atque id est, cur supervacaneam rem me acturum arbitrer, si te rogem, Sanctissime Pater, ut poenitenti paternum sinum pandas; neque enim dubitare fas est, quin illius caritatem aemuleris, qui super degeneri sed iam converso filio misericordia motus accurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum, eique cum stola prima omnem paternum amorem reddidit. Certe si quidquid tibi est in me benevolentiae (et multoties probasti inesse quamplurimum), revertenti ad te carissimo fratri meo exhibueris, et viscera mea in Domino reficies, et incredibili me voluptate perfundes. Confidens in bonitate tua, haec duxi scribenda tibi, sciens quod super id quod rogo, facies, nec praeteritarum modo eius noxarum oblivisceris, sed et filii loco eum habebis, amabis, literisque amicis et senium eius solaberis, et animum adversus stolida hominum iudicia confirmabis. Dignum quippe et consentaneum clementiae tuae arbitror, ut qui suo erga Sanctam Sedem obsequio fines nullos posuit, eum illimitato prorsus affectu Sanctitas Tua complectatur. Transfusa iam in sinum tuum, Beatissime Pater, svavissimorum solatii, gaudii, spei, ac fiduciae sensuum exuberantia, superest, ut et coram te deponam humillimae ac profundissimae subiectionis tributum, quo, quamdiu vixero, in persona Sanctitatis Tuae honorare intendo venerabilem illam Petram, cui inaedificaturum se Ecclesiam suam Salvator promisit, et contra quam haud secus ac Ecclesiam ipsam nullae unquam inferorum potestates praevaliturae sunt. Cumque in persona beatissimi Praedecessoris tui Divi Petri Apostolorum Principis non agnorum modo omnium sed et ovium tibi cura concredita sit, provinciaque demandata confirmandi fratres tuos : intolerabili fere et viribus meis longe superiori duarum Ecclesiarum pondere quasi ad ima depressus, ad te oculos, manus, vocemque attollo, suppliciter orans, ut fatiscentem sub tot animarum regimine, de quarum singulis severo Iudici — mihi olim reddenda erit ratio, animum allevare, caecutientem illuminare, aberrantem reducere, torpenten excitare digneris consiliis, iussis, ac praesertim plurimum valenti apud Deum precatione. Quae omnia ut apostolica benedictione mihi confirmare velis, vehementer a te peto, qui finaliter me gregesque mihi utut indigno commissos paternae tuae benevo-

lentiae commendans, filialemque reverentiam et amorem humili SS. pedum osculo profitens subscribor Sanctitatis Tuae devotissimus et obedientissimus servus et filius Clemens Wenceslaus AEppus et Elector. Ehrenbreitstein, die 15. Nov. 1778.

Nunc animos vestros ad Febronianam retractationem advertite.

984. *„Retractatio Episcopi Suffraganei Trevirensis Nicolai ab Hontheim.* Si quid mihi in longaeva et ad exitum declinante vita evenit triste et acerbum (evenerunt autem haud pauca) : illud omnium maximum et intima viscerum penetrans est, quod per Rev. et Ser. D. AEppum meum Pastorem vigilantissimum ad me pervenit, Sanctitatem Vestram indigne ferre plura, quae in libris Iustini Febronii, seu quovis alio adscititio nomine a me evulgatis, aut forte etiam mihi suppositis continentur, utpote summae Sedi iniuriosa, nec non supremis eius iuribus detrahentia, proin sanctae nostrae Religioni — sane praeter et contra meam intentionem — noxia. Cum autem nihil maius et viro bono dignius sit, quam agnitum errorem confiteri, et praeteritam culpam melioribus factis redimere : sic inprimis agnosco et defleo errorem, ex zelo indiscreto Protestantes Catholicae Ecclesiae et Apost. Sedi reuniendi, huncque in finem etiam usus et praxes particularium Ecclesiarum easque persaepe ultra modum exaggeratas omnibus Ecclesiis applicandi studio natum, neque eum, quoad vixero, deflere desinam. Dein deliberatum mihi constitutumque est, postquam culpam confessus et veniam gratiamque a paterna Sanctitatis Vestrae clementia supplex deprecatus fuero, sicuti iura et decorem summae Sedis pro viribus tueri, ita et eiusdem S. Sedis iudicium libris et luminibus meis praeferre, nullumque meae erga eandem submissioni ponere terminum. Eripuit mihi auctoritas Sanctitatis Vestrae — in qua auctoritatem Iesu Christi recognosco — errorem. Itaque praesentes, eosque genuinos animi mei sensus de statu Ecclesiae, et summis Sedis S. Petri Apost. Principis iuribus ad Successoris eius pedes omni cum submissione depono, tamquam in qua vivere et mori cupio. Sunt autem ii sequentes. Inprimis profiteor et agnosco cum Tournelio, claves Ecclesiae et uni Petro et Unitati simul a Christo concessas esse, ita, ut unum aliud non excludat. Oportebat quippe meminisse cum Tertulliano in Scorp. Cap. 10. eas Dominum Petro et per eum Ecclesiae reli-

quisse; et cum Optato de schism. Donat. lib. 7. n. 3. Petrum claves regni coelorum communicandas ceteris solum accepisse; ut enim de Petro ait S. Leo serm. 3. in Anniv. si quid (Christus) cum eo commune ceteris voluit esse Principibus, numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit; scilicet claves datae sunt uni Petro, quatenus ille primatum et regiminis potestatem accepit a Domino, idemque personam totius Ecclesiae ceu supremus eiusdem post Christum et sub Christo rector ac moderator gerebat. Datae quoque sunt Unitati, id est, in bonum unitatis, et Petro praecipue, ut dictum est, et aliis etiam Apostolis eorumque successoribus Episcopis, quibus docendi ac regendi ministerium et potestas seclusa plebe commissa sunt in verbis: „Sicut me misit vivens Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata etc. Euntes docete omnes gentes etc. Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei;“ attamen cum dependentia a Petro, et cum subordinatione ad ipsum, qui eas, ut superius ait S. Optatus, communicandas ceteris solus accepit. Explodendus proinde error, haustus ex Protestantium fontibus, Ecclesiam collegium esse, non societatem, ut Catholici sentiunt, in qua baptisati fideles ex institutione Christi sub legitimorum Pastorum ac praecipue Summi Pontificis regimine degunt, cuius regiminis potestas a Christo constituta veram subiectionis et obedientiae obligationem multitudini seu universitati imponit. — Profiteor, Dei Filium, dum suam Ecclesiam fundare eamque esse unam vellet, formandae ac regendae huic unitati Primatum in illa instituisse, huncque S. Petro commisisse. Firmiter assero cum SS. Patribus Cypriano, Hieronymo, Optato Millevitano, Gregorio Nazianzeno, Ioanne Chrysostomo, Ambrosio, Leone M., Gregorio M. et aliis, propterea inter duodecim Apostolos unum electum esse, ut Capite constituto, super quo Ecclesia fundata est, schismatis tollatur occasio; ideo Christum, cum suis Apostolis potestatem largiretur, ab uno, cui Primatum tribuit, coepisse, ut unam Ecclesiam, et unitatem cathedrae simulque unitatis originem demonstraret; schismaticum esse, qui, ut ait Optatus, contra singularem cathedram aliam collocat, vel ab eius communione per obedientiae negationem recedit; non habere Petri haereditatem, qui Petri sedem impia divisione discerpit, siquidem ubi est Petrus, ibi est Ecclesia; Petrum Ecclesiae fundamenta (Apostolos

sibi ut Capiti subordinatos) in fidem suam recepisse; eidem Petro, in quo Primatus excellenti gratia praeeminet, ipsorum etiam Apostolorum curam a Christo esse commissam, ipsum esse os, et principem apostolici coetus. — Assero hunc primatum (qui non ordinis, inspectionis ac directionis tantum est, sed et verae auctoritatis ac iurisdictionis), quia non minus quam Unitas ipsa, pro cuius conservatione ac regimine institutus est, perpetuus esse debebat, in Petri successores Romanos Pontifices, Sedemque Apostolicam huius unitatis centrum et radicem iure divino transiisse, ut nulla ratione transferri a Romana ad aliam Sedem valeat. Ad hanc Ecclesiam propter potiorem principalitatem, id est, propter supereminentem eius dignitatem atque auctoritatem, uti ait S. Irenaeus, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique, fideles; eam esse Caput Ecclesiarum, a qua, ut inquit Bonifacius PP. I., quisquis se abscindit, fit a Christiana Religione extorris. Huic accedunt Patres Concilii CPni IV: „Sequentes, ut aiunt, in omnibus Apost. Sedem, et observantes omnia eius constituta, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apost. praedicat, esse mereamur, in qua est vera et integra Christ. Religionis soliditas; promittentes etiam, sequestratos a communione Ecclesiae Catholicae, id est, non consentientes Sedi Apost. eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria.“ In horum sequelam cum Patribus Conc. Oecum. Florentini agnosco, Romano Pontifici in b. Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenam potestatem traditam esse. Sicut autem pascendi et regendi potestas sine convenienti auctoritate, iurisdictione ac coactione (ad quam etiam velut gravissima spiritualis poena pertinet excommunicatio quoad fructum et suffragia generalia separans) subsistere non potest: sic talem a Christo ipso promanantem in Romano Pontifice tamquam universalis Ecclesiae Capite, Principe ac Magistro, residere affirmo. — Profiteor quoque Romanum Pontificem esse summum Iudicem controversiarum in rebus fidei et morum; ac in omni eiusmodi controversia exorta hinc inde dissentientibus animis tum maxime audiendam vocem Hieronymi scribentis ad Damasum: „Ego Beatitudini tuae, id est, Cathedrae Petri communione consocior: super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Non novi Vitalem, Meletium respuo,

ignoro Paulinum, quicunque tecum non colligit, spargit. Et adhuc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat. Ego interim clamito: si quis Cathedrae Petri iungitnr, meus est.“ — Addo speciatim adversus errorem tum veterum tum recentiorum novatorum, qui spreta multitudine Episcoporum, Capiti suo Romano Pontifici expresse vel tacite adhaerentium Ecclesiam ac veritatem in sua paucitate concludere non verentur, fieri non posse, ut a vero aberret corpus Episcoporum, qui Capiti suo Rom. Pontifici adhaerent. Sic haeresim Lutheri iam ante Conc. Tridentinum ab Ecclesia, praeeunte Pontifice, per eius oraculum ultimato et irrevocabiliter damnatam fuisse; quandoquidem Ecclesia Capiti unita sive per orbem universum dispersa sive congregata in Conciliis Generalibus (in quibus Episcopi iure proprio ac iudiciaria potestate sibi ex institutione Christi cohaerente una cum Summo Pontifice definiunt), in dictis causis definiendis errare non possit, nec ab ea cathedra discedere, ad quam, teste Cypriano, perfidia non valet accedere; et in qua manente dispositione veritatis b. Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans Ecclesiae gubernacula non reliquit, ac per successores suos sedere ac loqui non desinit. — Agnosco pariter datam Ecclesiae a Christo auctoritatem iudicandi de sensu seu doctrina propositionum, librorum et auctorum, ac fideles compellendi ad subscribendum suae sententiae; hos proinde teneri eidem acquiescere interna mentis et iudicii adhaesione, non solum religioso, ut vocant, silentio; atque huiusmodi iudicium nullatenus errori esse obnoxium. Constitutioni *Unigenitus* ut dogmatico S. Sedis Romanae et universalis Ecclesiae decreto omnimodam ab omnibus obedientiam deberi affirmo. Dico cum Avito Viennensi Episcopo, in rebus, quae ad Ecclesiae statum pertinent, si quid dubitationis fuerit exortum, ad Romanae Ecclesiae Maximum Sacerdotem quasi ad Caput nostrum esse referendum. Circa Decretales RR. PP. Epistolas profiteor cum SS. Gelasio et Leone eas venerabiliter suscipiendas esse, et sancte custodiri debere. Affirmo Romano Pontifici iure divino competere ius indicendi, dirigendi, et confirmandi universalia Concilia, quae per eius concursum plenam sortiuntur firmitatem et infallibilitatem, independenter a quacunque alia acceptatione. — Concilium Tridentinum non tantum in causis fidei sed etiam disciplinae liberum fuisse profiteor, non obstante quod pro illo-

rum temporum et rerum circumstantiis in eadem sacrosancta Synodo non potuerint omnia de quorumdam etiam proborum virorum voto ac desiderio reformari. Causas criminales Episcoporum per Conc. Trid. Sess. 24. cap. 5. Summo Pontifici et Apost. Sedi merito reservatas iudico. Cumque eadem S. Synodus Sess. 14. cap. 1. declaraverit, Pontifices Maximos pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita causas aliquas criminum graviores merito potuisse suo peculiari iudicio reservare: non arbitror licere apertam hanc Synodi declarationem eludere, aut obliquis et coactis interpretationibus evertere, quasi haec potestas Summo Pontifici non competeret proprio ac originario divinoque iure. Habet proinde idem Pontifex et iure exercet in universa Ecclesia potestatem dispensandi ex legitima causa in lege per Generale Concilium lata. — Primis iam tum Ecclesiae temporibus ii censebantur spurii adulterinique Episcopi, quorum Romanus Pontifex ordinationem seu electionem absolute respueret, veluti Ultrajectinorum pseudo-Episcoporum, aliorumque eidem communioni atque causae adhaerentium. Quamvis autem antiquioribus temporibus confirmatio et consecratio neo-electorum Episcoporum ad Provinciales Synodos, praecipue vero ad Metropolitanum pertinuerit: attamen legitimis de causis haec disciplina per universum Occidentem mutata fuit; neque pristinam hac in parte disciplinam reduci posse existimo, nisi de pleno atque libero Summae Sedis assensu. Idem de translationibus et depositionibus Episcoporum nec non de erectionibus novarum Sedium Episcopalium servandum iudico. — Canonisatio servorum Dei per Papam Alexandrum 3. ad evitandos innumeros abusus soli Romano Pontifici seclusis Episcopis Dioecesanis merito servata est. Quamquam et ab antiquioribus temporibus, ut habetur ex Benedicto 14. lib 1. de beatif. et canon. serv. Dei Cap. 1. n. 10. beatificationes ipsae, quae fiebant ab Episcopis, vim obtinebant canonisationis vel per expressam Summi Pontificis approbationem, vel per universalem extra Concilium Ecclesiae consensum, in quo tacita Summi Pontificis approbatio continebatur. — Quamvis olim vix aliae causae, quam maiores ex provinciis ad Romanam Curiam deferrentur, attamen hodie in reverentiam Summae Sedis, ac pro suprema potestate eidem in universa Ecclesia divinitus tradita legitimo communique usu invaluit, ut in quibusvis causis ecclesiasticis ad Sum-

mum Pontificem appelletur, ita ut eiusdem Sanctissimi auctoritate in suprema instantia iudicetur, tum Romae per iudices ordinarios ibidem constitutos, tum per Delegatos in partibus pro diversitate locorum, morum et Concordatorum. Summi Pontifices Pius 2. Iulius 2. et Gregorius 13. omni iure damnarunt appellationes a Papa ad futurum Concilium, cuius damnationis causas suis Constitutionibus explicant. Sane iam antea reprobatas comperimus a Gelasio appellationes a Sede Apostolica: siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellare voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus. — Equidem primaevo Ecclesiae usu omnia beneficia ad Episcopi tamquam Ordinarii loci dispositionem seu collationem pertinuisse videntur; attamen cum sanae rationis sit, ut Summus et Universalis Pontifex plurium in provinciis gratiarum dispensator existat, sic minime iniustae, imo huic Summi et Universalis Pontificis qualitati consonae fuerunt beneficiorum reservationes, quae deinceps Nationum Concordatis firmatae et respective moderatae sunt. Haec Concordata, utpote vim pacti habentia, religiose omnino servanda sunt. Declararunt autem saepius Romani Pontifices, signanter Gregorius 13. longe a suo animo abesse Concordatorum, nominatim Germaniae, infractionem. — Annatae ad sublevandas necessitates Romanae Curiae, pro omnibus Ecclesiis excubantis laborantis et sumtus portantis, pro legitimis habendae, atque ut tales eo saltem usque retinendae sunt donec alia aeque commoda ratione Apostolicae Sedis iudicio sustentationi atque innumeris oneribus eiusdem Curiae provisum fuerit. — Exemtio Regularium, quorum magna in Ecclesia est utilitas, eorumdemque immediata subiectio ad Apost. Sedem legitimis ex causis in bonum non tantum Religiosorum Ordinum sed etiam Universalis Ecclesiae, videlicet ad faciliorem eorumdem sub uno supremo Capite gubernationem introducta, et ab omnibus Ecclesiis agnita, nedum a seculari potestate, sed nec ab una particulari Synodo abrogari valet. Abusibus, ex hac exemtione nasci valentibus, per Concilium Tridentinum occursum et provisum est. — Scio Episcopos non ab Ecclesia, seu fidelium universitate, sed a Spiritu S. positos, ut commissos sibi greges intra suas solum dioeceses pascant et regant cum debita ad Rom. Pontificem subordinatione. Quamvis autem illi primis Ecclesiae temporibus ampliorem pro varietate

disciplinae in his, quae iurisdictionis sunt, potestatem exercuerint; potuere tamen Canones eius usum intra strictiores terminos coercere, quos privata auctoritate extendere nefas foret. — In illis, quae ad fidem, sacramenta, et ecclesiasticam disciplinam pertinent, potestas Ecclesiastica pleno iure decernit, sine concursu potestatis Civilis; ratione tamen mutuae protectionis, quam sibi invicem debent, ad hanc spectat, iuxta mentem Ecclesiae, et quantum ipsa optat, eius Canones protegere, et exequendos curare per media temporalia. — Finaliter iudico curandum omni legitimo ac meliore modo, ut pax et concordia inter Ecclesiam et Rempublicam perpetuo retineatur; atque adeo quoad fides et religionis iura patiuntur, vitandas esse occasiones offensionum, unde et dissidia oriri, et gravia mala in religionis detrimentum timeri possent. — Accipe, Sanctissime Pater, has assertiones velut tesseram genuinae meae sententiae de divinis atque eminentioribus tuis, tuaeque Sedis iuribus, tamquam monumentum revocationis omnium, quae adversum ea, et si quae fortasse alia verae doctrinae capita, seu universalis Ecclesiae iura — licet praeter intentionem — a me quavis via aut modo dicta scriptave fuere, vel scripta videri possent. Si quid ultra est, quod circa fidei seu doctrinae meae professionem ac declarationem, quam in omnibus S. Romanae atque Apostolicae Ecsiae conformem esse cupio, iubes aut postulas; habebis me semper ad eandem germana sinceritate edendam obedientem ac promtum. Non negabis interim (sic humillime confido) veniam erranti, qui medias etiam inter deviationes nihilominus cum Patribus Conc. Lateranensis semper agnovit, et quoad vivet, agnoscet Romanam Ecclesiam disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinere Principatum, utpote matrem universorum Christi fidelium; qui cum D. Bernardo sine fraude et fuco profitetur: esse alios aliis assignatos greges, singulis singulos, tibi universos, uni unum non modo ovium sed et pastorum, tamquam uni omnium Pastori; qui cum S. Hieronymo non ignorans Romanam Ecclesiam supra petram, qui Christus est, aedificatam, nihil magis desiderat, quam Cathedrae Petri (qui etiam per Christum factus est petra, ut ait S. Maximus Taurinensis) perpetuo consociari. Suscipe me in hanc Unionem; redde poenitenti filio paternum affectum; et in pignus huius gratiae da iacenti ante sacratos pedes tuos eosque deosculanti Apostolicam

Benedictionem Sanctitatis Tuae humillimo et obedientissimo filio Ioanni Nicolao ab Hontheim, Episcopo Myriophitano Suffraganeo Trevirensi die 1. Nov. 1778."

Nostras modo in forma Brevis literas, quibus ad utrumque respondimus, audietis.

985. *Breve Pii VI ad AEppum Trevirensem.* *) Ni-

---

*) Antequam praesens Breve ad AEppum Trevirensem dimitteret Pontifex, binas dedit ad Eundem in negotio Retractationis Febronianae literas, quas hoc loco inserendas censuimus. *Primum Breve dd. 22. Aug. 1778:* „Nihil acceptius epistola tua ad nos unquam delatum est, ven. frater, nihil iis, quae nunciasti, unquam in vita accidit iucundius atque exoptatius. Abstulisti nobis illam iamdiu animo inhaerentem summae sollicitudinis ac doloris in Febronianis scriptis causam; immenso atque incredibili nos replesti gaudio; in maximam certissimamque spem Ecclesiae ab illis erroribus vindicandae induxisti. Summam atque immortalem Divinae misericordiae gratiam egimus quia tandem nostras preces, lacrimasque in cordis humilitate fusas respexerit. In illo sermone cum suffraganeo tuo Eppo Myriophitano a te habito Dei ipsius digitum cor hominis altissime praecedentem ac repente immutantem plane agnovimus. Post Deum, a quo omne bonum pendet, animum nostrum ad Te, ven. frater, tuamque egregiam tamque excellentem operam conventionis cum summis prosecuti sumus laudibus, nihil unquam a te cogitari praeclarius, nihil tentari gloriosius, nihil effici utilius posse intelleximus. Te illo consilio, illaque actione eximie atque immortaliter de nobis, de apostolica hac sede, de Ecclesia universa meritum esse profitemur, Tibique et gratulamur de adiuncto ad pristinam laudem tuam hoc numquam interiturae gloriae cumulo, et quae possumus maxima gratissimi animi tuique amoris et existimationis plenissima officia persolvimus. Capti nos tua hac virtute atque inflammati, non hic consistimus, ven. frater, sed ad ulteriora etiam a te exigenda (tanta sumus de te spe) properamus. Est adhuc aliquid, quod tuae illi operae tuaeque laudi tamquam fastigium possit imponi. In illo libello deprehendimus nonnulla, quae etsi non tam per se gravia, tamen non omnem praecludere videntur adversariis ad repugnandum locum. Ea nos diligenter animadversa quam citissime ad te transmittemus, ut cum libelli auctore agere possis, qui eadem ipse corrigat, reformet, atque emendet, nequid scilicet in illa sua retractatione, quod absolutissime requirendum sit, desideretur. Itaque hanc etiam a te flagitamus tibique imponimus partem, quae ad tanti operis perfectionem superest, ut maximus ab ea fructus in universam Ecclesiam redundare possit. Facilem hunc tibi rei conficiendae successum fore non ambigimus, cum nostris monitis se omnimo observaturum ultro nobis promiserit suffraganeus tuus, tantoque magis facturum confidamus, quod iam videmus dolore cordis tactum intrinsecus, deposito pristino elationis sensu a Deo docilitatis spiritum recepisse. Tunc certe poteris illia nobis omnia effusissime polliceri. Regredienti ab errorum via ad apostolicam hanc veritatis petram, veniamque simpliciter

hil nobis gratius atque acceptius tuis literis contingere unquam potuit, Ven. frater; nihil iis, quae nobis ipsae attulerunt, exoptatius. Incredibile est, quanto inde quamque immenso repleti gaudio

---

oranti non ignoscere solum parati sumus, sed cum reconciliationis beneficio omnem pontificiam gratiam paternamque caritatem exhibere. Amantissime ipsum excipiemus, tamquam inventam quae perierat ovem, atque humeris etiam nostris laeti exultantesque imponemus, fratrum nostrorum ac Coepiscoporum in numero habebimus, atque eo diligemus magis, quo maius ille nobis in hoc et apostolicam hanc Sedem studium suum, obsequium, cultumque comprobaverit. Quae omnia tamen prout cupimus, ipsi praestare non possumus, nisi aliquae, quas ad te propediem mittemus, emendationes ab ipso receptae in suam retractationem eique adiunctae fuerint. Sine illis enim quantum esset in Ecclesia utilitatis expectandum? Hac certe re clarissimum ipse sui animi indicium, magnamque nobis spem etiam fecerit fore, ut inposterum reparare offensionem et scandala per catholicum orbem late diffusa salutari suscepta scribendi ratione veraeque doctrinae propugnatione contendat. — Datum Romae die 22. Aug. 1778." — *Alterum Breve dd. 12. Sept. 1778.* sic sonat: „Quod in nostris die 22. Aug. datis literis polliciti tibi sumus, quam citissime nos ad te transmissuros esse animadversionem nonnullam, seu emendationem, quam inseri libello retractationis Eppi Myriophitani suffraganei tui oportere iudicamus, id nunc praestamus, ven. frater, hisque nostris aliqua adiungimus folia, in quibus eius retractationis exemplum eaeque ad marginem positae correctiones continentur. Restat nunc, ut idem tuus suffraganeus illas omnes ita recipiat atque in suam epistolam inserat, ut quaecunque in ea perscripta erunt, omnia ut debent ex intimo suo sensu suoque iudicio, non vero ex alterius monitis emanasse appareant; ipsamque epistolam tamquam primum a se suaque sponte elucubratam iterum ad nos transmittat cum subscripto suo nomine, adiunctoque die ac loco, quo data sit, quod in ea prima decesse etiam animadvertimus. A te igitur, ven. frater, cui tam egregia rei huius initia deberi agnoscimus, maiorem in modum flagitamus, omnem da operam, ut incepta rite perfici, nostramque non minus iucunditatem quam tuam inde gloriam maxime cumulari videamus. Eo facto palam omnibus erit, quod iam pridem id effectum non esset praedecessorum nostrorum tempore apud te idcirco magnopere instantium, minime voluntatem, tibi, sed facultatem defuisse, cum statim ut rem tentari Deo iuvante posse cognoveris, illam tanto studio tantaque episcopalis animi tui sollicitudine adgressus sis, ut ad exitum summa felicitate prope perduxeris; qui quidem animus tuus ut nobis ante perspectissimus fuit, ita nunc successus ipse, quem speramus, nostra de eximiis tuis virtutibus iudicia mirifice confirmabit. Id nos certe incredibiliter cupimus atque expectamus, ut nimirum cum plurimorum offensione aberrantem tamdiu, ac nunc ad nos divina ope revertentem fratrem non solum in gratiam recipere, sed singulari etiam benevolentia prosequi et complecti valeamus. Neque enim vereri possumus, quin ipse non cupidissime nobis tam iusta petentibus obsequuturus sit eaque expleturus, quae ab illo utpote et Ecclesiae utilitati ne-

sumus, idque tu ipse magis ex tuo laetitiae sensu existimare poteris, quam nos ullis tibi significationibus exponere valeamus. Illo, quem nunciasti, successu, illo, quem transmisisti, Retractationis libello gravissimam detraxisti nobis, quae iamdiu animo infixa erat, de Febronianis scriptis sollicitudinem: quantumque antea de illatis illinc in Ecclesiam damnis dolebamus, tantam nunc in spem inducimur, fore, ut iis ipsis scriptis iam a suo auctore repudiatis, abdicatis ac damnatis, accepta detrimenta sarciri tandem ac refici videamus. Hunc a Deo ipso rei exitum eo magis expectamus, quo magis illius digitum, cor hominis altissime pervadentem, atque immutantem agnoscimus. Tuos ille sermones cum Episcopo Myriophitano Suffraganeo tuo a te habitos, tua in ipso ab errandi via deducendo consilia, tuas actiones pro sua gloria, atque Ecclesiae utilitate susceptas sui Spiritus afflatu moderabatur, sua ope praesidioque muniebat, opportunitatesque omnes, et differendi atque agendi tempora sapientia sua gubernabat. Illi igitur, qui dives est in misericordia, summae immortalesque habendae sunt a nobis gratiae, quod et tua vota, studia ac labores, et nostras non intermissas preces ac lacrymas in cordis humilitate ad eum fusas tam liberaliter tam benigne tandem respexerit. Verum cum ab ipso tua fuerit opera tamquam suae miserationis instrumentum adhibita, ipsam hanc tam egregiam, tamque excellentem operam ac virtutem tuam intimi animi nostri comprobatione prosequimur, atque in coelum extollimus, tibique, Ven. frater, ita gratulamur, ut nihil unquam a te in tuo Episcopali munere neque gloriosius, neque utilius suscipi,

---

cessaria et ipsius famae ac nomini maxime profutura et nunc desideramus, et in posterum forsan desideraturi sumus, siquid praeterea aliud ab ipso retractandum nobis occurrerit; cum se in illa sua epistola nostris iussis ac postulatis, quae praesertim ad fidei suae et doctrinae declarationem pertinerent, futurum semper esse sincere obedientem, ac promtum pronunciavit ac promiserit. Quodsi nihilominus omnibus illis correctionibus nostris in suam retractationem eo, quo praescripsimus, modo omnino recipiendis repugnaverit, quid tunc aliud existimare poterimus, nisi locum omnem nostrae veniae nostraeque in eum Pontificiae gratiae ab illo nobis esse praeclusum? Ac Omnipotentem Deum enixe precantes, ut iniecta a Se illi consilia perfici, ac in suam gloriam redundare faciat, apost. benedictionem etc. Datum Romae die 12. Sept. 1778.“ Utrumque Breve desumsimus ex libello: *Briefwechsel zwischen dem Kurfürsten von Trier und dem Weihbischof Niclas v. Honthein. Frankfurt, 1813. p. 27. 35.*

atque effici potuisse apostolica voce praedicemus. Summa esse tua fatemur de nobis, de Sancta hac Sede, Ecclesiaque universa merita, ac maxima inde nec unquam interitura accessisse ad pristinam tuam laudis ac splendoris amplitudinem verae solidaeque gloriae ornamenta. Haec eximia nostra de te iudicia pari etiam gratissimi animi testimonio, summique in te amoris, existimationis, ac studii declaratione cumulamus. Proinde quod tu nunc a nobis vehementer exoptas, atque efflagitas, ut Ven. fratrem Ioannem Nicolaum Eppum Myriophitanum iamdiu aberrantem ac ad nos modo revertentem in gratiam benevolentiamque nostram restituamus, magnopere quidem gaudemus in eo, quod nostra animi inductione cupidissime praestituri sumus, una etiam nos esse tuo huic gravissimo postulato praeclare satisfacturos. Itaque omnia, prout fieri a nobis cupis, ab ipso antea in Apostolicae huius Sedis Ecclesiaeque iura perperam atque inconsulte dicta, scripta, actaque ex animo remittimus, condonamus, atque ignoscimus; ad eaque respicimus, quae nunc consecuta sunt, quae nimirum a te, atque ab illo ipso etiam de praesenti suo animi sensu ad nos deferuntur; eundem in paternae caritatis sinum atque in complexum nostrum libenter amanterque recipimus, ac tamquam inventam ovem, quae perierat, humeris nostris imponimus, atque ad hanc solidissimam veritatis petram laeti exultantesque reportamus, ac inter ceteros Coepiscopos fratres, itemque filios nostros adnumeramus; et quo amplius habeat paterni huius amoris, laetitiaeque nostrae argumentum, non mediocri etiam laude et commendatione hanc ipsius actionem exornamus. Commendari enim oportere a nobis intelligimus eius cum ingenii docilitate coniunctam animi fortitudinem, quae in suo hoc facto perspicue conspicitur atque eminet, dum illas suas, quas tantopere adamarat antea, propugnaratque, sententias abiicit nunc, ac detestatur, dum plurimorum huic Petri Cathedrae aut adversantium aut invidentium, quos undique in suas partes laudesque pertraxerat, iudiciis non retrahitur, non permovetur. Quid hoc est, nisi quodammodo pro veritatis, quae affulsit, amore semetipsum contemnere, et Saulo novum in se Paulum exprimere, de ambitione, de sui laude, de profani seculi huius aura fortiter egregieque triumphare? quo certe humanae naturae imbecillitas pertingere non potest, nisi divina ope fulta ac roborata. Divinae igitur voluntatis rationibus

inhaerere nos putamus, dum eundem singulari laude prosequimur, quae potissimum in Dei ipsius gloriam est redundatura. Idcirco iam nunc ipsi amantissimis respondemus literis, quas hisce coniunctas ad te transmittimus, in iisque intimae reconciliationis, gratiae, laudationisque nostrae testem apostolicam Benedictionem ex animo concedimus. Ut autem ad te regrediamur, Vener. frater, ita tua hac virtute tuaque felicitate gaudemus, ut plurimum ob ipsum etiam tam singulare tamque praestans exemplum in te splendoris, in Apost. Sedem utilitatis adiunctum iri cumulum iudicemus. Maximo enim exemplum illud ceteris omnibus Episcopis incitamento ad sacra tuenda, et propugnanda iura futurum confidimus; eos vero acerrime poterit sua claritate ac luce ad imitationem impellere, quibus ob locorum propingvitatem erit ipsum multo conspectius, quibusque deesse iam hoc tempore non potest eiusmodi exhibendae exercendaeque virtutis copia. Nunc vero etsi te ipsum inposterum tui similem futurum non dubitemus, valdeque laetemur nulla te hortatione indigere, qui tua sponte ad praeclara quaeque inflammaris; tamen ut magis tibi constare possit, quantum adhuc tua virtute nitamur, illud nunc a te expectamus, ut quem a Deo recepit Suffraganeus tuus docilitatis spiritum, eodem pro tua apud ipsum auctoritate velis uti ad debitam ab ipso exigendam, quam promisit, operam, qua illud errorum propugnaculum, quod iampridem excitavit, idem ipse sui ingenii suaeque doctrinae ope deiicere, ac funditus delere pergat, ex quo certe praecipuum ipsi illi retractationi suae pondus adiungetur. Tecum praeterea S. Leonis M. adhibemus ad Theodoretum Cypri Episcopum scribentis verba: „Victoria, quam Christus Dominus noster suae donavit Ecclesiae, quamdiu in hoc mundo versamur, licet fiduciam maiorem tribuat, non tamen in totum sollicitudinem perimit, nec ut dormiamus, donata est, sed ut svavius vigilemus.“ Iam quod reliquum est, et perspectissima nobis antea erant tua in nos et apostolicam hanc B. Petri Cathedram studii, coniunctionis, observantiae, pietatisque officia; et nunc adeo grata et iucunda est eorumdem in epistola tua luculentissima confirmatio, ut nihil cupiamus magis, quam palam omnibus facere posse, quantam tui tuaeque dignitatis ac virtutis rationem habeamus, quantumque ad ea omnia praestanda, quae ad tuae laudis gloriaeque incrementa faciant, atque ab huius S. Sedis beneficentia

proficisci possint, potissimum incendamur. Interim Deum O. M. precamur, ut cum ipse praestantium tuorum meritorum svasor, impulsor, atque auctor exstiterit, idem etiam esse suorum in te munerum amplificator velit. Atque huius divinae benignitatis auspicem Apost. Benedictionem tibi Vener. frater, tuaeque fidei concreditis populis intimo paternae caritatis sensu amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Petrum die 19. Dec. 1778."

986. *Breve Pii VI. ad Eppum Suffr. Trev. Hontheim.* Quod summopere semper optavimus, quodque a Deo O. M. omni animi contentione precati sumus, ut tu, Ven. frater, cordis dolore tactus intrinsecus, tandem aliquando a suscepta iamdudum offensionis atque erroris semita illius miseratione digredereris, teque ipsum ad verae doctrinae lucem revocares: id nunc contigisse et ex literis Ven. fratris Clementis Wenceslai Trevirensis AEppi et S. R. I. Principis Electoris, et ex transmisso nobis tuo Retractationis libello incredibili paterni nostri animi iucunditate intelleximus. Maximas exstitisse nobis a te antea doloris atque aegritudinis causas ipse facile percipere potes; cum te nimirum intueremur huius Apost. Sedis beneficio ad Episcopatum evectum, ipsique tanto necessitudinis nomine devinctum, tamen insurrexisse ad eandem oppugnandam, idque conari, ut eius antiquissima iura atque a Christo Domino derivata privilegia minueres ac labefactares. Divinis nos sane freti promissionibus certissime confidebamus, solidissimam hanc veritatis petram nullis unquam adversis ventis ac tempestatibus concuti posse, atque ad ruinam impelli. Sed et tuam dolebamus vicem, qui te tantopere a nobis averteres, atque aberrares; et eorum etiam omnium errorem perniciemque deflebamus, quos ingenium tuum, amplaque eruditionis ac doctrinae species ad tuas partes, hoc praesertim adversissimo Ecclesiae ac Religioni tempore, facile pertrahebat atque aggregabat. Has pristinas gravissimas molestias, perpetuasque sollicitudines nostras non idcirco nunc commemorandas suscepimus, Ven. frater, ut tibi quidquam exprobrare videamur, sed ut luculentissime declaremus, in quale quantumque illae iam conversae sint gaudium, quamque ex ipsa superioris temporis recordatione sensus in nobis tuae huius reversionis fiat iucundior. Cognoscimus certe in tuis hisce immutatis consiliis Dei virtutem ac misericordiam, qui non reliquit te usque in finem, sed novam tibi mentem voluntatemque per S. Spiri-

tum immisit atque indidit; eique quantas maximas possumus intima animi fide gratias persolvimus, teque etiam hortamur, ut haec ipsi debita tuae religionis officia in humilitatis sensu exhibere ac referre numquam intermittas. Porro ut tu ipse pro tanto beneficio post Deum unice obstrictus es eidem Trevirensi AEppo tuo, ita nos itidem plurimum ipsi debere ultro profitemur, qui sua tandem opera, sapientia, ac virtutè perfecit, ut divina ope te ad hanc B. Petri Cathedram cum gemitu sisteres, implorares veniam, ad eiusque cultum, obsequium, ac reverentiam puro corde et conscientia bona et fide non ficta redires. Hoc nimirum de te persvadent nobis praeter summam eius amplissimi Viri auctoritatem ipsa ratio epistolae ac retractationis tuae, in qua post plurima singillatim atque accurate expressa a teque revocata, animum praeteritorum omnium poenitentem exhibes, eumque in modum comparatum esse confirmas, ut cetera etiam, quae non expresseris, contra Apost. Sedis decreta ac doctrinam a te unquam prolata, statim ut admonitus fueris, te ad veritatis normam redacturum esse pollicearis. Hoc optimae voluntatis tuae testimonium nos perlibenter suscipimus, hoc certum tuae constantiae pignus esse existimamus. Proinde remittentes tibi quascunque canonicas et spirituales poenas, te Ven. frater, quod tam enixe a nobis suppliciterque postulas, in nostram et Sanctae huius Sedis gratiam reconciliamus ac restituimus; tibi pacem, quam a Christo Domino didicimus, largimur; tibi paterno amplexu occurrimus; te inter Episcopos collegas nostros adnumeramus, atque amantissimis verbis filium etiam nostrum compellamus. Dum hunc nostrum, ut vides, amorem tibi tam prolixe deferimus, eundem etiam cum plurima tui commendatione ac laude iam nunc coniungere minime dubitamus; neque enim dissimulare possumus, in tua hac actione conspici a nobis et docilitatem ingenii, et magnitudinem animi tui. Nam quid maius a te fieri, quid fortius potuit, quam discussa errorum caligine a pristina mentis elatione ad christianae humilitatis sensum demitti, tuas abiicere ac reprobare sententias, veritati posthabere exorituros de te rumores, temetipsum quodammodo vincere atque contemnere? Quod quanto difficilius est, humanaeque naturae vires excedens: tanto magis intelligimus abundare in te divitias gratiae et bonitatis Dei. Ita certe boni omnes, quorum gravissima apud

te esse debent iudicia, nobiscum sentient, cum nos quae operata sit in te dextera Domini, palam faciemus. Tu itidem Ven. frater, illud nunc potissimum age, ut omnes populi publica tua veritatis a te agnitae confessione, divinaeque potentiae celebratione, quid per eius misericordiae gratiam sis consecutus, intelligant. Maximum existima, atque opportunissimum illati a Febronio in Ecclesiam detrimenti futurum remedium, si tu ipse, qui eos libros conscripsisti, eosdem ut erant antea ad plurimorum ruinam, ita nunc ad ipsorum aedificationem refutes, convincas, ac redarguas. Etsi provecta iam aetate sis, integris tamen adhuc te Deo iuvante pollere cum animi tum corporis viribus non ignoramus. Quid potius igitur, quid utilius, quid praestantius reliquo vitae tempore facias, quam ut qua manu vulnera Ecclesiae atque Apost. Sedi inflixisti, eadem illa ipsa alligare, ac persanare omni studio ac labore contendas? Habes profecto plurimos, quos imitere, praecedentibus Ecclesiae temporibus insignes et sanctitate et doctrina viros, qui nedum prioris aetatis errata retractare veriti non sunt, sed eadem semel detecta constantissime reiicientes maximam hoc ipso apud omnes suo nomini gloriam compararunt. Eia igitur, Ven. frater, exere vires, te ipsis S. Ioannis Chrys. verbis excitamus, fortiter dimica, atrociter in proelio isto concerta, considera pactum, conditionem attende, militiam nosce; pactum, quod spopondisti, conditionem, qua accessisti, militiam cui nomen dedisti. Tibi etiam S. Bonifacii Moguntini Episcopi Germaniaeque Apostoli plenas auctoritatis voces subiicimus, quem tibi ignotum esse non potest aliquantulum etiam ad Palatiolum Monasterium prope Treviros constitisse. Ille ad Zachariam scribens testatur, nihil tam se optare, quam Catholicam fidem et unitatem Romanae Ecclesiae servando dilatare, et quantoscunque audientes vel discipulos in ista legatione mihi Deus donaverit, ad obedientiam Apost. Sedis invitare et inclinare. Nos vero tibi ipsum Zachariae ad Bonifacium responsum damus: Domini deprecamur clementiam, licet peccatores, ut suo te muniat et confortet auxilio, nosque annuat prosperitatis tuae semper laeta suscipere nuncia. Demum pro Dei benignitate nova semperque uberiora in posterum a te laetitiae nostrae, tuaeque commendationis argumenta expectantes, Apostolicam Benedictionem tibi Ven. frater coelestium munerum omnium auspicem in paternae gratiae pacis caritatisque amplexu

ex animo ac peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Petrum die 19. Dec. 1778.'

Ex quibus omnibus praeclare intellexistis, Ven. fratres, quid hac in re actum iam sit, praecipue vero constare vobis potuit, quam candido, sincero, atque ingenuo animo in cor suum se rediisse fateatur Febronius, et, quod animadverti maxime debet, non temporali ullo commodo illectus, non virium infirmitate fractus, non ingenio debilitatus, nec molestis inductus svasionibus, sed sola veritatis agnitione permotus, sola supernae gratiae illustratione perfusus, solo denique salutis suae desiderio incensus, errores suos singulari studio reiiciat, summaque contentione eiuret, ut retractationis libellum, quem propria manu totum perscribere voluit, selectis Patrum auctoritatibus et rationibus roborarit. Nonne haec est mutatio dexterae Excelsi? Qui innumeris carismatum donis universum Ecclesiae corpus exornat, ut per multos unius luminis radios idem ubique splendor appareat, nec possit nisi gloria esse Christi, cuiuslibet meritum Christiani. (S. Leo M.) Neque enim exiguum id esse reputamus Episcopi Myriophitani meritum, qui sanctissimos Iob et Davidem imitatus, nullam afferri sibi moram passus est ab importuno, quo imbecilles animi plerumque capiuntur, pudore errata sua confitendi; sed summam ingenii docilitatem ac miram animi fortitudinem in damnandis sententiis suis seque ipso pro veritate abiiciendo declaravit. Audiatur hic Ambrosius, cuius verbis dum Febronii laudes cumulantur, vulgi stultitia detestatur: „Amicus Dei, Propheta Dei, Rex ab ipso electus Deo, et unctus in Regnum, flagellis se spontaneus offerebat, nec erubescebat; et tu erubescis? non multum ista verecundia tibi opitulabitur, cum ad iudicium Dei veneris; sed pudoris te istius poenitebit, cum in conspectu non solum hominum, sed etiam angelorum et omnium Potestatum coelestium constitutus, coeperis peccata propria non negare. Non esset hodie in requie servulus meus Iob, si erubuisset tres illos Reges amicos suos, nec ipse David, si erubuisset delicta propria confiteri. Et quia uterque eorum non erubuit factorum suorum pretium in mea ponere potestate, meo se iudicio voluntatique committere, nec ego de talibus servulis erubescam, ut appellem amicos meos, qui meam studuerint facere voluntatem." Accedere etiam ad ipsius meritum debet, quod cum a perniciosa dissensione ipse iam disces-

sisset, ab eadem itidem suo exemplo brevi abducturum eos confidamus, qui hactenus illius tamquam sui ductoris signa sunt secuti. Si Dioscori interitus, qui in sua sentiendi pravitate obiit, ut scribit Leo M. in profundiora deiecit asseclas eius, et perfidiae incentore sublato instabiles quaedam et insipientes animae habent, quod paveant, non habent, quod sequantur: quales nunc esse Febroniani debent, Auctorem suum videntes, non iam exstinctum, sed immutatum, sed sectatorum omnium in seipso damnantem errores? Habent illi adhuc quem sequantur, si ipso praeeunte redire ad officium, ad sanitatem velint; sin renuant, et in sua defectione persistant, quid iam illis supererit, detracto Duce, nisi ut incerti paveant, confusi ut erubescant? Qui enim se a Romana Ecclesia seiungunt, in eaque constitutam unitatem dividunt, dum amantissimae suae matris sinum et amplexum recusant, omnem suam substantiam quasi profugi et inopes dispergunt. Verumtamen pergant illi, quas libuerit, fraudes insidiasque huic Ecclesiae struere, atque inferre calumnias, et, ut magis adhuc obtrectent, seculi potestatibus eandem obsistere, atque adversari clament: tamen vel inviti agnoscant ac fateantur necesse est, quanta nunc iis auctoritatis species decesserit, quamque in apertum aggregata illa falsitatis commenta proferantur. Neque se magno similiter errantium numero tueri poterunt, sibique de multitudine blandiri: ut enim Ambrosius egregie monuit, multitudo sociorum impunitatem non facit criminum, nam in Sodoma et Gomorrha, et in totis quinque civitatibus innumerabiles utique habitabant populi, et omnes pariter igneis imbribus conflagrarunt. Nos interea Myriophitanum Episcopum, qui manifesta professione a se abiecit ac repulit quidquid in scriptis suis Romana detestatur Ecclesia, et nihil simulatum, nihil obscurum, nihil ambiguum in sua Retractatione intexuit, diutius morari non possumus, quin, etsi magno a nobis locorum intervallo divisum, in spiritu caritatis amplectamur, et ab ineffabili misericordia Dei non iudicemus alienum, sed omnis culpae abolitionem et apostolicae pacis gratiam impertiamur. Nullas patitur veniae moras vera conversio, et in dispensandis Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas, gemitusque negligere, cum ipsam poenitendi affectionem ex Dei credamus inspiratione conceptam. Aliter, uti docuit per aptissimas similitudines Cy-

prianus, praecluderemus atque abscinderemus iter doloris ac poenitendi viam, et dum fructus poenitentiae intercipitur, poenitentia ipsa tollitur. Supremus enim Creator noster magis placatur voluntate, quam sangvine, ut ostendit in Abraham, cuius fidem in filii oblatione requisivit; at si eum iussit offerri, tamen non permisit occidi. Huic nostrae voluntati magnum adiecit incitamentum Trevirensis AEppus, qui id ipsum a nobis summo studio postulavit. Ipsi non solum omnem habemus pro sua amplitudine ac virtute fidem, sed tantum existimationis, caritatis, ac laudis pro innumeris suis in Ecclesiam meritis deferimus, ut incredibilem in modum illius studiis, illius gloriae faveamus. Eius maximae post Deum in eximio hoc opere partes exstiterunt; eiusdem consiliis atque actis tam praeclara incoepta praeclariores sunt exitus consecuti. Summa est praeterea ipsius nobiscum coniunctio, summa erga Apost. hanc Sedem observantia. Quapropter dum ipsum debita hac praedicatione prosequimur, dum tantopere de sua pietate gaudemus: adhuc multo maiore fiducia nunc ab ipso petimus, eumque obsecramus, ut pastorali animo pergat adversariorum machinamenta confringere, Coëpiscoporum excitet diligentiam, ut quos eadem unitatis causa coniungit eodem ardore inflammentur in revocandis iis, qui a veritatis semita inconsultius deerrarunt in suis Ecclesiis, ut ita Domini ovile reparetur, et per sollicitudinem caritatis atque doctrinae omnes Christi oves unum se sentiant habere Pastorem.

Haec sunt Ven. fratres, quae in sinu nostro diutius continere prae gaudio non potuimus, quin vobiscum communicaremus, ut quos antea sollicitudinis ac doloris socios habuimus, nunc consolationis nostrae compotes participesque faciamus. Praeclaram tribuit annunciandae huius laetitiae opportunitatem, illamque potissimum auget haec ipsa solemnis, quam celebramus, Reparationis dies, in qua Rex pacis cum sua pace procedens fugavit omne dissidium, dissensiones depulit, discordiam perturbavit, et sicut coelum splendor solis, ita Ecclesiam fulgore pacis illuminat, ut nunc procedente Christo Rege pacis omne, quod triste est, auferatur a medio, et illucescente veritate fugetur mendacium. Hic etiam aptissimus se obtulit nobis ad vos alloquendum locus, e conspectu nempe gloriosae confessionis Principis Apostolorum, qui Petra est, ad quam eliduntur filii Babylonis; et obtinens cum aeterno Sacerdote indeficiens

consortium Sedi suae praeesse non desinit, ut omnino Febronii poenitentiam eius patrocinio referre debeamus. Plurimam quoque iucunditatem attulit vos alloqui e latere corporis Magni Leonis, quo Christus utitur assertore, cuius scripta svavissima praebent legentibus spectacula, quemque advocatum et propugnatorem veritatis invenimus. Gloriemur itaque in Domino, Ven. fratres, et causam huiusce actionis ad originem suam caputque ferentes illi immortales gratias, illi laudem, gloriam et honorem tribuamus, in cuius manu et hominum corda, et momenta sunt temporum. — **Bullarii R.** *continuatio.* VI. 51.

987—989.

Ulteriora acta ad retractationem Febronii spectantia.

INTR. Post Allocutionem Summus Pontifex semel adhuc scripsit electori Trevirensi, communicando eidem duo exempla suae Allocutionis; Febronius autem, postquam literas de sua palinodia ad Clerum Dioecesanum directas, in conceptu praevie cum S. Sede Apostolica communicasset, iuxta correctiones illic factas Clerum Trevirensem per Circulares literas super retractatione sua edocuit. Ob momentum huius documenti accurate adnotamus suis locis utrumque literarum harum conceptum.

987. MON. *Breve ad AEppum Trevirensem dd. 2. Ianuar. 1779.* Praeterire in praesentia non possumus, ven. frater, quin te certiorem faciamus eorum omnium, quae literas nostras ad te die 19. Dec. nuper datas consecuta sunt. Habuimus secretum Consistorium, in eoque cum ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus eximias literas tuas, Febronianam retractationem, nostrosque inde derivatos immensae laetitiae sensus communicavimus, atque id quo tui praesertim nominis dignitatis meritorumque causa maximo splendore et celebritate perageremus, ipsum delegimus sacratissimum Natalis Domini diem; in quo statim post Pontificalia sacra retentis solemnibus quae gerebamus iudumentis omnes ad locum processimus, qui nunc pro sacrario est, intra ipsam Vaticanam Basilicam positum, quo certe loco nullus

esse aut opportunior potuit, aut augustior. Ibidem dum nos ven. fr. nostros alloqueremur, eorumque animorum motum ex tam inopinato tantae rei nuncio summa cum celeritate videremus, incredibilis interim erat in templo civium concursus, atque ingens omnium ordinum, qui confluxerunt, expectatio. Ac tum certe tantae iucunditatis nostrae causa contineri non potuit, quin in publicum crumperet, ac per omnium ora diffunderetur. Utinam eo tempore, ven. frater, hic adfuisses, ac tuis conspexisses oculis, quae laetitiae vis, qui plausus extiterint! Ipsi sacri parietes, ipsum Vaticanum templum, quam amplum est, omne tuis laudibus fervebat, tuique Suffraganei praedicatione personabat. Gaudium tum nostrum ex hac ipsa cum ceteris communicatione mirum in modum cum auctum cumulatumque esset, ea dies visa nobis est quodammodo, quam ulla alia, multo illustrior, longeque splendidiore lumine emicare. Omnium repente cupiditatem inflammari vidimus accurate rem omnem pernoscendi, oculisque ipsis communis laetitiae causam subiiciendi. Igitur iustissimis his universorum civium flagitationibus deesse non potuimus, quin eius Consistorii Acta typis subiici ac in lucem emitti mandaremus; quod tanto etiam libentius fecimus, cum id ad Dei gloriam, et ad Ecclesiae utilitatem, et ad bonorum omnium solatium maxime conducturum esse cognosceremus. Itaque eiusmodi duo Allocutionis nostrae exempla cum hisce nostris ad te transmittimus, ven. frater, alterum ut apud te perenne extet tuae gloriae nostrique de excellentibus tuis meritis iudicii monumentum, alterum vero ut nostro nomine ven. fratri Ioanni Nicolao Eppo Myriophitano reddas, ex quo ipso certe eundem in suo proposito magis magisque confirmatum iri non dubitamus. Proinde ipsi haec omnia, quae ad te perscripsimus, referes, ut ex hoc etiam intelligat, quantam nos huius consilii actionisque suae rationem habeamus, quantique faciamus suum ingenium ac doctrinam, quam nunc praestantissimo indicio potissimum exhibuit, et cum singulari sui animi magnitudine coniunxit. Demum in singulare summae in te caritatis nostrae testimonium apost. benedictionem tibi, ven. frater, quam cum eodem Suffraganeo tuo communices, amantissime impertimur. Datum Romae die 2. Ianuar. 1779.

988. *Epistola Febronii ad Clerum et populum Trevirensem, reprobatoria ac prohibitoria suorum librorum.* Ioannes

Nicolaus etc. Quod curiosis antiquitatis investigatoribus plerumque contingit, ut novarum observationum publicandarum libidine correpti ad inficetas et absurdas opiniones amplectendas descendant, quas si a novitatis cupidine vacuo et libero animo expenderent, ipsi eas respuerent primi, et suae auctoritatis pondere compressas perpetuo silentio damnarent: illud nobis tum evenisse publice confitemur, cum ab anno 1763. sub ficto nomine Iustini Febronii de statu Ecclesiae et legitima Romani Pontificis potestate librum et deinceps plures successive alios ad primi defensionem conscriptos ederemus. Boni nimirum verique specie decepti in hoc argumentum plura ex antiquitate congessimus, commentatiq.e sumus, quibus ad restituendam nativo suo splendori B. Petri Sedem, et ad reducendos svaviter in Ecclesiae gremium Protestantes nonnihil collaturos nos esse sperabamus. Haec scripta nostra, quae quinque omnino tomis (quorum primus Bullioni, quatuor reliqui Francofurti ac Lipsiae lucem aspexere, quibusque accensendus est Febronius abbreviatus et expurgatus, Francofurti itidem editus) continentur, cum novitatem spirarent, et excutiendae Pontificiae auctoritati ansam praebere possent, pro perverso huius seculi genio avide ubique accepta, et citius, quam credibile est, quaquaversum pervulgata sunt, variaque de se iudicia excitarunt, inter quae nos eis adhaeremus, quae audacius factum damnant. [1]) Non ignoratis interim, dilectissimi fratres, quae et qualis a 50 annis et ultra nostra fuerit inter vos conversatio, an in ea aliquid fuerit turbulentum, an in verbis et actibus nostris quidquam observatum, spirans sensum a veritate sanctae nostrae Religionis alienum, an ad dissolvendam Ecclesiae unitatem composito aut intento unquam animo visi simus: manifesto indicio, quod ingenium eo-

[1]) Initio, quippe ante correctionem Romae factam, sic sonabat haec pars Epistolae: „Quod curiosis etc. — *cum inde ab anno 1763. sub tecto nomine Iustini Febronii — libros ederemus, communis utilitatis specie decepti, ut pro nostra civili parte aliquid ex antiquitate conferremus, quo Sedem Petri nativo splendori restitui, et qui ab ea numquam satis deplorando schismate recesserunt, ad eandem semitam reduci posse tunc arbitrabamur. Haec scripta, quae Ecclesiae disciplinam antiquam, non vero doctrinam respiciebant, ultra nostram expectationem omnia catholica regna ad ultimos usque Europae fines pervaserunt, multiplicatis editionibus et versione in plures lingvas, atque omnia de se iudicia excitarunt, inter quae nos eis adhaeremus, quae audacius factum damnant.*“

rumdem scriptorum nullo modo in ministerium nostrum influxerit [1]). Minime tamen diffitemur nobis accidisse quod supra diximus: novitatis cupidine ad inficetas et sinistras quasdam assertiones statuendas, ac propugnandas descendimus. Romanae Sedis quasdam praerogativas et iura, quae ei vel ab Ecclesia legitime attributa, vel ex ipsa sacrae Hierarchiae indole atque institutione profluunt, publicisque sanctionibus firmata sunt, in controversiam reducere, minuere et obterere, de nonnullis eius Praesulibus etiam sanctitate conspicuis parum reverenter loqui, alios etiam indecenter probris conscindere, nec non quosdam usus Curiae, quos aequior animus facile excusaret, taxare praesumsimus. [2])

Aperuit nobis super his et aliis erroribus oculos Rmus et Sereniss. Dnus AEppus Princeps Elector noster, ostendens nobis, hos libros idoneos esse ad scindendam Catholicam Unitatem, ad quam reducere Protestantes moliebamur; fundatae supra petram Ecclesiae ruinam parari, dum illi etiam suppetias ferri imprudentius iudicaremus. Optimi Pastoris monitum nutumque excepimus reverenter, nec haesitavimus in scripta redigere nostram de statu Ecclesiae et iuribus primae Sedis declarationem, sublato omni obscuro vel aequivoco, addita quoque rectractatione eorum, quae adversus ea a nobis quomodolibet asserta fuissent. [3]) Haec postquam per manus Seren. et Clement. AEppi nostri Romam missa essent, benigne a Sanctissimo Pontifice excepta, atque in Consistorio secreto, cuius acta vobiscum

---

[1]) Prior conceptus: „*Non ignoratis — visi simus? Vos, inquam, testor, an ingenium seu spiritus eorumdem scriptorum (quae non pro nostro in — et ecclesiasticis functionibus usu, sed ad experienda eruditorum iudicia composita atque edita sunt,) quoquo modo in nostrum ministerium influxerint.*“

[2]) Primus conceptus: „*Minime tamen diffitemur — sinistras quasdam assertiones statuendas, seu verius proponendas —. Romanae Sedis quasdam praerogativas et iura, non quidem essentialia, talia tamen, quae ei ab Ecclesia inde a seculis aut agnita aut attributa, quin et publicis sanctionibus firmata sunt, in controversiam ducere, minuere et obterere, nonnullas eiusdem Sedis praerogativas probris conscindere, nec non quosdam usus Curiae taxare praesumsimus.*“

[3]) Primus conceptus: „*Aperuit nobis super his et aliis erroribus oculos SSmus Dnus et Pater noster Pius PP. VI. Rmo et Seren. D. AEppo Principi Electori nostro contestatus, — imprudentius cogitaremus. Audivimus vocem utriusque Pastoris, ut primum ad animum reversi sumus, in scriptis redegimus nostram —.*“

ad vestram nostramque instructionem, aedificationem, et confirmationem communicamus, publicata fuerunt. [1]) Agnovimus sane nonnullis Febronianis assertionibus obstare Patrum sententias, Conciliorum decreta, potissimum vero receptum a seculis Ecclesiae usum, atque disciplinam, quibus contraire nemo praesumit, quin de Religione periclitetur, et exitialium simul in Ecclesia turbarum auctor existat. [2]) Itaque quae hunc ad finem nostris editis in scriptis ducere, seu in eis cuiusvis demum, potissimum vero Romanae Sedis iuribus quacunque ratione detrahere aut adversari videntur, pro non scriptis haberi volumus, retractamus, et reiicimus, nosque cum SSmo D. N. Papa Pio VI. totum opus Febronianum condemnante coniungimus, nostram ad eundem missam declarationem et retractationem hisce renovantes et confirmantes. Proponimus insuper (quod idem SSmus Pontifex a nobis postulat) alio novoque scripto, si Deus ad illud perficiendum vires ac annos largiatur, genuina primae Sedis iura exponere, et pro viribus defendere, non quidem palponum more, quos suis lucubrationibus eidem S. Sedi quin et Ecclesiae ipsi plurimum nocuisse imo et detraxisse compertum est, sed solidis verisque monumentis, quorum auctoritas in omnibus Catholicis Ecclesiis agnoscitur. Castigabimus ea occasione, quidquid in anterioribus nostris impressis durum et distortum esse Domino misericorditer donante cognovimus, et aspirante divina gratia ulterius cognoscemus. [3])

---

[1]) Ante correctionem sequens erat conceptus: „*Haec postquam — atque inde cum variis correctionibus et additionibus ad nos rediissent, meritam insimulque debitam obedientiam apud nos reputantes, nec tamen minus ex propria convictione, minime haesimus eandem declarationem emendatam auctamque ea forma, eoque tenore edere, ac SSmo D. N. Papae Pio submittere, quo illam vobis exhibemus, quoque Romae publicata fuit —.*“

[2]) Primus conceptus: „*Agnovimus — nonnullorum Patrum elogia, seu dicta, Conciliorum in disciplinaribus decreta, potissimum vero receptum a seculis Ecclesiae usum atque disciplinam, quam si quis invita Sede Romana immutare aut perturbare attentaret, perniciosarum haud dubio in Ecclesia turbarum auctor fieret. Itaque iudicamus cum Hincmaro Remensi: esse a talibus abstinendum, unde inter eppalem (multo magis pontificiam) auctoritatem et regalem potestatem, inter Ecclesiam et Rempublicam tantum scandalum posset oriri, quod facile ac sine dispendio religionis vel detrimento rerum ecclesiasticarum postea non possit sedari.*“

[3]) Primus conceptus: „*Itaque quae hunc in finem* etc. — *Castigabimus*

Illud superest, dilectissimi fratres, ut vos ad similem obedientiam, ac submissionem erga Romanam Sedem, et universalis Ecclesiae Pontificem, sine cuius effectivo et activo Primatu unitas servari non potest, invitemus et commoneamus. His addimus speciale altefati Ser. et Rev. D. AEppi Principis Electoris nostri mandatum: quo vobis omnibus et singulis, comprehensis etiam iis, qui se asserunt exemtos, et a fortiori secularibus quibuscunque, lectio aut etiam retentio librorum sub nomine Iustini Febronii editorum districte, et in virtute sanctae illius obedientiae, quam Ordinario et Supremo Pastori vestro debetis, harum tenore literarum interdicitur, iis solum exceptis, quibus specialis licentia legendi libros prohibitos suffragatur. [1]) Datum Treviris die 3. Febr. 1779. — **Briefwechsel** *zwischen dem Kurfürsten von Trier, und dem Weihbischof v. Hontheim.* 1813. p. 62. ss.

989. *Iustinus Febronius exhibet Pio VI Papae Commentarium in suam Retractationem, a. 1781.* Quod Sanctitas Tua a me postulat, quod praestandum suscepi, id pro modulo mearum per octoginta et quod excurrit annorum aetatem et continuos labores finitarum ingenii et corporis virium nunc exequor: *ut quos olim sub nomine Iustini Febronii in diminutionem sacrorum Summae Sedis iurium conscripsi libros, illos eodem nomine redarguam, refellam, et supremas eiusdem S. Sedis dotes ad aedificationem eorum, quibus priora mea opera offendiculo esse potuerunt, novo Commentario explanem atque stabiliam.* Non putavi id luculentius abs me praestari posse, quam si omnes et singulas in authentico meae Retractationis documento contentas Tuae Sanctitati probatas assertiones argumentis e S. Scriptura, Conciliis ac Patribus depromtis confirmem, et congruis commentariis illustrem; ea tamen ratione, ut insimul firma stent iura Episcoporum, Imperantium, et Nationum, nec non privilegia, et tot laudabiles consvetudines particularium ecclesiarum, quae omnia Sanctitatis tuae praedecessores toties immota esse debere sanxerunt. Ex quo grave munus Suffraganei in amplissima hac ADioecesi suscepi, singularis mihi cura demandata est de magna illa portione Trevirensium dioecesanorum, qui vi-

---

ea occasione ipsi quidquid in anterioribus nostris impressis devium vel distortum esse cognovimus.“

[1]) Ante correctionem sequentia in commate hoc legebantur: „*Illud superest* etc. - *comprehensis etiam iis, qui se asserunt exemtos, lectio* etc. —“

vunt sub dominio et civilibus legibus Regis christianissimi, uti et de non minore eorum numero, qui in Ducatu Luxemburgensi parent Augustae Domui Austriacae et Constitutionibus Belgicis. Minime ignorat Sanctitas Tua, in administratione et executione Vicarialis huius officii, quod a 33 annis sub beneplacito, directione, et celsissimis auspiciis trium AEpporum hactenus gessi, singulorum horum locorum mores, et secularium Principum edicta mearum actionum secundariam regulam esse debere, ea neglecta omnia turbari: influunt illa in disciplinam Ecclesiae, quamvis eam in substantialibus non mutent. Porro quemadmodum in exercitio sacri huius ministerii non iisdem ubilibet usibus ac moribus vel in una hac ADioecesi conformare me aut possum aut debeo, uti nec quicunque alius eodem in munere mihi successor aut debebit aut poterit: ita prudentiae esse duxi in hocce scripto iis potissimum ecclesiasticis legibus me alligare, quae iam dictis imo omnibus catholicis nationibus nobiscum communes sunt. Nihil equidem impensius cupio, Beatissime Pater, quam ut praesens Commentarius (postrema certe mea literaria opera) tamquam testamentum et suprema mea voluntas Tuae Sanctitati, ad cuius sacratos pedes illum depono, haud displiceat. Hoc scio, nihil aliud in animo meo, nihil amplius in votis meis esse, quam ut omnia mea Tuae Sanctitati probentur. Ea intentione eoque fine (quum sibi nemo satis sapiat) qua maxime valeo demissione supplico, ut si quae eodem in libello fortasse sint, quae perspicacissimos oculos tuos aut excelsum animum tuum offendant, ea a me non sinas ignorari, ut in supplemento, quod tunc in modum Codicilli libens adiiciam, illa valeam emendare. Illud interim solatio mihi esse potest, et debet, quod etsi alium forte ex brevi hoc Commentario fructum Ecclesia non referat, illud saltem omnes ex eo intelligant, de quo non pauci etiam editis scriptis dubitare aut praesumserunt aut affectarunt, videlicet *solemnem illum actum revocationis, quem Sanctitas Tua in die Natalis Domini a. 1778. in secreto Consistorio cum Cardinalium Collegio communicavit, meum esse non fictum, non extortum, sed liberum quinimo deliberatum.* Finaliter ante sacratos pedes tuos, quos reverenter deosculor, prostratus apost. bened. humillime expeto, debita cum submissione et filialis obedientiae contestatione emoriens — *Ioannes Nicolaus ab Hont-*

heim, Ep. Myriophitanus etc. — **Gerdil** *opere edite e inedite. Nuova collezione. T. V.* Napoli. 1855. p. 11.

990.

Nuntius Apostolicus Belgii Eppum **Antwerpiensem** reflectit: generalem in praecepto abstinentiae quadragesimalis dispensationem ad iura Romani Pontificis pertinere, A. 1778.

MON. Zelus tuus ecclesiasticus impelli minime debet ad cooperandum saluti animarum et tranquillitati Ecclesiae Catholicae. Nihilominus SS. Dominus noster corruptionem morum et inobservantiam praeceptorum ecclesiasticorum deplorans pastoralem tuam vigilantiam excitare me iubet expresse. Inter tot curas ac sollicitudines Pontificatus numquam non prae oculis habet abusus nimis facile introductos in populis in observantia quadragesimae et ieiunii ecclesiastici, atque ideo ope mea attentioni tuae commendatum esse vult, ut pro eo quo ferves spiritualis ovium tuarum salutis studio viribus totis incumbere et conatus omnes adhibere satagas in eradicando abusu, qui ad aures eius summo cum animi moerore pervenit, nempe nonnisi a paucis observari abstinentiam et ieiunium quadragesimale, et etiam ab iis, qui legitime dispensari possunt, cibos misceri atque non modo ova et lacticinia comedi, sed et carnem quoque in coena vel saltem ius et adipem adhiberi. Nescit dubitare Sua Sanctitas, quin non inclines in tolerando inobservantiam et fere abolitionem antiquarum recentiumque Ecclesiae legum; sed e contra pro certo habet te S. Ecclesiae praecepta rite observari curando dispositurum esse oves tuas per illa opera meritoria ad celebrationem ss. mysteriorum mortis et resurrectionis Iesu Christi et aeternae nostrae redemtionis. Persvasum sibi habet SS. Dominus te molestatum iri ad dissimulandum hos abusus immoderata temporum licentia invectos; at probe novit te in partem sollicitudinis suae vocatum animo forti atque spiritu vere ecclesiastico, nec tamen sine discreta prudentia restiturum esse seculi violentiae, et conservaturum ac introducturum opera poeni-

tentiae, uti procul dubio nunc usque fecisti, sed et facies potissimum quoad observantiam s. quadragesimae. Infirmi sumus in hoc mundo et imbecilles etiam corpore; et infirmitates imbecillitatesque nostras miserati S. Mater Ecclesia et Caput eius visibile Summus Pontifex, uterque talibus in casibus lubenter concurrunt ad concedendam dispensationem iis, qui similes abstinentias sustinendo impares sunt. Hac autem indulgentia uti iustum est, non vero abuti, atque tum alia pietatis opera subrogari. Optat praeterea SS. Dominus noster, ut animadvertas, *uni Romano Pontifici reservatum esse dispensare multitudinem, veluti populum, civitatem aut gregem indiscriminatim integrum ab observantia quadragesimae* tum quoad ova et lacticinia, tum quoad carnes, id est, nempe ab observantia unius ex antiquissimis Ecclesiae praeceptis. Et tamen ut aliquos in particulari et infirmos tantum dispensare posset, Eppus Bracarensis consuluit Summum Pontificem Innocentium III, uti legitur in Cap. ‚Consilium' de observ. ieiun. *Ubi agitur de concedenda generali dispensatione, causa requiritur et publica et necessaria, nec non auctoritas pontificia*, Eppis de necessitate et generalitate causarum testimonium perhibentibus committi solita. Perspecta tua pietas et doctrina non sinent te decipi opinionibus illis, quae eo collimant, ut Eppos ab obedientia Ecclesiae Capiti debita avellant. Hinc facile intelliges *Eppis non competere ordinariam facultatem generaliter dispensandi.* Id si forte arbitratus esses vigore facultatum concessarum in formula a S. Congregatione ad te transmissa, rogatum te volumus, ut attendas, *S. Sedem declarasse, facultatem in formula comprehensam restringendam esse pro personis in particulari, numquam vero indiscriminatim pro multitudine seu communitate intelligendam,* quemadmodum declaravit s. mem. Benedictus XIV in ep. encyclica ‚Libentissime. §. Insula.' Atque idcirco Summi Pontifices, quo minori incommodo afficerentur Eppi, Nuntios Apostolicos saepe donarunt facultate dispensandi in generali concurrentibus utique publicis et generalibus causis, eandemque committendi Eppis postulantibus, uti particulariter legitur se gessisse s. mem. Innocentius XIII in suo Brevi ad Eppos Germaniae 12 Febr. 1724. Quapropter si quo in loco tuae dioecesis vel in tota ipsa dioecesi vera necessitas ac urgentes causae publicae adessent huius dispensationis, ne graveris ad SS. Dominum recurrere, certus

obtinendi promti remedii. Neque pigeat in bonam partem accipere paternas summi Pontificis admonitiones ad maiorem tuam tranquillitatem maioremque securitatem conscientiae populorum curae et custodiae tuae commissorum. Hi sunt sensus Patris communis et Vicarii Iesu Christi in terris. — AEppus Emessenus, Nuntius Ap. die 12. Febr. 1778. — **Ram** *Synodicon Belgicum.* III. 422.

991.

Pius VI PP. damnat librum ‚Isenbiehlii' de prophetia Emmanuelis, A. 1779.

MON. Divina Christi Domini voce admoniti etsi non ignoramus necesse esse, ut veniant scandala, falsosque prophetas ad fidei morumque integritatem labefactandam idem ipse veritatis magister edixit identidem extituros : cum tamen haec eadem divinitus praenunciata huic maxime tempori nimium et vere congruere intelligimus, incredibili quodam sensu doloris intime afficimur. Dolemus autem maiorem in modum, quod ex iis ipsis, qui catholicam religionem profitentur, non desint errorum magistri, qui profanis novitatibus indulgentes dum terminos transiliunt, quos patres nostri posuerunt, a via veritatis deflectunt, et domestici fidei cum sint, seu potius videri velint, apertis hostibus adiungere se non verentur, eisdemque ad impietatis propugnationem nova veluti subsidia et adiumenta suppeditare; hi scilicet praedicti sunt, qui veniunt ad vastandum gregem, tecti vestimentis ovium, eo deteriores, quo sunt ad nocendum aptiores. Hinc commovemur etiam christianae plebis periculo, cuius fidei innocentiae laqueos, insidias, fraudes omni ex parte comparari animadvertimus. Nam ad quae iam grex sanctus septa confugiet, si intra ovilia Ecclesiae saucietur? Id tum saepe alias, tum maxime praecipua quadam ratione hisce praeteritis mensibus experti sumus, cum ad aures nostras allatum est, superiori anno teterrimum librum prodiisse germanico idiomate conscriptum, ex quo maxima christiano populo, certissimaque pernicies impenderet. Is autem liber hunc titulum germanice

praefert : ‚*Joh. Lorenz Isenbiehl*'s neuer Versuch über die Weissagung vom Emmanuel,' qui latine redditus sic habet : ‚Ioannis Laur. Isenbiehl novum tentamen in prophetiam de Emmanuele. 1778.' Mirum dictu, quantam liber iste statim atque vulgari coepit bonorum omnium indignationem commoverit, mirantium ab homine sacris addicto tantam errorum labem in tam exiguum opus coniici potuisse, tum etiam dolentium non id tantum agi, ut veneni particulam qui legant per imprudentiam hauriant, sed eo totam infelicis tentaminis summam spectare, ac ducere, ut posthabita Patrum auctoritate, quos Ecclesiae suae Deus doctores dedit ac pastores, novis peregrinis atque a privato depravatoque spiritu profectis explicationibus divina oracula pervertat, fideliumque mentes a salutaribus pascuis abductas, quae Salvatoris fontibus irrigantur, in spinosa ac venenata dumeta coniiciat. Sane cum ad divini verbi puritatem conservandam et a petulantibus ingeniis vindicandam Tridentini Patres decreverint, ut in rebus ad fidem et mores pertinentibus nemo S. Scripturam contra eum sensum, quem tenuit ac tenet S. Mater Ecclesia, aut etiam contra unanimem consensum patrum interpretari audeat, querebantur non eo decreto coerceri potuisse procax hominis ingenium, sed eo temeritatis et insaniae progressum esse, ut saluberrimam regulam, nec sine Divini Spiritus ope constitutam fallacibus commentis eludere, seu verius in discrimen et contemtum adducere niteretur. Maxima vero se prodidit catholicorum offensio, cum praedicari audierunt propheticum oraculum de divino Emmanuelis ortu ex virgine non ad virgineum Deiparae partum, quem Prophetae omnes annunciaverunt, non ad verum Emmanuelem Christum Dominum ullo sensu sive literali sive typico pertinere; cumque S. Matthaeus insigne istud vaticinium in illo mirabili pietatis sacramento adimpletum expressis verbis testetur, hoc tamen ipsum non ut oraculi adimplementum, sed ut adnotationem meram vel allusionem a S. Evangelista memorari. Qua in re horruerunt piae aures Scripturam simul et Traditionem, qualis perpetuo ex unanimi patrum consensu ad nos pervenit, per summam impudentiam labefactari.

Quae cum ad nos multorum literis et querelis deferrentur, succurrit animo, quod iam olim querebatur Leo M. ep. syn. ad Flavianum : ‚in hanc eos insipientiam cadere, qui cum ad co-

gnoscendam veritatem aliquo impediantur obscuro, non ad propheticas voces, non ad apostolicas literas, nec ad evangelicas auctoritates, sed ad semetipsos recurrunt.' Certum est autem, quod pridem edixerat S. Coelestinus scribens ad Clerum et populum CPnum: ‚quia tales sermonum novitates de vano gloriae amore nascuntur, dum sibi nonnulli volunt aucti, perspicaces et sapientes videri, quaerunt quid novi proferant, unde apud animos imperitos temporalem acuminis gloriam consequantur.' In his porro aerumnis et periculis non parvam nobis moeroris levationem attulit *pia sollicitudo atque invictum robur praeclarissimorum inclytae Germanicae gentis Antistitum*, qui primum nil intentatum reliquerunt, quo opportunis sive hortationibus sive damnationibus, adscitis etiam doctissimorum undique virorum sententiis, gliscenti malo medicinam adhiberent, et inimicis praedicationibus resisterent. Deinde *cum eorum prudentiam non lateret, eam esse antiquae regulae formam toto semper orbe servatam, quod per omnes provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent, et praesertim quoties fidei ratio ventilatur, omnes fratres et coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, id est, sui nominis et honoris auctorem referre debere, quod per totum mundum possit ecclesiis omnibus in commune prodesse*, illi orthodoxorum patrum exempla secuti rem totam ad nos mature deferre non praetermiserunt, enixis insuper precibus contendentes, ut nostrum super pestilenti libro iudicium interponeremus, quo tutius et efficacius apostolica auctoritate insana illa opinandi licentia comprimeretur et imminentia catholicae religioni pericula propellerentur. Quibus in precibus cum praestans pietatis ac veritatis studium deprehenderemus, gratias egimus Patri misericordiarum, ac Deo totius consolationis, qui hoc eximio suae largitatis beneficio consolari nos voluit in hac tribulatione nostra, eaque laetitia perfundere, qua exultat Ecclesia, cum pastores eam, quam debent, gregibus suis sollicitudinem impendunt. Nos itaque pro apostolico munere, quo licet immeriti fungimur, et animas pretioso Salvatoris D. N. I. C. sanguine redemtas pastorali caritate, quantum nobis ex alto conceditur, ab omni erroris et impietatis contagio immunes reddere cupientes, praedictum librum latino primum, et italico item sermone versum diligenti et accuratiori praeclarorum in S. Theologia Magistrorum examini et censurae

subiici mandavimus, uti rei gravitas postulare videbatur; subindeque doctissimorum virorum habitis consultationibus auditisque semel atque iterum suffragiis ven. fr. nostr. S. R. E. Cardinalium in tota republica christiana adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum, coram nobis adstantium, motu proprio et ex certa scientia nostra, deque apost. potestatis plenitudine antedictum librum ‚I. L. Isenbiehlii tentamen novum in prophetiam de Emmanuele. 1778.' in duas partes divisum, absque ulla loci significatione et legitima approbatione typis impressum, tamquam continentem doctrinam et propositiones respective falsas, temerarias, scandalosas, perniciosas, erroneas, haeresi faventes, et haereticas damnamus, ac pro damnato et reprobato in perpetuum haberi volumus, atque decernimus. — Reliquum est, quod votis omnibus exoptamus, et humili prece a Deo petimus, ut qui humana instabilitate abalienari se passi sunt, ac circumferri omni vento doctrinae, scripturas depravantes in suam et aliorum perditionem, divina opitulante gratia in viam et ad cor redire non morentur, ac voci Ecclesiae docibiles effecti in eius sinum recurrant, peramanter excipiendi. Loquimur cum Coelestino ad Cyrillum: ‚Studeo quieti catholicae, studeo pereuntis saluti, si tamen voluerit aegritudinem confiteri; quod ideo dicimus, ne volenti se corrigere forsitan deesse videamur.' Et ut S. Leo ad Pulcheriam habet: ‚Sedis Apost. moderatio hanc temperantiam servat, ut et severius agat cum obduratis, et veniam cupiat praestare correctis.' — Datum Romae die 9. Sept. 1779. — **Bullarii R.** *continuatio.* VI. 145.

992.

Pius VI PP. ad Eppum **Fuldensem** de consilio Monachorum Fuldensium recipiendi acatholicos ad sinum Ecclesiae sub quibusdam conditionibus, quae probari haud possint. A. 1780.

MON. Iam ab aliquo tempore ex variis Germaniae locis ad nos perfertur, *nonnullos Monachos Fuldenses* tuos pro religio-

nis studio, quod praeseferunt, *consilium inter se iniisse, quo heterodoxos Lutheranos et Calvinistas ad fidem catholicam adducerent, eamque ad rem perscriptas vulgatasque ab iis esse quasdam eius exequendi rationes, in societatem nimirum seu congressum aliquot catholicis haereticisque conveniendum esse, ubi certis inhaerentes regulis ac legibus, quas ipsi sanciunt, controversias in examen revocent, discutiant, et componant.* Primis huiusmodi rumoribus parum commoti fuimus, cum animo nobis obversaretur, quam saepe antea ad eiusmodi tentamenta ventum sit, quamque illa nullos unquam exitus habere potuerint, eosque ipsos talis consilii auctores tot inanibus superiorum temporum experimentis edoctos, nec minus difficultate quam rei magnitudine deterritos brevi ab incoepto destituros esse arbitrabamur. Deinceps vero magnam et admirationem et molestiam animo cepimus, cum ex recentioribus nunciis certo cognosceremus, illos monachos, etsi nullos usquam quocunque se converterint consilii huius fautores adiutoresque invenerint, illudque repudiatum ubique ac reiectum esse, seque ipsos salutaribus bonorum iudiciis admonitos ac reprehensos viderint, tamen non solum a proposito non recessisse, sed et acriter adhuc insistere in prosequenda urgendaque tantae rei actione. Valde tum vereri coepimus, quo progressura res esset, ne scilicet cum maiores in dies de se sermones excitet, in aliquod demum Catholicae Religionis periculum, offensionem aut detrimentum erumperet. Itaque per hasce literas te, ven. frater, timoris huius nostri facere certiorem voluimus, ac ipsius etiam rei, (si forte eandem, quae tamen divulgata iam est, suosque tantos motus Religiosi illi tui te celare tentarint) iisque literis excitare pastoralem vigilantiam ac sollicitudinem tuam ad eos monachos tibi subiectos vel tua admonitione ab eiusmodi consilio seu voce seu scripto seu quacunque alia ratione promovendo revocandos, vel si opus fuerit, auctoritate tua ne ulterius pergant comprimendos. Iudicium hic certe nostrum interponere nequaquam possumus de inventis propositisque eius conciliandae concordiae conditionibus, quas cognosci per nos ante atque expendi necesse esset; sed qualescunque sunt tandem, repudiari certe reprobarique omnino debent, cum neque rei, neque tempori, neque personis ullo modo convenire et cohaerere possint. Ecquis non videat, quae rei gravitas sit ac magnitudo, et quantopere illa Christianae universae

Reipublicae intersit, ut propterea non vehementer miretur, tantum negotii a paucis Religiosis sine ulla auctoritate, ullo iure legitimoque mandato sed privato arbitrio esse susceptum, ab iisque agendi regulas, conditiones, praecepta praescribi, neque eorum vanam confidentiam maxime vituperandam ac reprimendam ducat? Sed absurdum id adhuc magis videri debet, eos tantum opus ultro adgressos esse, nulla acatholicorum voce invitatos, nulla vel minima illectos spe, fore, ut illi nedum ipsos conciliatores recipiant, sed ullam fieri conciliationem velint. *Et quae unquam poterit concordiae ac pacis inchoari tractatio, nisi illi, qui a fidei veritate iampridem defecerunt, legitimoque iudicio a Catholicae Ecclesiae Corpore sunt abscissi, ea dare suae voluntatis incipiant indicia, ex quibus polliceri nobis possimus, illuc iam adductam rem esse, ut illi ad pristinos errores reiiciendos, Ecclesiaeque auctoritati se submittendum nostra opera Deo iuvante induci valeant?* Nos ipsi tum omni animi nostri contentione, gratia, officiis, precibus etiam ac lacrymis praecurreremus, si ulla nobis eiusmodi spes affulgeret, nihilque reliquum studii, consilii, ac laboris in nobis foret, quod non illuc impenderemus. *Tamen pro hoc tanto successu ullum nequaquam vel minimum pati possemus fidei nostrae fieri dispendium; neque enim tales esse debemus ac possumus, ut eas conditiones recipiamus, quibus quidquam decerpatur relaxeturque vel de numero vel de rigore dogmatum, quae Catholica Ecclesia, columna et firmamentum veritatis, agnoscit ac docet, ac tamquam commissum sibi a Christo Domino depositum severissime tuetur ac custodit.* Cum igitur heterodoxi hoc tempore a tali voluntatis suae conversione longissime abesse videantur, cumque ab illis proficisci debeat omnis nobiscum conveniendi ratio, intempestivam certe ac praeposteram illi monachi agendi viam susceperunt, qui nunc tantam rem suis hortatibus suisque per urbes discursionibus efficere tentant, ac perficere posse confidunt. At si quid etiam in eo ipsi possent, num idcirco privato illegitimoque consilio uti, idque sibi per se sumere atque arrogare deberent, quod ad cognitionem iudiciumque tantummodo pertinet Epporum, ad praesertim nostrum et Apost. huius Sedis, sine cuius auctoritate atque arbitrio neque initium gravissimo huic negotio dari, neque progressus explicari, neque exitus reperiri ratione ac iure posset? Atque hic etiam non possumus non

animadvertere, ven. frater, si iste Congressus institueretur, ad cumque illo animo, quo nunc sunt, haeretici convenirent, quibus illi cavillationibus insidiisque, prout ipsis mos semper fuit, armati procederent, ut nostros eius successus cupidos minusque proinde suspiciosos et cautos caperent atque irretirent! Nostri vero non a nobis electi, non ullis Sanctae huius Sedis mandatis innixi ac fulti, neque admonitionibus consiliisque instructi, utpote qui sua sponte tantam rem susceperint, quo in discrimine versarentur! quam facile captiosis explicationibus ac ipso tamquam verborum in cortice inhaererent, ut ad conciliationem, quam ambitiose affectant, pervenire possent! minus illos vera rerum ratio, quam suae laudis gloriaeque cupiditas duceret, ut in quadam specie concordiae acquiescerent, quam cum componere sibi visi essent, longissime tum ab ipsa concordiae pacisque veritate distarent. Has tibi, ven. frater, breviter attigimus ac quodammodo perstrinximus sollicitudinis nostrae causas, cum te ipsum non dubitemus pro tua intelligentia facile earum vim gravitatemque agnoscere. Tanto igitur magis te in Domino hortamur, atque etiam obsecramus, ut parem nostrae erga te fiduciae, quae maxima certe est, exhibeas hac de re curam, tuosque Religiosos pro tua potestate cohibeas, ne illa tentare audeant, quae Catholicam Ecclesiam hoc praesertim periculosissimo tempore in magnam possent perturbationem adducere. Id a te eppalis ministerii fidem, id religionis studium, id debitam huic apost. Cathedrae observantiam poscere atque efflagitare existima, in teque conversos omnium bonorum oculos, nostros vero ita fixos esse, ut a tua virtute potissimum expectemus novitatum offensionumque semen in ipsis initiis praefocari, omnesque, quae inde impendent animo nostro, molestias, ne quid scilicet amplius agendum nobis sit, evelli funditus atque exstirpari. Demum Deum O. M. precantes pro tuae eiusmodi actionis felicitate monachorumque debita tuis monitis ac iussis obtemperatione, apost. benedictionem etc. Datum Romae die 10 Iunii 1780. — **Theiner** *dell' Introduzione del protestantismo in Italia.* Napoli e Roma. 1850. Append. p. I.

993.

Pius VI PP. Eppum **Brixinensem** ob incongruas circa bullam ‚Unigenitus' expressiones redarguit. A. 1781.

MON. In publicum prodiit, lateque vulgatur Edictum quoddam, seu pastoralis epistola ad universum Brixinensis dioecesis Clerum die 7 Iunii proxime praeteriti tuo nomine data: quam cum perlegissemus, valde dubitavimus, essetne illa a te revera perscripta, teque sciente prolata; minus enim nobis visa est tuo nomini tuoque eppali muneri convenire. Cuius dubitationis nostrae dum tibi causas afferimus, eo nos tecum animo agere existima, ven. frater, qui paternae nostrae in te caritati sit maxime consentaneus. Proinde vehementer a te petimus, teque obsecramus, ut pari voluntate invicem excipere velis fiduciam hanc nostram, qua tibi ad haec scribenda inducimur, ut et amori, quo in te sumus, et apostolicae sollicitudini, qua praecipue tenemur, in gravissimo hoc negotio satisfaciamus. Itaque tibi prae oculis ponere fidenter suscipimus, quae in illa epistola animadvertenda duximus, quae nimirum a te nullo modo prolata esse vellemus. Ac primum, neque tuam neque sane ullius catholici Eppi prudentiam fugere potest, bullam ‚Unigenitus' a Summo Pontifice Clemente XI editam, ab eius in S. Sede successoribus saepe confirmatam, universali Ecclesiarum cum plurimarum expresso tum aliarum tacito saltem consensu receptam esse, eamque dogmaticum ac irreformabile S. Sedis iudicium continere, cui nemo queat obedientiam detrectare. Neque ad huius decreti vim infringendam valere possunt, quae contra in eius epistolae edicto proferuntur: *quod allegatio huius bullae ad excitationem multorum in doctrina errorum, et ad turbationem quietis caraeque pacis occasionem dederit.* Enimvero notum est discrimen inter occasionem datam, et occasionem pravitate hominum acceptam. Numquam defuere, qui non solum Pontificum et Conciliorum sanctionibus, Patrumque testimoniis abutentes, sed et S. Literas in suam et aliorum perniciem depravantes, gravissimos errores cum magna Ecclesiae et Reipublicae

perturbatione inducerent. Hi scilicet errandi occasionem, quam Christi et Ecclesiae divina oracula dare certe non possunt, ex suo ingenio arripuerunt. Non propterea ullo unquam tempore praeclarissimi Ecclesiae Praesules abstinendum censuerunt ab alleganda Scripturae, Patrum, Conciliorumve auctoritate, quod ex eisdem fontibus perversi homines prave sentiendi pacisque turbandae occasionem haurirent. Nec aliter de quocunque dogmatico Ecclesiae iudicio fas est opinari. Minus etiam valet, quod sequitur, nempe *ob eam causam impugnatas esse sententias vitiorum omnium immunes.* Et sane quis ignorat, quam saepe vel ipsa S. Literarum auctoritas ab haereticis allegata fuerit ad impugnanda Ecclesiae dogmata, omnis profecto vitii expertia? Familiare est hominibus cuique sectae vel opinioni adhaerentibus, ut undecunque arma capiant ad refellendos eos, qui contra sentiunt. Nil proinde mirum, quod nonnulli animo suo nimium indulgentes, cum et S. Literis et Patrum testimoniis, tum etiam bulla ‚Unigenitus' abuti non dubitaverint, ut sententias etiam ab omni vitio immunes, sed quae sibi minus placerent, in invidiam et discrimen adducerent. Vitium est istud hominum bonis rebus male utentium, quorum si temeritas coercenda, non ideo bonarum rerum usus omittendus. Vetat edictum, *ne de Molinismo ac de Iansenismo disputationes habeantur non necessariae.* Et quidem ubi nec necessaria nec utilis est disputatio, prudentia monet, ab ea penitus abstinendum, in idque recte et ex officio Eppus quivis incumbit. At verendum, ne ex edicti formula in hanc fallaciam quispiam inducatur, ut existimet, nonnisi spectrum inane esse larvamque contemnendam, quidquid haeresis Iansenianae nomine traducitur. Quinque notissimas Iansenii propositiones ab Innocentio X damnatas haereticas esse nemo unquam negavit, qui catholicus censeri vellet. Nec damnationem effugere potuerunt refractarii, qui eas vere Iansenianas esse ausi sunt in dubium revocare. Cum ergo de Ianseniana haeresi plane constet, curare Eppi debent, quod sanctissimi antistites in Ecclesia semper sui muneris esse duxerunt, ut quacunque aptiori ratione aditus illi omnis praecludatur, aut si forte irrepsit, ne latius in sua dioecesi propagetur. Praeterea in illa epistola mandatur, *ut in dictis occasionibus nullus utatur bulla* ‚Unigenitus', *quia in hac bulla neque dogma aliquod catholicum, neque sententia aliqua haeretica significata fuit, et proprie definita.* Id profecto nemi-

nem latere debuit, quod plures doctissimi probatissimique animadverterunt rerum theologicarum scriptores, antea etiam in Ecclesia factum esse, ut in damnandis propositionibus notae singulae singulis non applicentur, sed in unum congestae propositionibus respective convenire asserantur. Sic in Constantiensi Concilio Wiccleffi et Ioannis Huss sententiae in globo et respective proscribuntur; sic etiam variae propositiones a Summis Pontificibus in globo damnatae in Luthero, Bajo, Molino. Nihilominus propositiones in memorato Concilio, constitutionibus ac decretis eum in modum damnatas Ecclesia semper detestandas censuit, licet in globo tantum et respective damnatae fuerint; dum enim in globo et respective damnantur propositiones, certo novit quisque fidelis eas esse perniciosas, fidei nocivas, quod sufficit, ut eas aversetur, nec ullam ex eis admittat. Quod ipsum D. Agustini auctoritate confirmatur, cuius haec sunt verba ‚de haeres. ad quod vult c. 88: Quid contra ista sentiat Ecclesia Catholica, quod a me dicendum putasti, superflue quaeritur, cum propter hoc scire sufficiat, Ecclesiam contra ista sentire, nec aliquid horum in fidem quemquam debere recipere. Multum adiuvat cor fidele, nosse, quid credendum non sit.‘ Additur in edicto, *oportere Ecclesiasticos ea semper uti doctrina, quae ab universa Ecclesia in sacris suis Congregationibus clare definita fuit, doctrinaque illa haereditaria, quae in SS. Patrum consensu consistit.* Sacrarum universae Ecclesiae Congregationum nomine non alias a te intelligi credimus, quam quae communi more Concilia Generalia, Synodi universales, ac plenariae nuncupantur. Hac proinde edicti particula videtur innui, non aliud irreformabile iudicium admittendum, quam quod ab Ecclesia proficiscitur in Concilio oecumenico congregata, eandemque in fidei controversiis dirimendis et doctrina rite definienda infallibilem auctoritatem extra Concilium minus agnoscendam. Quem errorem universae traditioni repugnare, praestantissimi doctores iampridem demonstrarunt, nec ullus ex orthodxis in controversiam adducit. Recte porro praescribit epistola, ecclesiasticos oportere uti doctrina illa haereditaria, quae in SS. Ecclesiae Patrum consensu consistit. Ex hac videlicet haereditaria doctrina iuxta gravissimum illum Patrum consensum intelligi potuit, quam normam sequi, quos fontes adire debeant Ecclesiastici in quaestionibus theologicis pertractandis ac diiudicandis. Et certe Ecclesiae

Patres Apostolorum praecepta secuti atque apostolica doctrina imbuti ea, quae sunt fidei ac religionis, non aliunde quam ex oraculis Christi et Ecclesiae, ex S. Literis, ex Traditione, Conciliorum ac Supremorum Pastorum sanctionibus petenda esse constantissime docuerunt. In hoc firmo constantique Patrum consensu inhaerentes melius quidem et certius consequentur, quod in fine epistolae ecclesiasticis merito praecipitur, ut scilicet quavis opportunitate solliciti sint, inculcare populo debitam venerationem Supremi Ecclesiae Capitis et sui Principis. Haec sunt ven. frater, quae ad te perscribenda de illa epistola duximus, ne iudicium nostrum ignorare possis, planeque intelligas, quid a te nunc desideremus, quamque pro apostolico ministerio nostro solliciti simus, ut cum aliqua ex illo scripto oboriri cuipiam poterit de te tuoque sensu suspicio, prorsus aboleatur, neque ullus proinde fidelium offensioni locus superesse valeat. Atque id a te fieri quamprimum cupimus, antequam scilicet ab Apost. Sede debitum instituatur eiusdem epistolae examen, eique gravis forsan infligatur nota, quae et tibi vehementer displicere, et tuo nomini labem possit inducere. Quam enim Sancta haec Sedes sententiam tulerit, illam certe putare debes a catholicis habendam excipiendamque esse tamquam iudicium eius, quae, ut SS. Patrum verbis utamur, mater est et magistra aliarum Ecclesiarum, ac quodammodo fons coelestis sapientiae. Deum O. M. precamur, ut suo te consilii et fortitudinis spiritu dirigat, nihilque magis in gerendo Eppatu prae oculis te habere sinat, quam quod Religionis ratio, animarum salus, Deique gloria a te potissimum efflagitat. Ac ut magis divinae te gratiae commendemus, eiusdem auspicem apost. benedictionem tibi, ven. frater, tuaeque fidei commissis populis paterno animo ac peramanter impertimur. Datum Romae die 13 Sept. 1781. — **Walch** *neueste Religionsgeschichte.* Lemgo. IX. 503.

994.

Pii VI PP. Allocutio ad Cardinales de Eppi **Potentini** erroneis circa iura Summi Pontificis et Ecclesiae sententiis, et de iisdem ab eo subin retractatis, A. 1783.

MON. Antequam de *Potentina* Ecclesia verba faciamus, exponendum vobis hic esse arbitramur, ven. fratres, ut, cum ageretur de sacerdote *Andrea Serrao* nobis ad eum Eppatum proposito, non levis obiecta nobis difficultas fuerit, in memoriam revocantibus quasdam eiusdem sententias iampridem aliquot in libris prolatas, quae iuribus auctoritatique Ecclesiae adversantur. Deliberandum amplius nobis esse, nostramque propterea de ipso promovendo actionem suspendendam iudicavimus, ne eo facto approbasse ipsius iam in vulgus diffusam doctrinae rationem videremur. Obversabatur nobis ante oculos gravissimum ministerio nostro impositum munus, quo apostolicae Ecclesiae tueri iura constringimur: quod quale quantumque sit, intelligere vos ipsi ex illo vestro iureiurando potestis, quo, cum ad Cardinalatus dignitatem conscenderetis, teneri vos ad ea iura usque ad sangvinem propugnanda, augenda et promovenda conceptis verbis declarastis. Ad eam servandam officii nostri fidem senis Eleazari exemplo verbisque impellebamur, cum diceret: ‚Manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam; quapropter fortiter vita excedendo senectute quidem dignus apparebo, adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si promto animo ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar.‘ His permoti excitatique, Serrao ipsi difficultates nostras significari fecimus, earumque rationes scripto exposuimus, quae nos saltem retardarent ad Eppatum illi conferendum: ut interea induci ad satisfaciendum Ecclesiae posset, nimirum a suis illis propositionibus recederet, suosque sensus ad Ecclesiae doctrinam palam conformaret. At ipse sententias suas putavit defendi posse, afferrique earum probabiles, ut illi videbatur, explicationes. Cum nos ea defensione

minime contenti esse possemus, atque idcirco instare apud eum pro suo explendo officio pergeremus, existimavit ipse, integrum iam sibi amplius non esse, nec in sua potestate positum, obsequi nobis ab eo tam iusta ac tam debita postulantibus. Ah! quam paucos, quamque raros illos esse agnoscimus, qui Danielis spiritu imbuti eundem imitentur, cum nec oblata purpura, nec torques aurea ullum adderet incitamentum ad legendam interpretandamque scripturam, quae Balthasarem conturbabat, dum inspiciebat articulos manus scribentis in superficie parietis Aulae Regiae. Cum hunc in modum tempus ad annum et ultra protractum esset, tandem nos ea scripta omnia, quae ad rem pertinebant, in unum collecta, aliquot ex fraternitatibus vestris examinanda commisimus, ut ipsi expensis iis omnibus, consiliisque inter se collatis, deliberarent, qualis foret Serrao proponenda declaratio, quam si adhibere atque emittere suo nomine vellet, sublato impedimento provehi posset ad Eppatum. Quam tum illi declarationem ad nos attulerunt, quamque communicari cum Serrao fecimus, accepta eadem ab ipso fuit, manu sua perscripta, suoque firmata nomine VI idus Iulias. *Profitetur* ibidem *suam S. Sedi Apostolicae devotionem, submissionem et obedientiam: veneratur in nobis ac successoribus nostris Caput, Pastorem, Magistrum, Centrum unitatis catholicae; auctoritatem Summorum Pontificum pro custodiendo fidei deposito, et eccles. disciplina statuenda spiritualem iurisdictionem recognoscit;* omnia sua opera, quae hactenus edidit, et si quae unquam sit editurus, S. Sedis Ap. censurae subiicit, eiusdemque canonico iudicio animi submissione se obtemperaturum esse sancte pollicetur. Cum ad hunc statum adductae res essent, nos quidem acquievimus nonullorum fratrum vestrorum, quod exposuimus, consilio, ac nunc breviter vobis omnibus eadem referimus, ut in tam gravi deliberatione labia vestra non prohibeatis, sed solum Deum prae oculis habentes sententiam vestram sincere ac libere proferatis. Interea vero, quod vobis affirmare nunc possumus, illud est, ven. fratres, ut nos volentes adiungere fidem iis, quae electus Eppus serio sancteque professus est, sperare debeamus, illum non amplius libris oberraturum eorum scriptorum, qui falsis innixi doctrinae principiis Ecclesiae iurisdictionem impugnarunt, sed inhaesurum celeberrimi Theologi sententiis, cui Potentina Ecclesia commendata fuit, *Ioannis Card. de Turrecremata*,

qui in praestantissimo suo opere ‚Summa Ecclesiae' nuncupato, quod in Cardinalatu composuerat, pluribus in locis contra pestiferum ‚Defensorium pacis' Marsilii Patavini, et contra Wiccleffum eiusque asseclas egit et *probavit: multiplicem supereminentiam spiritualis potestatis, iurisdictionem coactivam Romani Pontificis super fideles vindicavit, ac confutavit calumnias dissidentium ab hac Romana Sede, qui sustinuerant resisti posse regulis et praescriptis apostolicis.* Hic est liber, quem nos Serrao legendum, sequendumque inculcabimus, utpote peculiari ad illum magis quam ad ceteros Eppos ratione spectantem propter eiusdem Potentinae Ecclesiae communionem. — **Brancadoro** *Pii VI P. M. Allocutiones, homiliae etc.* Amstelodami. 1792. p. 137.

995.

Pius VI PP. libellum ‚Eybelii' de auriculari Confessione condemnat, ac una errores eiusdem Scriptoris Primatui S. Sedis Romanae oppositos perstringit. A. 1784.

MON. Mediator Dei et hominum Christus Iesus, quo plenius in nos misericordiae suae divitias effunderet, figmentum nostrum miseratus ad reparandos eos, qui a baptismi gratia quandocunque excidissent, tradita Ecclesiae praepositis potestate remittendi ac retinendi peccata, *Sacramentum Poenitentiae* instituit, cuius vi et efficacia qui ad id accederent rite dispositi ac pecata confessi, per sacerdotis absolutionem peccatorum veniam consequerentur. Constans haec fuit de hoc insigni Christi beneficio et ab apostolicis usque ducta temporibus perpetua Ecclesiae praedicatio, eaque depulsis pridem ac praesertim per Tridentini Concilii decreta novatorum erroribus, fusa per omnes catholici orbis provincias, fideliumque omnium animis insita penitus ac defixa, pacatissima confessione, nec sine ingenti animarum fructu pura et integra fide tenebatur. Verum antiquus generis humani hostis, adversarius ille noster, in quo numquam quiescit voluntas nocendi, omnibus modis instat, quemadmodum deiiciat. Itaque cum in hac fidei ac doctrinae constantia nil du-

dum christianae plebi ab apertis hostibus metuendum videretur, prodierunt repente ex nostris, qui nobis bella moverent, si tamen nostri dicendi sunt, quos ad inimicum transiisse rupto foedere sentiamus. Editum sane recens nec sine acerbo doloris sensu accepimus libellum germanico idiomate, cuius haec est latine reddita inscriptio: ‚Quid continent documenta antiquitatis christianae de auriculari Confessione? Ab *Eybel.* Vindobonae. 1784.' Ediderat iam Scriptor iste paucis ante annis *Introductionem in Ius Eccles. Catholicorum*, quem librum decreto sub die 16. Febr. curr. anni Indicis Congregatio maturo adhibito examine censuit inter damnatos libros referendum. At hoc novo libello palam omnibus factum est, perspicueque declaratum, qui Scriptoris huius animus semper antea fuerit, quove demum tendant eorum consilia, qui *omni scriptionum genere student fidelium animos alienare ab ea Sede, cum qua Ecclesias universas et fideles qui undique sunt omnes oportet convenire.* Sane infelicem auctorem non puduit palam profiteri, haereticorum scriptis quoad res plurimas solide se fuisse instructum; licet vane testetur, se in hoc argumento ab eorum quantumvis doctorum lucubrationibus abstinere voluisse. Infelix revera, qui dum se solide instructum perperam sibi blanditur, non animadvertit, *quam periculosum sit eorum se instabilitati committere, qui a soliditate Petrae, supra quam Christus Ecclesiam suam fundavit, aliquando discesserint.* Atqui isti quidem ex illis sunt, quos novissimis diebus futuros praedixit Apostolus, quos nimium multos in hac, quae quotidie magis magisque increbrescit, opinandi licentia experimur, qui corrupti mente ac reprobi circa fidem resistunt veritati; sed ultra non proficient, insipientia enim eorum manifesta erit omnibus. Qui etsi cum innovare et errare incoeperint, ipsi non desistent ab errore, sed semper fallacias novas et dogmata corrupta invenient, non diutius tamen fallent neque secum rapient; quippe licet in principio prospere agat error, ad finem tamen usque non permanebit. Magna certe nobis fiducia est apud Deum, fore numquam ut filii Ecclesiae, filii lucis, obedientes ex corde in eam formam doctrinae, in quam traditi sunt, abduci se sinant variis illis et peregrinis doctrinis, quas spiritus erroris invexit, quarum finis interitus. Huius notae sunt illae, quas in novatorum libris dudum et patentes non dubitavit libelli auctor fraudulenta calliditate incautis mentibus ob-

trudere. — *(Sequitur uberior expositio et censura libelli Eybeliani de auriculari Confessione.)* — Datum Romae die 11. Nov. 1784. — **Marx** *Propositiones dogmatico-polemicae.* Romae 1787. Append. p. 35.

996.

Pius VI PP. AEppum **Trevirensem** et Eppum Augustanum a tolerantiae religiosae inductione dehortatur, A. 1784.

MON. Ex officio tuo, ven. frater, natalitii Dominici festi novique anni opportunitate peracto non solum pietatem, tuamque in nos ac Apostolicam hanc Sedem observantiam, sed et praeclarum nostrum iudicium, quod de te semper fecimus, cumulari maiorem in modum sentimus, augerique etiam profitemur. Id quidem praestantibus meritis tuis maxime convenit, nosque gratissimam propterea tibi voluntatem deferentes iis te prosequimur votis nostris, quae paternae in te benevolentiae existimationique sunt consentanea. Idem a Deo de te, ven. frater, quod de nobis ipsis in hoc gravissimo ministerio constitutis semper petimus ac precamur: ut quemadmodum Angelus Christi Domini nativitatem nunciaturus pastores pro gregum suorum custodia vigilantes invenit, ita nos ad excipiendum ipsius consilii spiritum paratos semper faciat, excubantes nimirum super concreditas nobis oves, ne unquam illae lupis ad ovile aditum quaerentibus exponantur. Id tibi pari ac nobis curae et sollicitudini esse debet pro tuarum dioecesium finibus, idque ex perspicuis tuarum virtutum documentis a te peragi non dubitamus, ven. frater. Etsi adversus quidam rumor ad nos pervenerit, a te scilicet esse *religiosam*, ut aiunt, *tolerantiam* in tuam ditionem nuper inductam; fatemur sane huic rumori a nobis, qui te optime novimus, fidem non haberi; tamen praeterire silentio tibi nolumus, animum nostrum eo vehementer perculsum fuisse ac perturbatum, ut propterea plurima menti nostrae occurrerent, quae ad te, si opus foret, dehortandum adduci possent; verum nihil potius hic a nobis agendum esse existimavimus, quam ob

oculos tibi proponere SS. Praedecessoris nostri Pii V epistolam, quae est 14 libri V in eiusdem epistolarum volumine Antwerpiae typis edito a. 1640. In ea Principem virum hortatur, ne apud se aut in ditione sua haereticos toleret, ac inter cetera hoc habet: ‚in impietate valde progrediuntur haeretici, eorumque sermo passim serpit ut cancer; ac si quibus in rebus periculosa mora est, in hac plane est periculosissima. In qua omnino vel dissimulare, vel minus leniter agere, an saepenumero damnum attulerit Ecclesiae Dei, non solum veteres sed recentes quoque nostrae calamitates profecto quam vellemus clarius testantur. Et sane lenitas nulla potest esse tanta, ut istorum flectere malitiam queat, qui catholicorum patientiam exercere malunt, quam eorum sapientiam aut humanitatem experiri.‘ Sed nihil hic novum tibi atque ignotum afferimus, ven. frater, cum tu ipse in praeclara illa Pastorali tua epistola, cum de tolerantia ageres, hanc SS. Pontificis sententiam sequi plane visus esses, eamque tolerantiam Ecclesiae unitati contrariam esse asserueris ac prorsus reprobaveris. Cum tu, ven. frater, tantopere aversatus sis inducendam a seculari domino tolerantiam, exhorruisses certe, si id de ecclesiastico audiri coeptum esset, eoque ecclesiastico, in quo Eppatus cum principatu ita coniungitur, ut illa multo potior, praestantior, nobiliorque sit potestas. Quanto maiori nunc par esset nos horrore corripi, si quid de te veri rumor ille vulgasset, cum te videremus in tua pristina non constare doctrina, tibique ipsi in eo contradicere, quod populum tuum ut pastor ac magister publice docuisti. Tum certe, ut eiusdem praedecessoris verbis utamur, ‚praeclaram, quam de te homines opinionem adhuc habuerant, turpiter falleres, et obscurares, ne dicamus de illa iam atque adeo de existimatione tua apud quosdam nonnihil esse detractum. Enimvero quia nihil, quod nobis relatum est, ignorare te volumus, scito nonnullos de te quidpiam nobilitate tua prorsus indignum iam suspicari coepisse.‘ Sed nos de te, ven. frater, aliter sentire cogit insita illa iamdudum animo nostro de tua virtute ac religione persuasio, a qua incertis illis tuaeque dignitati iniuriosis vocibus cum dimoveri nequeamus, valde tamen cupimus teque rogamus, ut aliquo praeclaro facto tuo tam adversus rumor obruatur, antequam ad ceteros pervadat, et ipsa famae aut suspicionis huius detecta falsitas omnem, si qua inducta iam sit, auferat offensio-

nem. — Datum Romae die 3. Ianuar. 1784. — **Brancadoro** *Pii VI Allocutiones* etc. p. 149.

997.

Facultatis Theol. Parisiensis declaratio circa propositiones de Primatu, ab Eppo Frisingensi denunciatas, A. 1785.

MON. *Quarta propositio:* Summus Pontifex duplici pollet Primatu, uno a Christo, altero ab urbe Roma promanante. Vi prioris ipsi, non tamen ut superiori, sed praecise ut Epporum confratri, incumbit ceteros Eppos monere, et cohortari; quodsi cohortatio nihil prodest, aliud eidem non superest, quam ut acquiescat, remque Deo commendet. Vi posterioris ab urbe Roma derivantis eidem competit ius convocandi Concilia generalia, eisque praesidendi. *Quinta propositio:* Et hinc si alius Apostolus, v. g. S. Andreas Romanam erexisset Ecclesiam, successores S. Andreae primatum tenerent quoad convocationem Conciliorum Generalium, et in iis praesidendi ius; successores vero S. Petri in hac hypothesi solo primatu potirentur quoad monitionem et cohortationem, ut supra. *Sexta propositio:* Summi Pontificis primatus honoris consistit in sola praecedentia, quae habetur inter pares. De primatu vero iurisdictionis Papae neque ex S. Scriptura, neque ex Traditione constat. Nec enim ultra et extra fines urbis Romae quidquam iubere et disponere valet. Et hinc C. Florentinum dicendo, Summum Pontificem verum esse Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, et omnium Christianorum Patrem et Doctorum, ipsique in beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C. plenariam potestatem traditam fuisse, dogma aliquod non declaravit, nec etiam quoad hunc passum ubivis receptum est. Cui accedit, dictum Concilium novioribus temporibus celebratum esse, ut adeo nullo respectu pro Primatu Pontificis, eiusque potestate regendi et gubernandi universalem Ecclesiam aliquid probet.

Declaratio Facultatis. Sacra Facultas avitae fidei tenax, et maiorum suorum vestigiis inhaerens, *delatas propositiones*,

quatenus in eis asseritur, Summum Pontificem duplici pollere Primatu altero a Christo, altero ab urbe Roma promanante, et istum posteriorem primatum, ex quo competit ius convocandi concilia, in iisque praesidendi, competere potuisse successoribus S. Andreae, v. g. si S. Andreas Romanam erexisset Ecclesiam, — vi autem prioris primatus a Christo promanantis Summo Pontifici non ut superiori, sed praecise ut confratri, id solum incumbere, ceteros Eppos monere et cohortari; — Summi Pontificis primatum honoris consistere in sola praecedentia, quae habetur inter pares, — de primatu vero iurisdictionis Papae neque ex S. Scriptura, neque ex Traditione constare, illum extra et ultra fines urbis Romae quidquam iubere et disponere non valere etc. — *sentit renovare errores olim damnatos in Spalatensi, ideoque illas damnat iterum ut falsas, erroneas, haereticas, et schismaticas.* — Quod propositione VI legitur: *Concilium Florentinum* dicendo Summum Pontificem verum esse Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae Caput, etc. in his dogma aliquod non declaravisse, nec etiam quoad hunc passum receptum esse, falsum est. *Omnes Catholici agnoscunt, C. Florentinum ibi tamquam aliquod dogma declarasse Primatum iurisdictionis Summi Pontificis:* qui quidem articulus olim constanter creditus in Ecclesia Graeca, nec nisi a Photii tempore apud illam in dubium adductus, profecto omitti non poterat inter doctrinae capita, quae Graecis proponebantur credenda, ut eorum unio cum Ecclesia Romana perficeretur. De hoc tantum est contentio inter Catholicos, utrum plenaria potestas pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam, quam a D. N. I. C. Summo Pontifici traditam declarant Patres Florentini, sit super omnes Ecclesias coniunctim et collective, utrum tantum super omnes Ecclesias particulares separatim et distributive sumtas. Sed in isto etiam sensu integer prorsus stat Primatus iurisdictionis ex iure divino, ut fuse probavit ill. auctor defensionis declar. Cleri Gallicani a. 1682. — Quod in eadem VI propositione additur, dictum Florentinum Concilium novioribus temporibus celebratum esse, ut adeo nullo respectu pro Primatu Pontificis, eiusque potestate regendi et gubernandi universalem Ecclesiam aliquid probet, id proxime induceret ad credendum: Ecclesiae non iam competere inerrantiae donum, defecisse divinum Christi auxilium, quod suae sponsae adfuturum promisit usque ad consummatio-

nem seculi: quod quidem est haereticum. — *Confutazione degli errori a calunnie contro la Chiesa.* 1794. I. 228.

998.

Pius VI PP. libellum ‚Eybelii' **de Papa** condemnat, Primatumque Romani Pontificis docte non minus quam fuse commonstrat. A. 1786.

INTR. Breve, quod hic exhibemus, quemadmodum auctori opusculi famosi larvam detrahit, eundemque, proscriptis et aliis ipsius libellis, in opusculo ‚de Papa' contra manifesta certissimaque Scripturarum et Traditionis monumenta gravissime peccasse, atque ab orthodoxo dogmate longissime deviasse invicte demonstrat: ita pretiosissimum est simul pro comprobando Primatu monumentum. Quaenam fata habuerit libellus Eybelii per isthoc Breve proscriptus, in Literatura copiose exhibemus.

MON. Pius VI. Super soliditate Petrae fundatam a Christo Ecclesiam, Petrumque singulari Christi munere prae ceteris electum, qui vicaria potestate Apostolici chori Princeps existeret, totiusque adeo gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi ac solvendi summam curam, auctoritatemque in Successores omni aevo prorogandam susciperet, dogma Catholicum est: quod ore Christi acceptum, perenni Patrum praedicatione traditum ac defensum, Ecclesia universa omni aetate sanctissime retinuit, saepiusque adversus novatorum errores Summorum Pontificum Conciliorumque decretis confirmavit. In hoc scilicet Apostolicae Cathedrae Principatu firmum voluit Christus constrictumque teneri unitatis vinculum, quo Ecclesia per universum mundum propaganda, ex membris quantumcunque dissitis mutua omnium in uno Capite consociatione in unam corporis compagem coalesceret, fieretque adeo, ut huius vis potestatis non tantum ad primae Sedis amplitudinem, sed et maxime ad corporis totius integritatem incolumitatemque valeret. Minime proinde mirum, quotquot omnibus retro seculis exstitere, quibus antiquus humani generis hostis hostile suum in Ecclesiam odium infudit, in hanc primam Sedem irruere consve-

visse, qua unitatis firmitas continetur; ut disiecto, si fieri posset, fundamento, ac diremta Ecclesiarum cum Capite coniunctione, qua potissimum nituntur, vigent, ac efflorescunt, ipsammet Ecclesiam fractis viribus misere afflictam ac dilaceratam, libertate spoliarent, qua Christus eam donavit, indignaeque servituti addicerent.

Hos inter paucos ante annos procacis vir ingenii, damnatis dudum opusculis nimium iam notus *Eybel,* novo exemplo infesti sui in nos et Apostolicam hanc Sedem animi testimonium edidit: qui nempe audito nuncio itineris a nobis Religionis causa suscepti, libellum suis popularibus obtrudere properavit, hac inverecunda inscriptione: *Quid est Papa?* quo plenum illud pietatis studium, quod adventus nostri exspectatio commoverat, restingveret, ipsumque decus Pontificiae Dignitatis in sacerdotalis ordinis invidiam popularisque coetus contemtum adduceret. Non tamen passus est misericors Deus improbi eum voti compotem fieri: quippe tanta ipsorummet suorum, quos abalienare a nobis studuerat, celebritate et frequentia, tanta omnium ordinum gratulatione ac plausu excepti sumus, prorsus ut perspicuum fieret, quamquam nullis nostris meritis in Petri Sedem Divina disponente Providentia evecti sumus, divino tamen Numinis eiusdem consilio provisum esse, ne honori, qui Petro debetur, Successoris indignitas obesset. Ac tum quidem abstinendum duximus a libello merita damnatione notando; primum ne suspicacioribus, qui non desunt, hominibus dolori potius nostro indulsisse, quam officio paruisse videremur; dein quod oblivione protinus obruendum videri poterat opusculum eiusmodi, quod tenue per sese nil momenti afferret praeter procaciorem quamdam in veteribus calumniis retexendis licentiam. Nuper vero cum acceperimus, levitate ipsa operis factum esse, ut qui semper parati sunt superseminare zizania, inimici homines repetitis illud typis, nec patrio tantum sermone, sed et in alios plures, quin et in graecam vulgarem lingvam translatum longe lateque divulgari curarent, hoc nimirum consilio eaque spe inducti, fore, ut scripti iocularis licentia non paucos ad legendum alliceret, scriptoris in affirmando confidentia incautis, qui nec pauci sunt, illuderet: nullam nobis moram interponendam novimus, quominus gliscenti malo in dies, quantum in nobis est, occurramus, omnique studio et opera enitamur, ut qui pacem

et unitatem Ecclesiae scindere quaerunt (utinam non domestici hostes) ad saniora consilia revocentur, aut ne horum fallaciis irretiti bonarum etiam mentium fideles ab orthodoxae fidei constantia in profanas insurgentium errorum novitates miserrime abducantur.

Et sane cum monente Augustino in Cathedra unitatis posuerit Deus doctrinam veritatis, contra infelix iste Scriptor nil non molitur, quo hanc Petri Sedem modis omnibus vexet ac oppugnet, qua in Sede constitutam Patres unanimi sensu Cathedram eam coluere, qua in una unitas ab omnibus servaretur, e qua in reliquas omnes venerandae communionis iura dimanant, ad quam necesse sit omnem Ecclesiam, omnes, qui undique sunt, fideles convenire. Non ille veritus est fanaticam turbam appellare, quam prospiciebat ad aspectum Pontificis in has voces erupturam: hominem eum esse, qui claves Regni coelorum cum ligandi solvendique potestate a Deo acceperit, cui non alius Episcopus exaequari valeat, a quo ipsi Episcopi auctoritatem suam recipiant, quemadmodum ipse a Deo supremam suam potestatem accepit; eundem porro Vicarium esse Christi, Caput Ecclesiae visibile, Iudicem supremum fidelium. An ergo, quod horribile dictu, fanatica fuerit vox ipsa Christi, Claves Regni coelorum cum ligandi solvendique potestate Petro pollicentis: quas claves communicandas ceteris, post Tertullianum, Petrum solum accepisse Optatus Milevitanus profiteri non dubitavit? An fanatica dicenda tot solemnia totiesque repetita Pontificum Conciliorumve decreta, quibus illi damnati sunt, qui negarent, in b. Petro Apost. Principe successorem eius Romanum Pontificem constitutum a Deo Caput Ecclesiae visibile ac Vicarium Iesu Christi, ei regendae Ecclesiae plenam potestatem traditam, veramque ab omnibus, qui Christiano nomine censentur, obedientiam deberi, atque vim eam esse Primatus, quem divino iure obtinet, ut ceteris Episcopis non honoris tantum gradu, sed et supremae potestatis amplitudine antecellat? Quo magis deploranda est praeceps ac coeca hominis temeritas, qui tot decretis damnatos errores infausto suo libello instaurare studuerit, qui dixerit, ac per multas ambages passim insinuarit, quemlibet Episcopum vocatum a Deo ad gubernationem Ecclesiae non minus quam Papam, nec minori praeditum esse potestate, Christum eandem per sese Apostolis omnibus potestatem dedisse,

quidquid aliqui credant obtineri et concedi solum a Pontifice, posse idipsum, sive a consecratione sive ab ecclesiastica iurisdictione pendeat, perinde obtineri a quolibet Episcopo, voluisse Christum Ecclesiam Reipublicae more administrari, ei quidem regimini opus esse Praeside pro bono unitatis, verum qui non audeat se aliorum, qui simul regunt, negotiis implicare, privilegium tamen habeat negligentes cohortandi ad sua implenda munia, vim Primatus hac una contineri praerogativa supplendae aliorum negligentiae, prospiciendi conservationi unitatis hortationibus et exemplo, Pontifices nil posse in aliena dioecesi praeterquam extraordinario casu, Pontificem caput esse, quod vim suam ac firmitatem tenet ab Ecclesia, licitum sibi fecisse Pontifices violandi iura Episcoporum, reservandique sibi absolutiones, dispensationes, decisiones, appellationes, collationes beneficiorum, alia uno verbo munia omnia, quae singulatim recenset, atque velut indebitas ac Episcopis iniuriosas reservationes traducit.

Atque ille quidem ad fidem suis hisce dictis non tam conciliandam, quam quoquo modo surripiendam, nomina longa serie praetendit sanctissimorum Patrum, quorum decerptis hinc inde maleque adductis sententiis insigni fraude abutitur, dum ea loca recenset, quae faciunt ad commendationem Episcopalis Dignitatis, alia reticet, quibus illi singularem Pontificiae Potestatis praestantiam extulerunt. Qui si adessent, impudentem hominis calumniam ea voce refellerent, qua Sedis Apostolicae Principatum, suumque in eam obsequium non praedicarunt modo, sed et immortalibus scriptis ad omnem futuri temporis memoriam testatum reliquerunt: *Cyprianus* ipse, cuius haec sunt verba: Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et Cathedra una super Petrum Domini voce fundata; qui Petri Cathedram profitetur Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, ad quam perfidia non possit habere accessum. — *Chrysostomus* aperte declarans potuisse Petrum iure suo successorem in proditoris locum eligere; quo iure ex primatu ducto Petrus ipse deinceps, primique Petri successores usi sunt, dum per omnem Occidentem Ecclesias fundarunt, eisque vel ante omnem Synodum Episcopos praefecerunt, quibus gregis regendi portionem assignarunt, tum definitis regionibus unam Sedem designarunt, cuius Antistes ceteris apostolica auctoritate

praesideret; de qua Ecclesiarum institutione Innocentius I. velut de re manifesta testimonium edidit luculentissimum, quo intelligere quisque valeat, Pontificiam auctoritatem non ex constituta ante per Synodos disciplina prodiisse, sed constitutae per Synodalia decreta disciplinae praeluxisse; quem etiam Pontificem compertum est Antiochenam Ecclesiam, Caput Orientalis Dioeceseos, decretis suis ordinavisse. — *Epiphanius*, qui Ursacium et Valentem poenitentia ductos testatur Iulio Rom. Pontifici libellos obtulisse, quibus errorem suum deprecarentur, atque ad communionem et poenitentiam admitterentur. — *Hieronymus*, cui profanus erat, quisquis non Cathedrae Petri communione consociaretur, super quam petram sciret aedificatam Ecclesiam, atque adeo ab uno Damaso in gravissimis concertationibus ut loquendi ita et communicandi auctoritatem sibi dari efflagitabat. — *Augustinus*, qui se in Scripturis S. testatur didicisse, Primatum Apostolorum in Petro excellenti gratia praeeminere, illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui praeferendum, Romanam Ecclesiam Petri Sedem eam esse petram, quam non vincunt superbae inferorum portae. Quo alia refellitur Scriptoris calumnia, dum petrae nomine, super quam Christus aedificavit Ecclesiam suam, non personam, sed fidem aut confessionem Petri vult potius esse intelligendam, quasi Patres ii, qui pro mira foecunditate Scripturae petrae vocabulum eo quoque retulerunt, literalem illum sensum, quo ad Petrum ipsum directe refertur, deseruerint, ac non etiam apertissime retinuerint. Sic et Magister Augustini *Ambrosius*: „Ipse est Petrus, cui dixit: tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam. Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia.“ Haec una vox Patrum, haec Doctorum perpetua traditio, quam ex maioribus collectam paucis hisce verbis complexus est Eugenium alloquens *Bernardus*: „Tu es, cui claves traditae, cui oves creditae sunt — habent alii assignatos sibi greges, singuli singulos: tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium Pastor.“ Hoc lacte doctrinae nutriti sunt quotquot in Ecclesia Christi adoleverunt; hoc, si recordari volent, a pueritia imbuti quotquot nunc omni vento doctrinae circumferri se patiuntur. Semper ex Evangelio proditum, pascendas oves Petro a Christo commendatas, non item Petrum ovibus pascendum.

Nec vero a Patrum traditione Synodi Oecumenicae unquam recessere. *Chalcedonenses* Patres Petro se audientes praebuere per os Leonis loquenti, nec a quovis Antistite, sed ab Leone tamquam Capite cum implorata confirmatione actionum suarum firmitatem noverunt esse repetendam. *Octava Generalis Synodus* a. 869. actione prima per lectum libellum probavit seu formulam, qua post praeclara multa de Romani Pontificis auctoritate perscriptum erat, qui sequestrati essent a communione Ecclesiae Catholicae, id est, non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quin praeterea cum statuendum superesset de nonnullis dispensationibus, quas utilitas Ecclesiae exposcere maxime videbatur, impertiendae veniae facultatem sumere sibi Patres ausi non sunt, verum eam per Patriarcham Ignatium implorandam duxere a Sede Apostolica, quam proinde agnovere, non ipsos Patriarchas, relaxandorum canonum potestate pollere. Magna *Lateranensis* Synodus IV. a. 1215. c. 5. Romanam Ecclesiam tradit, disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinere Principatum, utpote universorum Christifidelium matrem et magistram. In *Lugdunensi* 2. a. 1274. edita est Graecorum fidei professio, qua se recognoscere testantur, Romanam Ecclesiam summum et plenum Primatum, et Principatum super universam Ecclesiam Catholicam obtinere, eumque ab ipso Domino in b. Petro Apost. Principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse. Quas superiores Synodos subsecuta deinceps *Florentina* a. 1439. Catholicorum Primatus dogma celebri decreto sancivit. Divino eodem Spiritu afflati *Tridentini* Patres declararunt: Pontifices Maximos pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita causas aliquas criminum graviores suo potuisse peculiari iudicio reservare. Quam adeo potestatem per omnes Ecclesias sese fundentem, atque ad alia eiusdemmodi munia, quae libelli auctor explodere perperam nititur, ex aequo pertinentem, non aliunde adscitam, non ab inferioribus ad Pontifices delatam, sed Primatui ordinario iure insitam cuique fatendum est, qui coelestem Synodorum sapientiam humanae inscitiae disputationibus non dubitet longe praeponendam.

Appellat Eybel *Constantiense* Concilium. At meminisse ipsum oportuerat, damnatos in eo errores fuisse cum Wiccleffi

aientis, non esse de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias, nec Papam esse proximum et immediatum Christi Vicarium; tum Ioannis Huss, Petrum non esse, nec fuisse Caput Ecclesiae S. Catholicae. Quibus erroribus sanorum verborum formam opponens Martinus V. praescripsit interrogandos, qui de his suspecti essent, utrum credant, b. Petrum fuisse Vicarium Christi, habentem potestatem ligandi ac solvendi super terram; item Papam canonice electum successorem esse b. Petri habentem supremam auctoritatem in Ecclesia Dei; item Papam omnibus Christianis posse concedere indulgentias, singulos porro Episcopos suis subditis secundum limitationem ss. canonum. Quo plane refutatur istius error, dum perperam disserens de Indulgentiis, scribere ausus est: quemlibet Episcopum pari modo atque Papam posse indulgentias concedere. Quae Patrum Synodorumve documenta quisquis aequo pacatoque animo paulo attentius introspexerit, sentiet profecto, longe praestantiorem auctoritatem comprehendere, quam quae aut meri directorii, ut vocant, finibus, aut hortandi, monendi, supplendi munere continetur. Quin et ipsi Basileenses in Synodali responso Sess. 5. ad Tarentinum Episcopum palam declarant, fateri se et credere, Rom. Pontificem Caput esse et Primatem Ecclesiae, Vicarium Christi, et a Christo, non ab hominibus vel Synodis aliis praelatum, et Pastorem Christianorum, cui datae sunt a Domino claves et uni dictum: Tu es Petrus, et solum in plenitudinem potestatis vocatum esse, alios in partem sollicitudinis. Quo magis pudere ipsum deberet impotentis audaciae, qua eam potestatis plenitudinem infirmare aggreditur, quam Basileenses inter doctrinae capita referunt adeo nota et pervulgata, ut nec opus foret ea percensere. Et sane quod supra dictum ab Augustino retulimus, in Romana Sede semper viguisse Apostolicae Cathedrae Principatum, hunc que Apostolatus Principatum cuilibet Episcopatui praeferendum: cum aliis multis, tum et hac insigni nota cernitur, quod Petri successor hoc ipso quod in Petri locum succedit, assignatum sibi habeat iure divino Christi gregem universum, ut simul cum Episcopatu potestatem accipiat universalis regiminis; ceteris porro Episcopis suam cuique peculiarem gregis portionem non divino sed ecclesiastico iure, non Christi ore, sed hierarchica ordinatione assignari opus sit, ut ordinariam regiminis potestatem ex-

plicare in eam valeat. Cuius assignationis summam auctoritatem quisquis Romano Pontifici abiudicare volet, eum necesse est in legitimam tot in orbe toto Episcoporum successionem invadere, qui Ecclesias Apostolica auctoritate de integro fundatas aut ab aliis divulsas aut invicem unitas regunt, ad easque regendas a Romano Pontifice missionem acceperunt; ut proinde sine ingenti Ecclesiae perturbatione, ipsiusque Episcopalis regiminis discrimine tentari nequeat magnum hoc et mirabile potentiae consortium, divina dignatione Petri Cathedrae tributum, ut, quemadmodum a Leone M. dictum est, omnes proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus, et si quid Christus commune cum Petro ceteris voluit esse Principibus, numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit.

Laudat *Gallicanos* Praesules, Gallicanos Doctores. Frustra omnino. Quos etenim ex his cogitat ille sibi suffragatores adsciscere? Vetustioresne, an aut qui medio aevo, aut recentiore memoria in ea inclyta Ecclesia pietatis doctrinaeve laude floruere? At inter veteres illos, ut paucos ex multis proferamus, audire illum non pigeat Caesarium Arelatensem, Avitum Viennensem: quorum ille supplici libello Symmachum Papam alloquitur: „sicut a persona b. Petri Episcopatus initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus Sanctitas Vestra singulis Ecclesiis, quid observare debeant, evidenter ostendat.“ Avitus vero ad Hormisdam: „Quaesumus, ut quid filiis vestris, fratribus meis, id est Gallicanis, si consulant, respondere debeam, instruatis; quia iam securus non dicam de Viennensis, sed de totius Galliae devotione pollicear, omnes vestram super statu fidei captare sententiam.“ Aurelianenses Patres canonicam formam in Metropolitanorum electione servandam ex Apost. Sedis decretis repetunt. Audiat ex medio aevo Hincmarum Remensem, qui cum testatur se erga Sedem Apost. omnium Ecclesiarum matrem ac magistram eiusque Rectores fidelem semper atque subiectum in omnibus exstitisse, hoc ipso quod videri voluit, quid Apost. Sedi debeatur, ac deberi sentiat, manifeste declarat; tum et Ivonem Carnotensem graviter eorum audaciam coarguentem, qui contra Sedem Apost. caput erigunt, cuius iudiciis et constitutionibus obviare, plane est haereticae pravitatis notam incurrere, ad quam principaliter et generalissime pertineat tam Metropolitanorum, quam ceterorum Episcoporum consecrationem

confirmare, vel infirmare, constitutiones et iudicia retractare, suas vero inconcussas detinere, et nullius inferioris iudicio retractandas vel corrigendas concedere. Quod idem Gelasii quoque auctoritate comprobat. Quodsi ab illa vetustate ad propiora tempora progredimur, latere illum non debuere gravissimae censurae adversus famosum Spalatensem apostatam ab insigni Theologica Facultate Parisiensi a. 1617. latae, in quibus praeformatam libelli sui damnationem perspicere facile potuisset. Hi scilicet fuere Spalatensis errores, quibus illa haereticae ac schismaticae pravitatis notam inurere non dubitavit: disparitatem potestatis inter Apostolos esse humanum inventum, in SS. Evangeliis et Divinis N. T. Scripturis minime subsistens (quam haereticam et schismaticam declarat de iurisdictione Apostolica ordinaria, quae in solo D. Petro subsistebat, intellectam;) in Ecclesia non dari unum Caput supremum, et monarcham praeter Christum; Episcopos omnes simul et in solidum eandem regere Ecclesiam, singulos cum plena potestate; Romanam Ecclesiam praecipuam fuisse et esse nobilitate, existimatione, nomine, et dignitatis auctoritate, non regiminis et iurisdictionis principatu (quam dicit haereticam et schismaticam, quatenus aperte insinuat, Romanam Ecclesiam iure divino auctoritatem in alias Ecclesias non habere;) unumquemque Episcopum iure divino esse universalem, monarchiae formam non fuisse immediate in Ecclesia a Christo institutam, falsum esse, unionem Ecclesiae Catholicae in unitate Rectoris visibilis consistere. Cumque Spalatensis subiunxisset, Parisiensium doctrinam enucleate intellectam nihil a sua discrepare, impactam sibi calumniam continuo illi refutarunt velut meram contra Facultatem Parisiensem imposturam. Praeclarum etiam, atque ut allatae Parisiensium sententiae, sic et constanti maiorum suorum traditioni plane consentaneum de Rom. Pont. Primatu testimonium edidere Gallicani Praesules in Comitiis a. 1681: „Caput est, inquiunt, Ecclesiae, centrum unitatis, obtinet ille in nos primatum auctoritatis et iurisdictionis, sibi a Christo Iesu in persona S. Petri collatum; qui ab hac veritate dissentiret, schismaticus imo et haereticus esset.“ — Quin et libelli auctori non prorsus ignota fuere petita ex omni antiquitatis memoria de Romano Primatu luculentissima documenta, quo magis prodit sese pertinax illius adversus Romanam Sedem contentio; qui cum splendida illa Patrum testimonia obscurare ac delere

non posset, ea veritus non sit per summam impudentiam velut allegorias male intellectas traducere, indeque factum ex parte esse, ut longa seculorum serie creditus sit Papa is esse, qui non est; quasi sanctissimi Patres, quos Ecclesiae suae Deus dedit Pastores et Doctores, in re gravissimi momenti, quae ad Ecclesiae constitutionem pertinet, communi sensu aut erraverint ipsi, aut errandi causam fidelibus obiecerint, ac non potius nefarii erroris convictus teneatur, qui de Romano Pontifice aliter credendum statuat, quam tot seculorum continuata successione creditum sit.

Atque haec quidem, Praedecessorum nostrorum paribus in causis exempla secuti, paulo latius, ut muneris nostri ratio postulat, exponenda duximus, non nostra, sed animarum lucra quaerentes, solliciti servare unitatem in vinculo pacis; in id intenti, ut patefactis eorum fraudibus, qui Patrum nomine ad pervertendas Patrum sententias abutuntur, omnes intelligant, nil Patribus ipsis antiquius fuisse, quam ut Unitas ab omnibus in ea cathedra servaretur, quae una est ceterarum omnium a Christo constituta mater et magistra. Unum certe ovile Christi Ecclesia est, cuius unus supremus Pastor, Christus ipse regnans in coelis, unum quoque sui Vicarium supremum in terris visibilem Pastorem reliquit, in cuius voce Christi vocem oves audirent, ne seductae alienorum vocibus in venenata quaeque ac mortifera pascua dilaberentur.

Quo igitur cautius fideles curae nostrae concrediti profana et vaniloquia devitent, quae proficiunt ad impietatem, constantesque maneant huic unitatis Cathedrae devincti, in qua Petrus adhuc velut in propria Sede vivit et praesidet, ac praestat quaerentibus fidei veritatem, neve in hanc fraudem induci se patiantur, ut putent ambitione extortum, aut ignorantia, vel adulatione delatum, aut pravis artibus quaesitum, quod Christi est ordinatione constitutum: Nos memoratum opusculum e germanico idiomate in latinum translatum complurium in S. Theologia Magistrorum examini subiici mandavimus; quorum habitis consultationibus, auditisque suffragiis Ven. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus haereticam pravitatem Generalium Inquisitorum coram nobis adstantium, motu proprio, et ex certa scientia, deque Apost. potestatis plenitudine antedictum libellum — tamquam continentem proposi-

tiones respective falsas, scandalosas, temerarias, iniuriosas, ad schisma inducentes, schismaticas, erroneas, inducentes in haeresim, haereticas, et alias ab Ecclesia damnatas, reprobamus, damnamus, ac pro reprobato ac damnato in perpetuum haberi volumus, atque decernimus. — — — Datum Romae apud S. Petrum die 28. Nov. 1786. — **Bullarii R.** *continuatio.* VII. Romae. 1843. p. 671.

999—1012.

Hetruriae Praesulum enunciationes pro iuribus Rom. Sedis ea occasione factae, dum M. Dux reformationum ecclesiasticarum puncta ipsis proponeret, A. 1786.

INTR. Magni momenti sunt declarationes illae, quas Praesules M. Ducatus Hetruriae sub religiosis innovationibus Leopoldinis, ad normam Iosephinarum Austriacarum susceptis, tum ad manutenenda Summi Pontificis iura, tum ad defendendas Ecclesiae leges ac pias consvetudines ediderunt. E numero Epporum Hetruriae tres erant duntaxat, qui innovationes a laica auctoritate susceptas suo succolabant suffragio: utpote Pistoriensis, (Scipio Ricci,) Clusio-Pientinus, et Collensis. Primus tamquam praecipuus reformationum auctor ac patronus, non tantum in suis cum Civili Gubernio correspondentiis innovationes religiosas cum manifesto contemtu supremae iurisdictionis Pontificiae potenter sustentabat, sed etiam via facti easdem in suam Dioecesim induxit, celebrataque a. 1786. Dioecesana Synodo sanctione firmavit. Alter vero fusam, typis impressam, vulgavit Instructionem pastoralem, in qua doctrina et disciplina Ecclesiae iuxta novas ideas reformatorias proponebatur. Instructionem hanc Summus Pontifex duplici litera ad Eppum data damnavit. Magnus Dux Hetruriae, innovationes susceppturus, ut Eppos sui Ducatus iis magis propitios redderet, primum Puncta reformatoria, 57 capitibus comprehensa, atque totam Dioecesium gubernationem propius tangentia, Eppali potestati aeque ac Pontificiae auctoritati summe iniuriosa, cum iis com-

municavit, singulorumque opinionem desuper poposcit; tum Congregationem instar Synodi Nationalis, sub auspiciis et directione ipsius MDucalis Gubernii celebrari fecit, in eaque praeter memorata 57 puncta, etiam Instructionem Pastoralem Eppi Clusio-Pientini cum Brevibus Pontificiis discuti voluit. Interim omnes nisus Guberniales in vanum abiere: nam praeter tres superius nominatos Praesules, omnes reliqui tum in responsis suis ad Puncta MDucis, tum in Congregatione seu Synodo Florentiis habita, tum in recensione Instructionis Clusio-Pientinae et pro iurium Pontificiorum defensione et suae propriae Eppalis auctoritatis tutamine calamum strinxerunt, innovationesque ab Eppo Pistoriensi susceptas, item Eppi Clusio-Pientini Instructionem promerita censura affecerunt. Documenta igitur haec, ceu totidem conspicua zeli ac fortitudinis Praesuleae monumenta, ex Actis Congregationis Florentinae tum italice tum latine evulgatis, inter monumenta nostra merito recensemus.

999. MON. *AEppi* **Florentini.** — Sanctorum communio est omnium fidelium in uno corpore mystico coadunatio, cuius caput est Iesus Christus. Internum communionis huius vinculum consistit in eiusdem Spiritus participatione, in necessaria a Capite invisibili Iesu Christo dependentia, et in internarum gratiarum communicatione. Externum autem unionis huius vinculum est externa fidei ac spei professio, eorumdem sacramentorum participatio, *communis ab eodem visibili Capite, qui est Romanus Pontifex, dependentia.* — Florentiae 5. Iul. 1786.

1000. — *Eppi* **Faesulani.** — Nulla potest esse quaestio, an Pontifices ex parte sua aliquid contulerint ad certa quaedam practicae disciplinae capita introducenda, quia S. Augustinus sine ulla distinctione de omnibus consvetudinibus in Ecclesiam Dei universaliter introductis loquitur. Altera quaestio, an Papa universalem habeat in omnes Ecclesias inspectionem, vel an illius primatus tantum sit honoris, vel etiam iurisdictionis, nunc iam adeo evidenter decisa est, ut haeretici pontificiae auctoritatis impugnatores, et quidam ex catholicis etiam, cui hoc dubium forsan videbatur, erubescere cogantur, quia veritatem tam manifestam hactenus ignorarunt; unde in omnibus illorum libris clarissimae hodie retractationes leguntur. ‚Siquidem Deus est Deus ordinis, ait celeb. *Leibnitius*, et quoniam Ecclesiae corpus, quae est una, catholica, et apostolica sub uno regimine, et unica

cum hierarchia, quae omnia et singula membra in se comprehendit, et in eodem corpore ex iure divino unum est caput spirituale iustis limitibus circumscriptum, quod habet potentiam dirigendi, omniaque illa faciendi facultatem, quae ad suum officium pro Ecclesiae bono adimplendum sunt necessaria.' Melius autem, quam Leibnitius, hoc exprimit seculi IV Pater *S. Optatus Milevitanus*, suum Donatistis schisma exprobrando: ‚vobis notum esse, ait, negare non potestis, eppalem cathedram primitus S. Petro in civitate Romana fuisse concessam, Petrum in eadem sedisse tamquam omnium Apostolorum Caput. In hac sola cathedra omnium unitas custodiri debebat, ne singuli Apostoli principalem quamdam cathedram erigerent, atque ut pro peccatoribus et schismaticis haberentur omnes illi, qui contra singularem hanc cathedram erexissent.' Quod plus est, ipse celeberrimus *Bossuet*, quem tamen aliqui Ecclesiae Romanae iuribus contrarium esse putabant, in oratione ad Clerum Gallicanum habita in memoranda haec prorupit verba: ‚Quanta coecitas! dum christiana quaedam regna libertatem se nancisci posse putabant, Romanorum iugum, sicut dicere solent, excutiendo, quod illi quidem iugum exterum appellabant, quasi vero Ecclesia non amplius universalis esset, vel quasi commune vinculum, quod ex omnibus regnis unicum Iesu Christi regnum efficit, christianis exterum esse posset! Quantus error, dum reges aliqui religionis dominos sese constituendo, magis independentes se fieri putabant, cum e contra religio, quae regiam maiestatem illaesam esse iubet, numquam satis independens esse possit in propriam ipsorum utilitatem. Deus praeservat christianissimos nostros Reges, ne rerum sacrarum imperium sibi vindicent; illi vero de hoc numquam somniarunt; contra omnem enim aliam potestatem invicti et erga S. Sedem semper humiles, optime didicerunt, quaenam sit vera animi ambitio. Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum atque fidelium communis mater est; Ecclesiae huic a Deo electae ad omnes filios suos in eadem fide ac caritate uniendos, nos semper ex intimo animi sensu atque ex totis visceribus adhaerere, illiusque unitatem servare volumus.' Fortissimae hae expressiones, quas ab omni errandi periculo longe remotas a multo inde tempore in toto suo complexu adoptavi, aliquibus forsan ansam dare possent, me, sicut dicere solent, ‚Papistam' declarandi. Attamen mearum quidem partium haud est indagare, quare

privati quidam auctores ad Romani Pontificis Primatum et iurisdictionem inde emanantem impugnandam hodie sint tam proni, cum non desint aliqui, qui iam satis manifeste ostenderunt, unicum horum scriptorum intentum in eo esse positum, ut omne iugum politicum aeque ac religionem excutiant, Papae auctoritatem per regum potentiam destruendo, Summorum Principum thronos vero per unitas populi vires concutiendo. Me vero quod attinet, — certissime mihi sum conscius, me Romanae Sedis iura contra mei Principis iura numquam defendisse, meque throni maiestatem aeque ac Ecclesiae unitatem revereri solitum tales semper agendi regulas fuisse secutum, quales vera nobis media suppeditant Deo non minus quam Caesari reddendi, quae singulis conveniunt, et debitum potestati ecclesiasticae sine potestatis temporalis detrimento obsequium praestandi. Nemo unquam somniavit Leibnitium, Optatum Milevitanum, vel Bossuetum, ad quorum auctoritates provocavi, Papistas dicere; et si viri hi omni exceptione maiores *de Ecclesiae Romanae auctoritate in particulares totius orbis christiani Ecclesias exercenda* non dubitarunt, necessario concludere debeo, cum, qui a consvetudine a tot inde seculis universaliter servata, et ab antiquis aeque ac modernis Eppis probata, imo ab ipsis etiam Protestantibus pro legitima habita deflectit, eadem stultitiae nota commaculandam esse, quam S. Augustinus novatoribus passim inurendam censuit. — ‚V. et VI. de primigeniis Epporum iuribus.‘ — Ut omni, quae mihi clementissime data est, loquendi libertate utar, addendum adhuc esse iudico, omnia principia a me stabilita convellenda, solennissima Conciliorum Oecum. decreta laedenda, hominumque mores deturpandos potius quam emendandos fore, si praedicta Epporum iura revindicare tentaremus. Etenim quorumdam eppalium iurium exercitium in Summum Pontificem translatum eodem modo considerari debet, sicut alia quaecunque disciplinae eccl. immutatio; unde quaestio haec ex eo tantum capite est examinanda, an haec disciplinae eccl. immutatio iustis de causis facta sit, nec ne. Eppi in medio nationum, quae nonnumquam suaderi nesciunt, positi, saepius in deploranda necessitate se constitutos videbant, vel proprium suum ministerium, officiumque vilissime pessumdandi, suamque conscientiam commaculandi, dispensationes facultatesque aliquas sine iustis canonicisque motivis concedendo, vel privatorum persecutionibus sese expo-

nendi. Haec autem ratio utique erat acquissima, ob quam Eppi aliquam potius suorum iurium partem cedere, quam Dei vindictam ex una, aut populi odium ex altera parte sibi conciscere vellent. Quare ipse *Febronius* fateri coactus fuit: Pontifices per extraordinarium quasi devolutionis titulum multas sibi res necessitate constrictos, et de manifesta Ecclesiae utilitate persvasos arrogasse;' et alibi ait: ‚Pontificiae facultates vim suam habent ab Epporum consensione, qui propria sua iura in Pontificem transtulerunt.' Solidis his rationibus perpensis ex primo meo principio deduco, prudentiam postulare, ut haec disciplinae pars in eo, quo nunc est, statu relinquatur. Ad eandem consequentiam faciendam me deducit principium secundum; siquidem, si verum est, Eppos iura sua communi ex consensu Pontifici cessisse, prout testatur Febronius, et prout in SS. C. Tridentini actis legitur, dubitandum non sit, hanc esse antiquissimam universalis Ecclesiae consvetudinem. Verum S. Augustinus ait, haud tolerandam fore amentiam, si quis a tali consvetudine deflectere vellet. *Quodsi verum est, Pontificem esse Caput Ecclesiae non tantum honoris sed etiam iurisdictionis titulo,* prout in tertio meo principio demonstravi, *numquam mihi persvasum erit, illas regulas immutare licere, in quibus Ecclesiae unitas essentialiter est fundata.* Forsan Pontifices aliqui hac sua potestate nonnumquam sunt abusi: verum longe maior adhuc esset abusus, si quis in causa propria accusator simul et iudex esse velit; etenim contra naturale, divinum, et humanum simul ius pugnat, ut quis sibi ipsi ius dicat, parte altera nequidem audita, iustis defensionis causis non perpensis, omnique recti iudicii forma neglecta. — Florentiae, 11 Iul. 1786.

1001. *Eppi* **Sancti-Miniatis.** — V. Licet Eppi originariam quamdam a Iesu Christo potestatem acceperint, in plebem sibi concreditam spiritualiter exercendam; illam nempe in fide confirmando, omne pestiferae doctrinae semen ab illorum cordibus arcendo, quod contra sancta fidei dogmata dispergi posset: negari tamen nequit, *S. Petrum visibile Ecclesiae Caput et Primatem fuisse constitutum, ut una cum Apostolis confratribus suis fidem illibatam conservare satagat, atque ut sancta quaedam animorum coniunctio inter ipsos mutuo foveatur, pro unanimi felicique Ecclesiae regimine necessaria.* Tali enim modo Iesu Christi verba spiritualis huius potestatis promissionem con-

tinentia, et ad Apostolorum Principem prolata a SS. Patribus et a Conciliis Oec. passim intelliguntur ac explicantur: ‚Ego dico tibi, quia tu es Petrus etc.' His ita stantibus non tantum antiquissimorum temporum concilia, verum etiam ultimum Tridentinum Concilium S. Petri Primatum pro primo ac angulari Iesu Christi Ecclesiae lapide habuerunt, ad errores introductos et ad laxitates per temporum iniuriam in rebus disciplinaribus vigentes opprimendas. Sic etiam ponderatis diversis temporum rerumque circumstantiis, in quibus Eppi saepius se collocatos esse videbant, ut nempe contra conscientiae suae dictamen multa fidelibus concedere cogerentur, quae concedenda non erant, optimum factu fuisse videbatur, si quaedam facultates fidelibus concedendae Summo Pontifici reservarentur, licet negari nequeat, reservationes eiusmodi originariam Epporum potestatem plurimum coarctare. — 27. Iul. 1786.

1002. *AEppi* **Senensis.** — Circa antiqua Epporum iura, quae revindicanda esse proponuntur, ego omni cum animi sinceritate — fateor, optimum, imo unicum forsan ad hunc finem obtinendum medium fore, ut Eppi iura haec a Summo Pontifice impetrare satagant, sin aliter pro bono publico tam utilia et tam neccessaria esse videantur. Vix enim iudicium aliquod ex aequo ferendum erit, an et qualesnam usurpationes locum habeant ex parte Romanorum? Deinde plures reservationes ab ipsis Conciliis Oecum. sunt introductae, quae proinde cum universalis Ecclesiae legibus pari passu ambulant, quas Eppi sub antiquorum iurium revindicandorum obtentu abrogare nec possunt, nec debent; etenim universali Ecclesiae facultatem denegare non possumus, originaria quaedam Epporum iura restringendi, unde reservationes eiusmodi non a particularibus Eppis, sed ab universa tantum Ecclesia abrogari possunt. Pro exemplo valeat AEpporum iurisdictio in eiusdem provinciae Suffraganeos multis in capitibus exercenda; talis enim AEpporum et Epporum ab invicem distinctio ab initio non fuit; postquam autem universalis Ecclesia illam semel introduxit, singulares Eppi talem a suis AEppis dependentiam agnoscere debent, et fateri coguntur, ad talem dependentiam abolendam universalis Ecclesiae auctoritatem fore necessariam. Quid autem, si talis dispensandi facultas Summo Ecclesiae Capiti legitime fuit reservata, et si reservatio haec ab Eppis fuit aguita et longo tempore observata? an ergo

Eppi nunc sibi eandem revindicare poterunt sine illius auctoritatis assensu, quae facultatem hanc primitus reservavit? an non deplorandum schisma et mutua animorum dissensio merito esset timenda? id quod universali Ecclesiae summopere fieret nocivum. Tandem si antiqua haec iura sine huius auctoritatis assensu revindicare liceret, deploranda certe disciplinae eccles. difformitas nasceretur, cum alius Eppus plus, alius minus praetendere posset, et singulorum Epporum successores novas iterum in his iuribus mutationes introducerent, unde nulla certa vel stabilis disciplinae regula in Ecclesia amplius subsisteret. Ex his itaque aliisque causis facile adducendis harum facultatum limites iuxta Rom. Pontificis arbitrium determinandi esse videntur; hoc enim optimum atque unicum est remedium, per quod conscientiarum tranquillitati in hoc capite consulere possumus. — 27. Iul. 1786.

1003. *Eppi* **Rosetini.** — Priusquam ad quaestiones hoc in articulo (5) propositas respondeam, nempe de dispensationibus in defectu natalium, in interstitiis, in officiis permutandis, in missis votivis reducendis etc. animadvertendi veniam mihi dari rogo: *Summum Pontificem Romanum, licet, quantum ad iurisdictionem, omnibus universalis Ecclesiae Eppis superiorem*, quantum ad potestatem ordinis tamen ceteris Eppis esse aequalem; *in iurisdictionis potestate* autem *omnibus Eppis est superior, et independens ab omnibus*, ‚Tu es Petrus — tu aliquando conversus confirma fratres tuos,‘ dixit Iesus Christus Apostolorum Capiti. Superius indicatae dispensationes non pertinent ad potestatem ordinis, seu ad characterem eppalem, sed ad supremam iurisdictionem, ita, *ut Pontifex has dispensationes sibi reservando nullo modo dici possit usurpator, est enim Summus Hierarcha;* et notum est, Eppos numquam contra reservationes istas protestatos fuisse, sed Pontificem semper in pacifica horum iurium possessione fuisse et adhucdum esse. — 28 Iul. 1786.

1004. *Eppi* **Massa-Veternensis.** — Dispensandi facultates — partim a conciliis Generalibus S. Sedi fuerunt adiudicatae, partim ipsi Pontifices eas sibi reservarunt cum Epporum consensu, et hoc quidem ob maius Ecclesiae bonum. Si Eppi hoc in capite independenter a S. Sede plena uterentur libertate, turbas et schismata Ecclesiae unitati nociva oritura fore iudico; Ecclesiae enim pax et unitas omnibus aliis bonis est praeferenda, tamquam necessaria fidei christianae qualitas. In hoc autem casu

aliqui Eppi omnia sibi licere forsan arbitrarentur, alii vero aliqua tantum iura sibi arrogarent, alii hunc, alii alium denique agendi modum servarent. Fideles itaque sensim sine sensu de Ecclesiae indefectibilitate dubitare inciperent, et nedum ut disciplina eccles. tali modo reformaretur, illa labefactaretur potius. Etenim Eppale regimen, quod ad mores reformandos, et ad legum eccles. observantiam maxime tendit, non consistit nisi in admonendo, exhortando, persvadendo; quae persvadendi media, si optatum non consequantur finem, Eppum reddunt odiosum, quod illius characteri, auctoritati, dignitatique damno cedit. Si vero facultates eiusmodi Summo Pontifici sunt reservatae, fideles non tam facile ad quidquid petendum animantur, et ad obedientiam Ecclesiae praestandam facilius commoventur. — 26 Iul. 1786.

1005. *Eppi* **Aretini.** — Ut canones ecclesiastici suo in vigore conserventur, iam a quarto inde Ecclesiae seculo statutum est: ut, quia tunc temporis Synodi adhuc erant frequentes, nulla unquam concederetur dispensatio, nisi causa in ipsa Synodo cognita. In illo tempore ergo iudicabant Patres constitutionibus eiusmodi derogari non posse, nisi ab illa auctoritate, quae constitutiones easdem condidisset. Posterioribus deinde temporibus observatum fuit, antiquorum canonum memoriam penitus fore abolendam, si singulis Eppis in illis dispensandi ius concederetur. Aliqui enim illorum tum ob petentium importunitatem, tum ex timore vel animi levitate, ex levissimis etiam causis, imo sine omni etiam causa dispensare solebant. Ut ergo eccles. disciplina suo in robore conservaretur, dispensandi potestas soli Pontifici reservata fuit. Conciliorum itaque auctoritas, quae hunc pontificiarum reservationum usum nullibi reprobant, unanimis Epporum consensus in his reservationibus admittendis conspirans, omnisque canonicae auctoritatis defectus, quae haec dispensandi iura Eppis adiudicaret, mihi persvadent, haec iura ab Eppis haud esse revindicanda, imo conscientiam meam multis anxietatibus implicandam fore fateor, si illa revindicanda esse pronunciarem. — 1 Iul. 1786.

1006. *Eppi* **Critoniensis.** — Licet omnis in quacunque lege canonica dispensandi facultas originetenus penes Eppos, Apostolorum successores, resideat, et licet ad eosdem Eppos pertineat causas cognoscere, et circumstantias examinare, in quibus dispensatio locum habere possit nec ne, spectato nempe

semper maiori Ecclesiae bono, et spirituali animarum emolumento: his tamen non obstantibus *ipsi Eppi opportunum iudicarunt Romano Pontifici tamquam visibili Ecclesiae Capiti solenni cum iuramento causarum eiusmodi cognitionem committere, et dispensandi facultatem certis in casibus eidem deferre.* — 26 Iul. 1786.

1007. *Eppi* **Montalcinensis.** — A Regia Sua Celsitudine veniam mihi dari peto, mentem meam candide aperiendi; non enim hic agitur de rebus unam alteramve dioecesim tantum concernentibus, sed de causis omnes totius Hetruriae diocceses afficientibus; tales autem causae iuxta disciplinae hactenus observatae regulas in Conciliis Provincialibus ex communi Epporum consilio canonice sunt pertractandae; etenim in causa communi singulares Epporum sententiae consilii vel privatae opinionis naturam tantum induunt: certum autem et constans Epporum iudicium obtineri nequit, nisi in Conciliis iuxta regulas canonicas convocatis. *Iesu Christi* enim *Ecclesia una tantum est*, et ad hanc unitatem conservandam cuiuscunque ecclesiasticae dispositionis systema tendere debet; *ut autem neccessaria haec unitas inter Eppos conservetur, inde ab Ecclesiae origine quaevis provincia suum habuit Metropolitanum, et omnes denique Ecclesiae communi cum unitatis centro, Summo Pontifice, unitae esse debebant,* prout hoc S. Leo in quinto iam seculo observavit. — Accedit, quasdam quaestiones his in articulis indicatas ipsa etiam synodorum provincialium auctoritate esse superiores, et solenniorem Ecclesiae decisionem postulare. Quaecunque nempe a Summis Pontificibus, a Conciliis Generalibus, et ab universali Ecclesia statuta et perpetuo usu confirmata sunt, in conciliis provincialibus nec discuti, nec examinari, multo minus immutari queunt; multo minus adhuc eiusmodi quaestionum capita a privato quopiam Eppo examinari mutarive possunt sub nativorum iurium revindicandorum obtentu; *quivis* enim *Eppus vi institutionis suae Capiti suo et universali Ecclesiae subordinatus esse debet;* etenim Iesus Christus nullum certe Eppis dedit ius universalis Ecclesiae decisionibus sese opponendi. *Haec itaque doctrina, quae ab aliquibus hodie depraedicatur, sana non est: sed illa tantum sana et legitima esse potest, quam Ecclesia nobis per legitimum canalem annunciat, qualis est Summus Pontifex,* vel omnes totius Ecclesiae Eppi in dogmatum vel disciplinae causa unanimiter consentientes, vel concilia generalia

legitime congregata. — De dispensationibus Summo Pontifici reservatis animadvertendum esse iudico: Summum Pontificem numquam voluisse Epporum iura violare, sed Eppos potius illi haec iura sponte cedere voluisse, et dispensationes vel dandas vel negandas ipsius arbitrio reliquisse, quod multi fatentur; hoc autem ideo factum fuisse creditur, ut melior servaretur ordo, et ut abusus quotidie ingravescentes abrogarentur. *Non est dubitandum, Ecclesiam Romanam omnes alias Ecclesias sua auctoritate longe superare:* ‚Ecclesia principalis, unde unitas sacerdotalis orta est,' ait S. Cyprianus; ‚Navigare audent ad Petri Cathedram et ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis orta est,' idem ep. ad Cornel. Huic Ecclesiae alia adhuc encomia adiicit idem S. Cyprianus in ep. 42 ad eundem Cornelium, illam omnium Ecclesiarum matrem et radicem appellando: ‚diversae partis obstinata pertinacia non tantum radicis et matricis complexum recusavit, sed etiam contra sacramentum semel traditum divinae dispositionis et catholicae unitatis.' — Similia etiam scripsit Irenaeus l. 3. adv. haer. c. 3: ‚ad hanc Ecclesiam propter principaliorem potestatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.' A S. Augustino ep. 165. Romana Ecclesia talis appellatur, in qua semper cathedrae apostolicae Primatus permansit; et ab eodem l. 6. c. 65. contra Donatistas appellatur ‚Petra, quam non vincunt superbae inferorum portae.' S. Fulgentius ep. ad Eutychetem vocat ‚Ecclesiam, in qua B. Petrus vivit, et praesidet, praestatque quaerentibus fidei unitatem.' Operae pretium est legere, quae S. Bernardus hoc de capite scripsit l. 2. consid. ad Eug. Papam: ‚Age, indagemus adhuc diligentius, qui sis etc.' *(ut suo loco per extensum retulimus.)* Innegabilibus his principiis praemissis haud ex coeco animi impetu propositis, sed ex saluberrimis tum Graecorum tum Latinorum Ecclesiae Patrum regulis desumtis, *nihil obstat, quominus fateamur, Summos Pontifices Epporum potestatem in certis eccles. disciplinae capitibus merito limitare potuisse;* quam veritatem vel ipse etiam Febronius fundatam esse fateri debuit, dum §. 2. c. 8 ita ait: ‚Considero Papam, et Caput Ecclesiae (non ut Monarcham), penes quem ius et auctoritas per se universam Ecclesiam et singula eius membra regendi, et pro exercitio huius imperii Eppis partem suae potestatis pro arbitrio communicandi tollendique resideat.' Licet ergo Epporum potestas in

primis Ecclesiae seculis tali modo restricta non fuerit, nunc tamen in tanto temporis tractu consvetudo et longi temporis praescriptio in contrarium valere debent : praeterea certae quaedam formalitates essent observandae, si haec disciplina reformanda videretur, utpote quae non tantum a conciliis particularibus, sed a generalibus etiam conciliis invecta fuit, in quibus canones sunt conditi, Summo Pontifici legitimum adscribentes ius, quod illi invito amplius auferri nequit. — 2 Iul. 1786.

1008. *Eppi* **S. Sepulchri.** — Ad singulorum conscientias pacificandas, et ad universalem singulis in dioecesibus uniformitatem, unitatemque obtinendam, — optimum factu esse videtur, ut nos Eppi cum Summi Principis consensu generalem dispensandi facultatem certis in causis Romae petamus, et talem quidem, ut omnibus Hetruriae Eppis id petentibus eas dispensationes gratis dare liceat, quas ad cultum divinum promovendum proficuas, et Ecclesiae civitatisque bono utiles fore iudicaverint. — *(Sine dato.)*

1009. *AEppi* **Pisani.** — Synodi particulares neminem prohibere possunt, ne ad Romanum Pontificem tamquam ad visibile totius Ecclesiae Caput confugiat, vel recursum sumat. — Solennia Ordinum Religiosorum vota Summo Pontifici sunt reservata; quare Eppi nullam habent vota haec vel immutandi, vel in illis dispensandi potestatem, neque Regularibus permittere possunt, ut ad seculum redeant, neque Monialibus perpetuae clausurae, quam solenniter professae sunt, egressum concedere possunt. — 17 Iul. 1786.

1010. *Eppi* **Montis-Politiani.** Implorato divino lumine et omnibus rite perpensis, ad Regiae Suae Celsitudinis mandata adimplenda me accingo, et coram Deo, in cuius conspectu adsto, et scribo, testor me in omnibus meis scriptis dictisque eam semper animi sinceritatem loquendique libertatem esse secuturum, quam Regia Sua Celsitudo mihi imponere est dignata, quamque religiosissimi mei Principis pietas mihi svadet, et quam denique sacri ministerii, quo vestitus sum, dignitas a me postulat. — Serenissime Archidux! ego non te accuso, utpote cuius religiosissimam animi intentionem, et profundam erga S. Ecclesiam venerationem optime perspectam habeo; sed fatales potius temporis, circumstantiarumque casus erroresque incuso, qui optimos sapientissimosque nonnumquam omnium seculorum Princi-

pes in errorem induxere; incredulorum enim astutia, quam ad inescandos Summos Principes adhibent, funestissima nobis exhibet exempla, quomodo sacra nostra religio omni tempore fuerit profanata; — funestissima haec erroris deceptio Hetruriae Ecclesiam diu iam subvertere tentavit et adhucdum tentat. — Regia Sua Celsitudo negotiorum mole in civili, politico, ac oeconomico status regimine oppressa, per se ipsam investigare non potest, quidnam Ecclesiae conveniat, illamque felicem reddat; in ecclesiasticis itaque negotiis illis personis fidem habere consvevit, quae spectata sua studiorum ratione, dignitatis charactere, et status professione religionis bonum promovere deberent: atqui haec est ipsissima causa, ob quam Hetruriae Ecclesia gravissime oppressa gemit. Audacissimi nempe homines, qui, faxit Deus! ne lupi sint ovium agnorumque vestimentis tecti, opportunam tali modo capiunt occasionem, omnemque movent lapidem, ut regium Suae Celsitudinis thronum animumque suis inescare possint principiis. Sunt Eppi, quorum irregularis vivendi ratio scandalum parit, pessimumque praebet exemplum, qui hoc ipso in tempore, dum Regiae Suae Celsitudinis clementia singulos felicissimi sui status Eppos de certis quibusdam disciplinae eccl. capitibus consulere dignatur, eousque progrediuntur audaciae, ut stupendas introducere laborent in capite religionis novitates; et hoc quidem faciunt sub omnimodae independentiae obtentu, quae ne in apertum erumpant schisma, merito est timendum; *funestissima* enim *fundamenta iam sunt iacta ad ss. matris Ecclesiae, quae est S. Rom. Ecclesia, Iesu Christi Vicaria, viscera discerpenda.* Serenissime ADux! ego hoc aperte et summa cum animi libertate pronuncio, quam mihi non tantum permittit, sed imponit etiam characteris mei dignitas. *Certissimus* enim *est fidei articulus, singulas totius orbis ecclesias a S. Romana Sede dependere, eique subiectas esse debere;* et hunc quidem fidei articulum omnes profiteri debent, qui vivum mystici Iesu Christi corporis membrum esse volunt, hoc autem Iesu Christi corpus universalis est Ecclesia, cuius caput est S. Rom. Sedes, in qua sedet Iesu Christi Vicarius per legitimam successionem in eadem collocatus. Hic autem fidei articulus a nemine vocatur in dubium, nisi ab apertis vel haereticis vel schismaticis. Fatendum autem est, in Hetruria hactenus tales factos fuisse passus, qui eo unice ten-

dunt, ut omnimoda invehatur independentia, et ut lineae collaterales a suo centro abscindantur. Faxit autem Deus! me vano ac frustraneo angi timore; certum tamen est, per solam Eppi auctoritatem tum moniales tum monachos seculo esse redditos, cum tamen haec nullo modo legitima sit auctoritas, hanc enim penes Sedem Romanam unice positam esse universalis semper agnovit Ecclesia. — Hi multique alii conatus, quos brevitatis causa omitto, certissimum in Hetruria schisma praeparant. Laedunt enim supremam ac legitimam S. Sedis Apost. auctoritatem, quae tamen omnium cath. ecclesiarum caput est et magistra; tali namque modo obedientia Sanctae huic Sedi iuxta S. C. Trid. debita, et omni semper aevo in Ecclesia universali sancte observata, violatur. Hetruriae Ecclesia itaque a sancta sua matre, a Romana Sede abscindi merito timet, et periculum hoc magis magisque quotidie ingruit, nisi Regiae Suae Celsitudinis clementia promta praepararet remedia, et potentissimam opem afferat, ut divina religio in Hetruria pene collapsa suo ab interitu vindicetur. Periculum hoc magis adhuc fit manifestum ex satyrica diversorum cultus generum irrisione, quos tamen S. R. Ecclesia semper probavit, et universalis Ecclesia semper servavit; haec autem irrisio in terminis adeo temerariis manifestari solet, ut fideles S. Sedis contemtum inde necessario colligere debeant. Idem porro patet ex magna illa temeritate, cum qua in ipsa Hetruria typis dantur et divulgantur errores a S. matre Ecclesia dudum condemnati; hi tamen errores venditantur fidelibus pro certissimis veritatibus, illorumque auctores, quos Ecclesia Catholica tamquam pseudodoctores detestatur, commendantur tamquam homines pii, illorumque opera celebrantur quasi sanctissima continerent doctrinae principia, ita quidem, ut mox totam Hetruriam erroribus infectam cernere debeamus. Eo namque unice tendit furiosa quorumdam hominum intentio, qui in hac erroris deceptione partem habentes schismaticam illam Ultrajectensem Synodum in Hetruria depraedicant; hoc enim ex fine unice tantam animi commiserationem pro Ecclesia Ultrajectensi commonstrant, a Romana, ut ipsi aiunt, tyrannide vexata; ex hoc etiam fine tantam adhibent sollicitudinem, ut vel feminas vel infimos quosque ex plebe inveniant, qui schismaticae huic synodo sua subscribant nomina. Eo denique illorum conatus Romanam Ecclesiam contemtui exponendi tendunt, dum in omnibus suis

operibus studiosissime nobis persuadere satagunt, quasi praedicta Ecclesia sacratissima Summorum Principum Epporumque iura infringeret: unde semper de usurpationibus loquuntur, quas praedictae Sedi Romanae in terminis seditione plenis perpetuo obiiciunt. — — V. Quae hic commemorantur, (diversae facultates ac dispensationes) nullo modo Romanae Curiae usurpationes sunt dicendae: Curia enim qua talis his negotiis numquam se immiscet, sed illa in temporali sui dominii regimine unice occupatur; sed hae potius *legitimae reservationes* sunt dicendae, *S. Sedi competentes ac supremae illius auctoritati ad omnes mundi ecclesias sese extendenti debitae.* Haec autem auctoritas ab universa Ecclesia Cath. semper agnita fuit, ipso C. Tridentino declarante, hanc auctoritatem illi vi Primatus competere, quem primatum nemo negare vel in dubium revocare potest, sin aliter in ecclesiae cath. sinu permanere et in Iesu Christi Ecclesia partem habere velit. Sciendum praeterea est, S. Sedem Romanam tales causas iustissimis ex motivis sibi reservasse. — LI. Sicut nullus Eppus novum aliquod officium vel novam missam in suam dioecesim invehere potest, ita nec cultum a legitima auctoritate, quae est S. Romana Sedes, tamquam omnium ecclesiarum magistra, introductum abolere potest vel immutare. Haec enim constans semper fuit Ecclesiae Cath. doctrina, et quisquis aliter ageret, male ageret, contra regulas canonicas peccaret, et se schismatis reum faceret. Hoc autem scandalum in quadam Hetruriae Ecclesia per attentata contra supremam Iesu Christi in terris Vicarii auctoritatem suscepta iam semel est natum. Ceterum certa est iuris regula, inferiorem in lege superioris nec dispensare, nec illam immutare, vel abolere posse. — Nunc vero *(concludit Eppus)* nihil amplius adiicio, ne Summi Principis mei patientia abuti videar. — Sufficientia de cetero argumenta me attulisse arbitor ad illorum deceptionis laqueos disrumpendos, qui Regiae Suae Celsitudinis thronum circumvenire, et Iesu Christi religioni illudere satagunt. Nisi enim funesta quaedam animi fascinatio mentem decipiat, et cor meum opprimat, certissime scio, praedictos S. Sedis inimicos dicturos esse, me Aulae Romanae nimium quantum esse addictum, (sic enim loqui solent) meque ob aetatis iam decrepitae fragilitatem mente perturbatum et confuse locutum esse, licet solennissime attestari possim, me Summo Principi meo nihil

aliud quam intimos animi mei sensus aperuisse. Dicant autem, quidquid velint, ego nihilominus ex intimo cordis affectu et plena cum conscientiae securitate locutus sum, prout fidelem subditum et Eppum decet. — 15 Iul. 1786.

1011. *Eppi* **Pisciensis.** — V. Illae quidem dispensationes, quae per apertum ecclesiae universalis decretum Summo Pontifici non sunt reservatae, pro talibus haberi possunt, quales Eppis sunt ereptae. Interim tamen nec Eppis, nec Synodis dioecesanis competit ius tales dispensationes propria ex auctoritate revindicandi, licet Eppali auctoritati congenitae et annexae esse videantur, praecipue si tales sint, quales per ecclesiae universalis decretum vel per consvetudinem Sedi Apostolicae fuerunt reservatae, accedente etiam Summorum Principum assensu. Quare ad praedictas dispensationes revindicandas eadem nunc media adhibenda esse videntur, qualia habita sunt ad easdem Summo Pontifici adscribendas. Unde omnes facultates, hoc in articulo enumeratae, a Sede Romana impetrandae esse videntur, ut Eppi ex uniformi iudicio, et sine ulla contradictione vel conscientiae remorsu illas exercere possint in personas, eiusmodi gratiis donandas, quae illas tuta cum conscientia numquam acceptare vel possent, vel vellent, nisi de Romanae Sedis assensu legitime impetrato certae redderentur. — 25 Iul. 1786.

1012. *Eppi* **Volaterrani.** — V. — Synodus dioecesana numquam prohibere poterit, ne fideles certis in circumstantiis et in necessitatis casibus ad visibile Ecclesiae caput recurrant; prout neque Eppis quamvis cum suo clero unitis licet antiquorum ecclesiae canonum auctoritatem infringere; Eppus enim tum his canonibus, tum C. Tridentini statutis est longe inferior, unde decisiones tali ab auctoritate factas immutare non potest. — 24. Iul. 1786. — *Responsa Hetruriae Epporum ad proposita a M. Duce Hetr. Puncta Ecclesiastica. Ex Ital. in Lat. translata a* **Carolo Schwarzel.** *Bambergae et Herbipoli.* 1794.

1013—1016.

Iidem **Hetruriae Praesules** sub Congregatione Florentina, iussu M. Ducis habita, auctoritatem supremam Summi Pontificis tuentur. A. 1787.

1013. MON. *Eppus* **Massae et Populonii.** — Praetermissis nunc omnibus iis argumentis, quae ad Romani Pontificis Primatum ordinis et iurisdictionis stabiliendum ab universa Congregatione verbis haud aequivocis agnitum tendunt, observat (Eppus) : *Ecclesiae regimen ex institutione divina aliud non esse nisi monarchicum :* quoniam Christus ab Isaia praedictus fuit tamquam sedens super solium David, et super ipsius regnum sempiternum c. 9, 7. Ut talis Mariae fuit annunciatus ab Angelo; et quoniam Christus hoc proprio suo ore confessus est, se esse Regem, se in regali hac dignitate natum esse, se venisse in hunc mundum, ut regnum suum stabiliret, quantumvis sit regnum spirituale et non de hoc mundo. Regnum hoc proinde est visibile, et cum huius regni visibilitas numquam adhuc defecit, sicut deficere non potest, ita etiam deficere non potest visibilitas saltem Viceregis, quoniam Rex ipse in coelum avolavit; et sicut huius regni petra et rex ipse erat Christus, ita priusquam abiret, cum suo Vicario seu Vicerege communicare voluit qualitatem petrae : — Ecclesiae itaque regimen (quin propterea negare velimus, quod sit aristocratia temperatum) ex institutione divina est monarchicum, atque *Monarcha iste est visibilis Romanus Pontifex, invisibilis Pontificis Iesu Christi Vicarius*, cuius suprema auctoritas in universalem Ecclesiam cessabit tunc, quando ipse Christus est compariturus. Et sane omnium Ecclesiae Cath. seculorum observantia ad nostra usque tempora demonstrat, Pontificem semper ut Ecclesiae universalis caput fuisse agnitum, cui Eppi sunt subordinati. — Neque hic locum habet obiectio, hunc non esse regiminis eccles. characterem, cum ex eo, quod in Scripturis N. T. insinuatum legatur praeceptum non dominandi in Clero, deduci possit, Ecclesiae regimen non esse monarchicum; siquidem oppositum plane ex

eo demonstretur, si perpendatur, quod Apostolus Petrus, cui Ecclesiae universalis cura est concredita, solus ille fuerit, qui dicit ‚neque ut dominantes in cleris,' quia forsan aliquis ibi erat, qui dominium usurpabat, et qui non forma gregis erat et pastor, sed lupum agebat. At vero ipsa Scriptura S. nobis fundamentum praebet, hanc veritatem indubitatam, quae solo opinionis nomine insigniri non potest, statuendi. *Quamprimum* enim *Christus Dominus Petrum tamquam basim ac fundamentum Ecclesiae posuit, quamprimum ipsi ovium agnorumque pascendorum curam commisit, et praecepit, ut in fide confirmaret fratres suos: legitima inde deducitur consequentia, quod hoc ipso plenum illi in Ecclesiam dominium dederit.* Petrus quoque auctoritatem sibi a Christo concessam agnovit; priusquam enim cum aliis Apostolis septiformis Spiritus plenitudinem acceperat, illius potestatis exercitium inchoavit, quam ipsi Christus vivae vocis oraculo dederat. Probat id propositio ab Apostolo Petro suis confratribus facta, ut Iudae praevaricatoris locum resarciant, unum ex 72 discipulis eligendo, qui fuit Mathias. — Etiam Petri decisio de celebri quaestione Antiochiae exorta non modicum argumento nostro lumen affert, quae — sufficienter ostendit, quod in illo solo sit iudicandi potestas, quod idem est, ac quod ipse solus in Ecclesia habeat imperium. — Hac irrefragabili regula constituta, quod Pontifex tamquam legitimus Petri successor, sit universalis Ecclesiae Caput, quod in illam et in Eppos auctoritatem habeat, uti et quod Apostoli a Petro dependerint, scripsit S. Chrysostomus: ‚illum (Petrum) Christus auctoritate praeditum esse voluit, ac reliquos item Apostolos longe praecellere;' quod ipse sit centrum unitatis, et quod ipse solus independenter a quocunque alio possit se iudicem controversiarum, quae in Ecclesia oriuntur, constituere, sicuti id prae ceteris etiam ab Abbatibus et Monachis secundae Syriae in epistola ad Hormisdam Rom. Pontificem scripta agnitum fuit: ‚Deprecamur, supplicantes, ut exurgatis cum fervore et zelo, et condoleatis iuste pro corpore laniato; nam caput estis omnium, et vindicatis fidem contemtam, canones conculcatos, Patres blasphematos, et talem Synodum anathemate impetitam.' Videtur hic opportunum breviter inquirere, quaenam *originaria Epporum iura* fuerint. — Quodsi quis obiicere vellet, Eppos aliquando illa iurisdictionis plenitudine usos fuisse, quae Pontifici competit: facilis est re-

sponsio, quod vel spectata longa Epporum a prima Sede distantia necessitas hac plenitudine potestatis utendi, vel impossibilitas eo recurrendi, vel urgentes denique ob morae periculum circumstantiae fecerint, ut supponeretur, Eppos amplioribus tunc facultatibus esse munitos. Trita de cetero est regula tum iuris canonici tum civilis, *actus merae facultatis praescriptionem aut observantiam regulis vel per positivam Ecclesiae legem, vel per dispositionem quamdam iuris divini, contra quod alioquin nulla valet praescriptio, stabilitis, et Epporum erga Petri successorem subordinationem continentibus contrariam non inducere.* Trita pariter est regula, quod, si duo extrema sint probata, media per sese supponantur; si itaque in primis Ecclesiae seculis Eppi omnimode a Capite dependebant sicut nunc dependent: tempus intermedium, quod nullum per se statum efficit et irregularitatibus potest esse subiectum, curari non debet. Iactantur equidem et obiiciuntur exempli loco dispensationes in impedimentis canonicis, aut ministris ad sanctuarium assumendis — ab Eppis concessae. Verum scire vellemus, an Ecclesia ab initio talia impedimenta iam statuerit? cum ignorare non possimus, inconvenientias solas fuisse, quae potestatem eccles. aeque ac civilem ad leges, abusus, qui successive in seculari ac ecclesiastico regimine invaluerunt, destruentes condendas permoverunt, Probandum itaque esset, id quod numquam fieri poterit, in principio Ecclesiae tales leges extitisse, si inde concludi velit, Eppos ab origine praeter pascendi potestatem etiam habuisse facultatem quamdam iis in rebus dispensandi, quas Ecclesia non noverat, quasque hoc ipso iis temporibus specialiter adoptare non poterat, quando a lege evangelica neque quoad mores, neque quoad dogmata erat deviatum, et quando Ecclesia disciplinam exteriorem nequidem adhuc stabiliverat. Prima, quam paulo post promulgatum Evangelium invenio, lex illa est, quae cap. 15. Actuum Apost. refertur, quae non circumcidendos, vel saltem ad circumcisionem non cogendos esse praescribit eos, qui ex gentilismo ad fidem christianam transibant. Et quasi subito in eisdem actis dispensationem in hac lege ab ipso S. Paulo, qui Timotheum circumcidebat, datam reperio. Urgebat necessitas illum circumcidendi propter metum Iudaeorum recenter ad fidem christ. conversorum, ut nempe omnis contra Timotheum suspicio removeretur, ipsique Iudaei ex Evangelio sibi praedicato

utilitatem caperent. Hoc tamen exemplum nullam Eppis ansam dare potest, arrogandi sibi iura, quae numquam habuerunt; si enim Apostolus, cum Timotheum circumcideret, in lege apostolica dispensavit: potuit id facere, quin lex mutaretur, tum quia indicata illa urgens necessitas dispensationis, cuius dilatio cum periculo fuisset coniuncta, eam svadebat, tum quia lex in Concilio Apostolico facta illos tantum obstringebat, apud quos periculum erroris, salutem in circumcisione, non in baptismo quaerendi, subesse poterat, cui Timotheus ab Apostolo optime informatus expositus non erat. Atque hoc sub respectu certissime nulla fuit dispensatio; tandem etiam quia in hypothesi dispensationis missio Pauli erat immediate a Deo, et quia de supremo apostolatu suo, qui Apostolatui Petri, excepto Primatu, aequalis erat, certissima signa dedit: consequenter ex divino suo apostolatu poterat haec omnia facere, quae ad operariorum evangelicorum numerum augendum servire poterant, et ad colligendam messem, quae multa instabat. *Hodie*, igitur, *ubi non dantur Eppi qui haberent missionem a Deo, sed ab homine, scilicet a Pontifice, paradoxum videtur, originarias quasdam facultates iactare, quae ab initio non erant, et si erant, in Eppos derivabantur a mittente, qui est Pontifex, qui nativus est ac unicus legum eccles. interpres, et dispensator gratiarum, quas in sinum Epporum transfundit.* Iis, qui universam percurrerunt historiam eccles. notissimum est, quod omnes totius mundi catholici Eppi ad Sedem Apost. inde a primis Ecclesiae seculis recurrere sint soliti, vel ut decisiones impetrarent, aut dispensationes, licet paucae tunc in Ecclesia leges fuerint, ubi tantum de Evangelio stabiliendo, de augendo fidelium numero, et de dilatanda Ecclesia cogitabatur. Neque vim argumenti habet paritas, quae ab Apostolis ad Eppos deducitur; cum, licet verum sit, quod Eppi etiam iuxta C. Trid. effatum in locum Apostolorum successerint, nihilominus etiam verum sit, quod non haereditaverint, ut phrasi theologica utar, apostolatum per eminentiam, et quod non fuerint haeredes universales omnium illorum privilegiorum, quae a Christo solis Apostolis concessa, et a Spiritu S. iugiter confirmata fuerunt; sicut Thomassinus ait, sententia inter omnes Theologos et Canonistas est communissima, quod Apostoli infusam atque illimitatam potestatis spiritualis plenitudinem a Christo acceperint, Eppi vero licet in sedes Apostolorum evecti non

recipiant omnem amplitudinem plenissimae huius et universalis potestatis, et quod illimitata auctoritas penes solam Sedem Apost. remanserit. Et si Apostolus, ut c. 20 Act. Ap. annotatum est, dixit: ‚Attendite vobis et universo gregi, in quo Spiritus S. posuit vos Eppos regere Ecclesiam Dei' (unde illorum a Capite independentiae argumentum ducere volunt aliqui): sciendum est, omnes indistincte et sacerdotes et Eppos et laicos Spiritum S. accepisse, sicut ex Act. Apost. c. 15. ex ore Petri habemus; atque de omnibus Eppis, qui ab Apostolis ordinati sunt, verum est, quod positi fuerint a Spiritu S. regere Ecclesiam Dei, ita tamen, ut ab illis dependerent, qui illorum missionis instrumenta et causa erant. Haec dependentia a Tito, Timotheo, et a multis aliis ab Apostolo ordinatis fuit agnita, qui se illi, quando ipsis per modum praecepti monita dedit, omnino subiecerunt, quamvis Eppi essent, et illorum missio coelitus approbata fuisset.

1014. *Eppus* **Montalcinensis.** Quaestio de iuribus eppalibus una est ex maxime intricatis et arduis, quam quis in eiusmodi materiis versatus sibi imaginari potest. Haec omni contentionis aestu ab illustribus Theologis et Canonistis agitatur: verum obiectiones ab una et altera parte factae tantae sunt, ut impossibile sit, ipsam decisionem conciliare. — Aliqui ex illis Scripturae divinae, Conciliis et SS. Patribus inhaerentes asserunt, quod Eppalis auctoritas et iurisdictio secundum primaevam Iesu Christi institutionem considerata, absoluta sit ac illimitata in quavis dioecesi; quod Eppi in eius possessione per multa secula constanter permanserint; quod in legibus Conciliorum generalium et RR. Pontificum — dispensaverint; quod reservationes pedetentim, non tamen sine virorum doctrina et sanctitate insignium contradictione, introductae fuerint; quod Eppi, cum Pontificibus reservationes quasdam concesserunt, id hac cum conditione fecerint, ut sublatis quibusdam specialibus impedimentis, quorum causa haec concessio facta fuit, antiqua iurisdictio et auctoritas a Iesu Christo ipsorum characteri annexa ad illos revertatur; quod Eppi sine formali suo consensu a Romanis Pontificibus minime spoliari, multo minus in omne tempus sua potestate exui potuerint, partim quia non erat in potestate RR. PP. Eppos motu proprio suoque pro arbitrio potestate ipsis a Iesu Christo, ab Apostolis, et ab Ecclesia concessa spo-

liandi, partim quia illorum officium pastorale non permittit, ut in suarum dioecesium detrimentum illa potestate priventur, quae illis intuitu ovium tantum et non pastorum a Iesu Christo concessa fuit; tandem quod praefata iura, si eorum concessio spectetur, etiam in praeiudicium successorum redundarent, utpote quae ex sua natura alienari non possent, et quamvis alienata, nullo unquam tempore utut longissimo praescriptioni essent obnoxia. Alii e contra itidem ex Scriptura, Traditione et Patribus Apostolorum erga S. Petrum, et multo magis illam Epporum erga Summum Pontificem Petri successorem subordinationem probant. Demonstrant, quod cum Eppatus unus sit, immediata iurisdictionis eppalis causa sit Pontifex, quod omnis in illo tamquam in fonte iurisdictio resideat, et ab ipso in reliqua membra diffundatur. Non negant Eppos esse Apostolorum successores, — simul tamen observant, conclusionem hanc non esse legitimam: ‚Apostoli immediatam habuerunt a Iesu Christo iurisdictionem, ergo etiam habent Eppi illorum successores;‘ — inde necessitatem inferunt, in Apostolis duas res distingvendi, potestatem nempe Apostolatus, et potestatem Eppatus. In prima certe Eppi non succedunt Apostolis, utpote quibus non est permissum, fundare Ecclesias pro lubitu, suam iurisdictionem ad Ecclesiam universalem extendere, libros canonicos propria auctoritate condere, aut similia agere, quae Apostolis extraordinaria quadam potestate competebant, ad ipsorum successores non transmittenda. Succedunt tamen iis in secunda, sed cum iurisdictione limitata, et a Summo Pontifice dependente, qui iuxta fidei cath. principia non tantum honoris, sed verae et propriae iurisdictionis Primatum habet ad pascendam, regendam, et gubernandam Ecclesiam universalem, quin Pastores, h. e. Eppi sint exclusi. Huius tam extensae iurisdictionis argumenta manifesta sunt: recursus ad Rom. Pontificem in causis maioribus per prima 8 secula ab omnibus mundi Ecclesiis facti, leges a S. Sede conditae, quae ab universa Ecclesia tamquam totidem oracula ante ipsam etiam falsarum Isidori Mercatoris decretalium introductionem sunt acceptatae etc. Atque ad obiectionem, quod Eppi omnibus supradictis iurisdictionis actibus spontaneum praestiterint consensum, Pontificesque sine Epporum approbatione eos exercere non potuerint, respondent: hanc consequentiam non esse legitimam, eo quod Romani Pontifices hunc consensum approbationemque numquam veluti ne-

cessariam petierint, sed quo Eppi et unum et alteram libere atque ex sola gratitudine ac veneratione erga pontificiam auctoritatem dederint. Ad alteram porro obiectionem, quod iura eppalia non possint alienari, consequenter quod ab Eppis cedi non possint in praeiudicium successorum, adeoque vindicari debeant, regerunt: quod dato, non concesso, illa iura alienari non posse, nihilominus Caput Ecclesiae ex iure inspectionis et iurisdictionis in universum gregem sibi iam unam iam alteram iurium eppalium speciem propter abusum eorum reservare, atque ius vindicationis eorum intuitu maioris Ecclesiae boni plane extingvere possit. Hic est genuinus status celeberrimae de iuribus eppalibus quaestionis, tanta cum doctrina ac eruditione ab una et altera parte agitatae, omni cum sollicitudine discussae, atque in Conc. Tridentino a clarissimis celeberrimisque totius orbis Theologis et Canonistis clarissime expositae, ab Ecclesia tamen nondum decisae: quae interim si non in genere, saltem in specie in praefato C. Trid. Sess. XIV de Poenit. c. 7. asserit: *Romanis Pontificibus ex suprema ipsis in universam Ecclesiam concessa potestate, praescindendo ab Epporum consensu, ius reservandi privato suo iudicio graviores delictorum casus competere.* Inde eruitur, memorati Concilii Patres suam declarationem non in decretalibus Isidorianis, sicut aliqui praetendunt, sed in suprema Pontificibus a Iesu Christo in universam Ecclesiam concessa potestate fundare; *quae non amplius esset suprema*, si *Eppi per suum consensum dictae potestati vel robur addere, vel consensum suum negando eandem limitare possent.* Tandem etiamsi concedatur, consensum ab integro Epporum corpore vel ab universali etiam Ecclesia in testimonium honoris et obsequii erga Caput illius demonstrati esse praestitum: negari non potest, Ecclesiae universalis, non vero congregationis paucorum, multo minus duorum vel trium Epporum iudicium ad haec iura vindicanda requiri, quae Capiti Ecclesiae libere sunt data, ab eodem legitime exercita, et per tam longi temporis cursum praescripta, quaeque nunc ab omnibus quasi mundi catholici Ecclesiis pro veris, legitimis, et praescriptis primae Sedis iuribus agnoscuntur. —

1015. *Idem Praesul in responso ad observationes contrarias nonnullorum Coëpporum.* Eppus Montalcinensis insistit et insistet semper primae suae responsioni dicens: — quicunque Eppus nativorum iurium exercitium in omni eorum extensione

reassumere vult, oecumenici Concilii universam Ecclesiam repraesentantis definitionem in pulverem redigere debet; oportet, ut cum maxime venerando Ecclesiae Capite contendat, cui vi Primatus canonum et definitionum conciliarium custodia competit; oportet, ut universali Ecclesiae disciplinae repugnet, iuxta quam omnes totius orbis catholici Eppi (exceptis forsan duodecim ex tot millibus), inter quos plurimi sunt a falsis praeiudiciis liberi, habiles, ingenio pollentes, probitate et morum sanctitate celebres, eminentes eruditione ac sapientia, a gratia illius Dei, qui est mirabilis in servis suis, cum ipsis communicata strictissimi officii partem esse existimant, non tantum conformia cum S. Sede principia tenere, sed etiam dato casu, quo de iurium eppalium limitatione dubium oriri posset, ad eandem pro opportunis facultatibus obtinendis recurrere. Atque ut fateamur, quod res est, hic agendi modus est necessarius, quia cum hic de rebus, quae tum Eppi tum dioecesanorum suorum conscientiae securitatem concernunt, agitur, secundum S. Augustinum aliter operari grave esset piaculum. — Indubitatum est, dioeceses Eppis ad iurisdictionis eppalis exercitium a Summo Pontifice esse assignatas; atque ideo Epporum potestas semper Capiti subordinata esse intelligitur, qui propterea dicitur Eppus Epporum, sicut illum Tertullianus et alii appellarunt. — Admittimus equidem, Eppatum esse a Iesu Christo institutum, in ipsa consecratione etiam iurisdictionis potestatem illis ab eodem Iesu Christo tribui, sicut etiam non negamus ipsam tum ordinis tum iurisdictionis potestatem ex divina institutione sacerdotio inhaerere: verum actuale — potestatis acceptae exercitium an forsan Papa non dat Eppis, dum illis dioeceses assignat, et Eppus Parochis, dum illos certae cuidam parochiae praeficit? Pontifex est, qui ex institutione divina universo Iesu Christi ovili praesidet, pascendo, regendo, gubernando, comprehensis ubique Eppis, Parochis, atque uno verbo omnibus fidelibus: Pasce agnos meos, pasce oves meas. — Eppus Montis Alcini — ab eo, ut maxime venerando visibili Ecclesiae Iesu Christi Capiti potestatem immodicam, nullisque limitibus circumscriptam tribuat, vel illam omnibus canonibus legibusque superiorem esse putet, aut causam causarum; ut paradoxa illa in ignorantiae seculis exorta, quae in seculis antiquioribus pro blasphemiis fuissent habita, vel systema antievangelicum sequatur ac defen-

dat, longe alienus est: sed omnis potestas, quam ille confitetur, ac Primatui successoris S. Petri inhaerentem veneratur, est illa ipsa, quam Syn. Chalcedonensis a S. Thoma allegata Summo Pontifici tribuit his terminis expressam : ‚Veneramur secundum Scripturas et Canonum definitiones sanctissimum antiquae Romae Eppum primum esse et maximum Epporum; — si quis Eppus praedicatur infamis, liberam habeant sententiam appellandi ad beatissimum Eppum antiquae Romae, quia habemus Petrum petram refugii, et ipsi soli libera potestate loco Dei sit ius discernendi secundum claves a Domino sibi datas, et omnia ab eo definita teneantur, tamquam a Vicario apostolici throni.‘ Veritas haec confirmata fuit a Conciliis Generalibus V—VIII, et a C. Florentino. Eandem potestatem agnoscit Eppus Montis Alcini in Romano Pontifice, quam Congregatio Cleri Gallicani a. 1626. coadunata, h. e. post decreta CC. Constantiensis et Basileensis, atque ante turbarum nimis funestarum in vastissimo illo regno a Baii et Iansenii discipulis excitatarum initium omnibus Eppis praescribendam esse existimavit in instructione ad ipsos his terminis directa : ‚Eppi admonentur, ut honorent S. Sedem Apost. etc.‘ *(ut suo loco retulimus.)* — Ex harum dispositionum consequentia, ut breviter omnia contrahantur, Eppus Montis Alcini protestatur et contendit : Summi Pontificis Romani Primatum aliud non esse, nisi auctoritatem eppalem in universam Ecclesiam extensam, h. e. extensam supra totum corpus fidelium, sive pastores illi sint, sive oves. Haec animadversio statim ostendit, qualia et quanta sint essentialia ac originaria iura ex Iesu Christi institutione Primatui Pontificis annexa. Regula deinde generalis, quod omnis potestas, quam Deus hominibus dedit, data sit in ipsorum hominum utilitatem et bonum, in aedificationem, non in destructionem, statim limites detegit, intra quos exercitium Primatus sese continere debeat, ut institutioni ac voluntati divinae sit conforme. —

1016. *AEppi* **Florentinus** *et* **Pisanus** *item Eppi* **Montis Politiani, Rosetinus, Aretinus, Faesulanus, Pisicianensis, Volaterranus,** *et* **Cortonensis** *collective.* — (In extractu.) An inter Primatus iura, et officia etiam istud sit, *exercitium auctoritatis eppalis in suarum dioccesium regimine limitandi?* hic examinatur. Controversia haec est valde intricata, ob magnum aliarum controversiarum numerum, quae in iu-

ris aeque ac facti quaestione ab ea dependent, et quia in discussione illius, si ideae confundantur, ipse decidendi conatus illam nonnumquam obscuravit potius quam illustravit. Est nihilominus haec quaestio in praxi maximi certe momenti; agitur enim de validitate actuum ad aeternam salutem pertinentium, et de conscientiae securitate tum pro iis, qui certa uti auctoritate tenentur, tum pro illis etiam, qui eandem per ligandi solvendique officium in se exercitam conspiciunt. — ‚Epporum iura, dicitur ex una parte, ab ipso Iesu Christo Eppatui sunt annexa, ideo nec alienari, nec praescribi, nec per transactionem abdicari possunt, quoniam sunt originaria, connata, ac primitiva. Iura haec cuivis Eppo in potestate ordinis, quae illam iurisdictionis omnino individuam continet, ab ipso Iesu Christo semper ac immediate conferuntur. Eppus liberrimum habet illorum exercitium, siquidem eius obligationes iis respondeant, quae in iis omnibus, quae ad spirituale dioeceseos regimen illiusque bonum conducunt, consistunt; eo spectant particulares leges disciplinae et dispensatio in illis cum iudicio, quod inde fluit, de personis illarumque actibus intra territorii limites ferendo; omnis reservatio, exemtio, praeceptumque horum iurium restrictivum et coërcitivum tamquam eorum violatio reputanda est. Verum Papa, Primas, successor Petri? Relate ad Eppos particulares ille non habet in omnes et singulos illorum aliud ius, quam inspectionis et gerendae sollicitudinis. Inspectio illum attentum habet, ut videat, an Eppi suis iuribus utantur secundum canones Ecclesiae? Sollicitudo illum ex una parte paratum tenet, ut casu dato subalternos agentes moveat, ex altera vero, ut illos intra iustos limites contineat; fatentur ideo, eum non tantum habere ius directionis, sed etiam iurisdictionis, ideo primum esse canonum custodem, primum illorum executorem, primum inter Eppos, et illorum omnium Caput.‘ In hac tamen imagine multis videtur veram Primatis ideam non contineri, qualem vel finis a Iesu Christo intentus, vel Ecclesiae necessitas, vel ipsa denique illorum confessio, qui eam nunc limitare intendunt, alibi facta postulat. Neque hic illas notas characteristicas inveniunt, quas illi institutor illius in Evangelio tum factis tum verbis tribuit, quas tribuunt SS. Patres, traditionis testes, et Concilia, quae easdem determinant. Non inveniunt tandem rationem eorum, quae hactenus in Ecclesia sunt gesta, et posses-

sionem iuris constituunt eo certiorem, quo maiorem Ecclesia habet prae omni privata praesumtione vel civili praescriptione auctoritatem, ut etiam tacendo decisivam sententiam pronunciare possit. — Intentio nostra est, ut saltem ex parte rationem reddamus, quare sententia lata sit: talem nunc ab Eppis auctoritatem possideri, quae, quantum ad exercitium, variis in capitibus a Summo Pontifice limitari potuerit, et propterea his stantibus decidi debuerit, ab eodem liberum et non restrictum illius certis in casibus exercitium esse petendum? *Pars I. in qua ex natura et scopo Primatus deducuntur ea, quae illi quoad hanc quaestionem competere videntur.* Certum est Iesum Christum mediante Primatu unitati Ecclesiae consulere voluisse. — Verum unitas est modus existendi, non ipsa existentia, non res; hac sunt fides, mores, disciplina, quae simul servatae et bene dispositae perfectionem omnimodam et commune Ecclesiae bonum efficiunt. Cum bonum generale ex particularibus proveniat, totius Ecclesiae bonum ex privatarum Ecclesiarum bono derivatur: et en! hic characterem distinctivum obiecti, finis, potestatis, et obligationum Epporum particularium aeque ac Primatis. Quivis Eppus, cuius potestas in se est suprema, quae datur in Ecclesia, et quae per solum ordinem etiam indefinita conceditur, mediante speciali sua ad Ecclesiam particularem destinatione obstrictus est, ut maximum, quod potest, bonum particulare procuret. — Summus Pontifex ratione Primatus sui, quem in tota habet Ecclesia, procurat, colligit et perficit — omnem bonorum particularium massam, dum illa ordinat, dirigit et colligit ad summum et commune totius Ecclesiae bonum promovendum; atque tali modo in regno Dei producit et conservat intimam cum invisibili Capite Iesu Christo unionem: et hoc Eppo intentionem et directionem, quae ipsi in ordine ad summum et universale bonum competit, non aufert, imo eam supponit etiam, sicut compositum qualecumque supponit complexum omnium elementorum, ex quibus formatur. — Quis non videt in hac ipsa scopi ac finis diversitate, et in hoc immediato bonum vel in universo vel quoad partem illius in particulari promovendi modo intrinsecam quamdam inter primatialis et inter simplicis eppalis potestatis exercitium dari differentiam? — Quivis Eppus integram ac propriam habet sui gradus potestatem, quam intra limites sibi praescriptos exercere potest et debet. — Eppus

non est Vicarius nec capellanus Papae, neque potestati arbitrariae, despoticae vel illimitatae, sed illi tantum est subiectus, qui iudicat et solus tantum iudicare potest ac debet de debito bonum commune procurandi modo; atque ille, cui hoc bonum tamquam scopum immediatum et directum assequi nec possibile nec impositum est, licet ad eundem finem conspiret, debet tantum bonum particulare, quod ab ipso directe dependet, ex officii unitate ad hunc scopum universalem conducente procurare. Tali utilitate sibi propria et particulari debet ille frui, vel debet etiam cum pace tolerare, si hinc inde ob bonum commune illi minuitur vel limitatur, cum id notae caritatis regulae exigunt. — Primas deinde super Eppum et super omne bonum particulare, quod ab ipso dependet, consequenter etiam super personas, res, et actiones, quae illud producunt, inspectionem, sollicitudinem, et auctoritatem vel impellentem vel coërcentem, iudicium superius, veramque iurisdictionem habet. — His mediantibus non est difficile in Primatu sicut in Eppatu auctoritatem legislativam eccles. animadvertere, qua debet esse praeditus, et quae ab ipso solo ex proprii sui officii debito exerceri potest et debet ad maius bonum mediantibus subordinatis cooperatoribus procurandum. Inde etiam intelligitur, quod iudicium illius, qui concurrit, vel se interponit, obstet, quominus ipsi sit proprium. Eppus particularis directe de actionis cuiusdam in bonum dioeceseos, non totius Ecclesiae influxu iudicat; atque ideo si in actu quodam praecepto executionem sibi nocivam reperit, eam suspendit, motiva iudicii boni communis suggerit, illiusque sententiam praestolatur et sequitur; inde etiam exceptiones et privilegia deducuntur, — atque haec ipsa est dispensandi causa, et spiritus dispensationum in legibus, quae Ecclesiam universam concernunt, adeoque ad illum non spectant, qui partialem tantum, sed ad illum, qui generalem inspectionem habet. Reservationes exemtionesque ex eodem capite derivantur. — Ex principiis hactenus propositis adaequata videtur ratio reddi posse de libertatibus perpetuis, quibus aliquae Ecclesiae gloriantur, et de diversitate disciplinae quae in historiae eccl. monumentis reperitur. Illae ex consensu vel conniventia aut tolerantia Supremi Rectoris subsistunt: haec vero mutata est saepius illo ipso etiam excitante et promovente, quia si cuncta rite perpendantur, maius bonum hoc exigebat. — Tamquam signum Providentiae ad cu-

stodiendam et conservandam unitatem Ecclesiae neccessarium agnosci debet Primatus, (ut cogitabat Bossuet medit. in Evang.) unde sequitur, quod mediante eiusdem exercitio illud potestatis eppalis limitari possit. — *Pars II. in qua Primatus consideratur iuxta verba Iesu Christi et Patrum ac Conciliorum interpretationem.* Cum omnis auctoritas (Primatus) — a fundatore Iesu Christo derivetur, notum est, quod eandem promiserit Matth. XVI, eam dederit Ioan. XXI, et quoddam illius officium atque ius simul exposuerit Luc. XXII. De primi textus authenticitate certissime sumus persvasi, atque certum causae desperatae indicium esse putavimus, si contra omnes Critices regulas de illa dubitaretur. Nos etiam in verbis ‚Super hanc petram' cum communi SS. Patrum opinione illum indigitari agnoscimus, cui paulo ante dictum est: Tu es Petrus; siquidem arbitremur, Iesum Christum humano loquendi modo sese accomodare fuisse dignatum, ut, dum loqueretur, intelligi posset. — Allegatus itaque locus posset, licet multis de causis minus apte, in ratione tamen nostra aptissime ita transferri: ‚tu es lapis fundamentalis et super hunc lapidem, vel super qualem lapidem,' sicut eodem modo habetur Cephas in Chaldaico, et Petrus in Graeco. Illi vero SS. Patres, qui ipsum Iesum Christum in petra indicatum putant, commode explicari possunt ex serm. 31. S. Maximi Taurinensis: ‚Hic est Petrus, cui Christus Dominus communionem sui nominis libenter indulsit; ut enim, sicut Paulus Ap. edocuit, petra erat Christus, ita per Christum Petrus factus est petra.' — Huic Petro itaque claves promittuntur, per quas cum ab omnibus communiter potestas intelligatur, non negamus eandem cum aliis Iesu Christi ministris communicari debuisse. Illam in Ecclesia esse, atque ideo dici posse, quod claves, sicut ipsum C. Trid. se exprimit, Ecclesiae datae sint, et quod mediante Petro, sicut Tertullianus loquitur, datae sint, atque quod Petrus, cum eae illi datae sunt, Ecclesiam, ut vult S. Augustinus, sive unitatem, sicut ab aliis Patribus declaratur, repraesentaverit. Haec omnia vero etsi potestatem modificent, cum illius exercitium aliis etiam datur, et eius usus atque duratio determinatur, non impediunt, quominus traditio illarum Petro facta distinctivum sit signum superioritatis ipsi quidem et suis successoribus personaliter competentis. — Unde dici potest, *quod Primatus, adeoque custodia, depositum, usus et ius generale soli Petro detur, cui soli,* ut Firmilianus ob-

servat, *dictum est: quaecunque ligaveris, et quod ille proprie claves regni coelorum communicandas ceteris solus acceperit,* prout Optatus Mil. monet. — Potestas haec promissa, deinceps revera data fuit, et quidem iuxta promissionem singulariter, ut notat Leo, data fuit. Ubi multi erant Apostoli et uni dicitur: pasce agnos meos etc. observat Augustinus. — Haec omnia breviter tantum stabilita ac declarata animadvertendi ansam praebent, primum generaliter, *quod cum in Petro solo et in Primate coalescat potestas clavium*, hoc est, solvendi, ligandi, pascendi, regendi, gubernandi, quae est in Ecclesia, et pro Ecclesia, *in eo sit Eppatus*, quoniam tale est nomen huic officio proprium, superintendentia quaedam, et sacra quaedam auctoritas distincta, et aliis superior; secundo, *quod haec potestas ac Eppatus iste sit universalis in omnes personas, nulla excepta.* — Concedamus nunc ad momentum plenam Epporum in iura Apostolorum successionem: si illi habuerunt Caput et Pastorem, cui erant subordinati et concrediti, conveniens erit, ut idem etiam caput Eppi habeant. Iam vero quoad Apostolos, etsi Iesus Christus nobis id non indicaret per illud, quod Petro imposuit, et ad successores transiit, ut observat Bossuet: ‚confirma fatres tuos;' et licet etiam nomen Primatus hoc nobis non indicaret, utpote qui est gradus supremus, potestatem indicans cum aliis non communicandam: testimonium tamen nobis praebent illi ipsi, qui ex una parte, nempe quoad gradum apostolatus, aequalitatem inter eos et Petrum praedicant (Cypr. et Hieron.) Cum Primatus hac ratione ad unitatem necessarius sit, necessarium quoque est, ut qui hunc gradum possidet, suam supra omnes inspectionem extendat et auctoritatem. — Hinc aequalitas in uno sensu commendata aeque parum nocet superioritati in altero sensu, quam parum superioritas haec a Petri humilitate et caritate fuit enervata, quando nunc in C. Ierosolymitano alios audit, nunc Samariam missus collegarum voluntatem adimplet, nunc vero baptisato Cornelio aliis suae actionis rationem reddit. — Animadvertamus tertio, *qualis et quanta potestatis universalitas* ex textibus allegatis eluceat in ordine ad actiones, quae Primatui substant, quin limitibus circumscribatur: *Ecclesiam*, non hanc vel illam, sed *universam; quodcunque,* quamcumque rem, non partem. Et hoc non ideo, quod ipsa forsan illimitata sit, nullisque legibus circumscripta, — verum quia in manibus primi et summi Sacerdotis est, ad summum Ec-

clesiae bonum ordinata, non potest limitari a superiori alicuius privatae personae iudicio, sed per se ipsam regitur iuxta regulas caritatis, quae unitatis fundamentum est. — Unde C. Lateranense IV. can. 4. merito dicere potuit, quod Ecclesia Romana disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtineat principatum, utpote mater universorum Christifidelium et magistra. — Haec est illa non immerito appellata *plenitudo potestatis;* neque tali eam nomine condecorare dubitavit Clerus Gallicanus in congregatione a. 1728 habita: ‚plenitudinem, ait, apostolicae potestatis;' haec est, quam Conc. Florentinum definivit etc. — Quisnam erit Epporum, qui non libenter agnoscat, quod Primatus per se ipsum ad optimum potestatis eorum exercitium tendat, et propterea hoc ipsum sit finis et obiectum obligatorium, quamvis non ex proprio eorum iudicio, nisi in illa, quae dioecesim concernit, parte, sed ex iudicio illius, qui universae Ecclesiae praesidet: unde quivis tenetur eidem sese subiicere ex ipsa iam aequitatis regula, etsi Primatus auctoritas illum ad hoc non adstringeret? Hic insuper postulat verum assensum ob qualitatem, vi cuius est centrum unitatis universae Ecclesiae. — Nec displicere debet cuiquam debita qua par est humilitate caritateque praedito terminus obedientiae et subiectionis, quam praestant ‚quasi ad Caput — sequentia membra,' ait Avitus Viennensis. Praeter iuratam enim in sacra ordinatione promissionem, etiam in celebri declaratione de A. 1682 confessio (quamvis cum quadam aequivocatione) facta est, quod Primati debita ab omnibus christianis obedientia praestari debeat; et celeberrimus illius defensor quasi sensum illius explicans non negat deberi obedientiam eam, qualem Concilia et Patres semper agnoverunt. — Ab hac opinione paululum deflexisse videtur S. Cyprianus in controversia contra S. Stephanum Pontificem agitata, cum in tertio suo Concilio Carthaginensi affirmaverit, ‚quod habeat omnis Eppus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium proprium, tamque iudicari ab alio non posset, quam nec ipse potest alterum iudicare, quia Iesus Christus primus et solus habet potestatem et praeponendi nos in Ecclesiae suae gubernationem, et de actu nostro iudicandi. Quodsi ille excludit iudicium Primatis universalis: tantum certe rationis habuit in hac parte, quantum in mala, quam tunc defendebat, causa; ipsique aestu disputationis abrepto idem Cyprianus in toto de

Unitate Ecclesiae libro opponendus est, et quando ob relationes ex Gallia acceptas eundem Stephanum contra Marcianum Arelatensem, qui ad Novatianos transiit, excitare voluit, ut abstento eo alius in locum eius substituatur, ubi una cum illius regionis Eppis, qui eum hac de causa interpellabant, agnoscit manifeste, Papam esse iudicem supra ipsos Pastores. — *Pars III, in qua Primatus consideratur iuxta consvetudinem in Ecclesia semper usitatam.* Cum consvetudo optimus sit iurium custos, ac testis, indagandum est, quid secundum hanc Primatui competat, quin propterea ab eo, quod iam ex principiis demonstratum est, recedamus. — Tres autem epochas distingvemus, primam ab Ecclesiae initio eousque pertingentem, ubi ius Eccl. nondum erat sufficienter in Conciliis stabilitum et in canones redactum; secundum ab hoc tempore ad falsas usque decretales; tertiam ab illis ad nos usque. ‚Epocha 1.' Communiter dici solet, Eppos ab initio Ecclesiae exercuisse auctoritatem absolutam, liberumque habuisse suorum iurium exercitium: id, quod in sano sensu acceptum certissimum est, et Primatui nihil nocet, si status Ecclesiae et circumstantiae illorum temporum perpendantur. — In quarto demum seculo primum Generale Concilium habitum fuit, canonesque sunt promulgati. — Concilium declarat, quod patriarchalis auctoritatis exemplum ab auctoritate Pontificia desumat. — Ante hunc canonem a. 325 conditum non invenitur alius, nequidem Synodi cuiusdam particularis, qui de mutua Ecclesiarum dependentia mentionem faceret, vel de quadam inter illos superioritate; et tamen per illorum seculorum decursum talis erat de Primatu Romano persvasio, ut pervulgata inde exempla habeamus, quorum ipsa praetensa synodus provincialis Ultrajectina multa offert. In dissidiis apud Corinthios exortis non ad Ioannem, qui tunc adhuc vivebat, sed ad Papae iudicium recurritur, et S. Clemens respondet et ad pacem hortatur; Romam et non alio commigrat Polycarpus, cum Aniceto de celebratione Paschatis tractaturus; a Roma et a Victore lex proficiscitur contra Polycratem Ephesinum et contra Asiaticos, ut Pascha eadem cum aliis die celebrent etc. — Hae quidem non sunt limitationes circa reservationes, dispensationes, exemtiones: sunt tamen emanationes quaedam auctoritatis Eppis superioris, quae liberum illorum potestatis exercitium restringunt. — ‚Epocha 2.' Ad secundam Epocham transimus, et in illa invenimus aedificium di-

sciplinae per Canones multis in partibus iam altius productum; possumus hoc tamquam pulchrum providentiae divinae ordinem considerare, quod tali illud modo fuerit constructum. Personae variis ex ecclesiis collectae, et plures res melius ad illud conferre poterant; adoptatio decisionum ab aliis Ecclesiis factarum uniformitatem stabiliebat; et sicut inter has Romana eminet, ita praeses illius ut talis etiam in C. Oecumenico (Chalced.) agnitus, pro bono communi sollicitus esse debebat, ut illius observantiam propagaret, primusque eandem custodiret. — Duplex via illo tempore aperta fuit, utraque ad eundem finem, bonum nempe commune directa: una erat illa Conciliorum, — altera Romanorum Pontificum, apud quos relationes undique iis factae, et universalis inspectio localem omnium membrorum cum suo Capite unionem supplebant, eiusque defectum minus sensibilem reddebant; sollicitudo illorum atque ius eorum eppale in omnes propagationem decisionis efficacem reddebat; debita tandem obedientia subordinatis observantiam inspirabat atque usu confirmabat. — ‚Epocha 3.‘ Sed clamant voces millies repetitae, milliesque refutatae, non esse hoc nativum Pontificis ius, sed falsas decretales hoc introduxisse, et inter Pontifices post Nicolaum I. fuisse etiam Innocentium III, qui id magis adhuc extendit, fundans illud in imaginaria distinctione plenitudinis potestatis Pontifici competentis, et partis sollicitudinis Eppis reservatae. Quodsi dicerent, primitivum hoc ius per infaustas has decretales magis confirmatum, magisque dilatatum fuisse, certo modo consentire possemus. Verum quomodo non poterit agnosci ius hoc in ipso Primatus scopo fundatum, ab ipsoque Iesu Christo indicatum, et a SS. Patribus in eorum scriptis clare agnitum, et a Conciliis iamiam suppositum aut declaratum? ius, de cuius principio fundamentali omnibus convenit, et cuius tot exempla sibi simillima in Ecclesia inveniuntur, ut S. Leo ex eo solo potuerit non tantum tamquam Patriarcha, sed potius tamquam Primas indigitatam distinctionem facere, cum potestatem papalem illi suo per Illyricum Vicario Eppo Thessalonicensi concessae opponeret, cuius iurisdictioni tantum Epporum collegium subiecerat. Non sunt itaque, neque possunt esse decretales origo rei, quae prius iam extitit, sed potius credibile est, quod ideo, saltem in mente inventoris, decretalis ipsa nata sit. — Verum fabulas relinquamus, et perpendamus, auctoritatem Primatialem

in omni sua extensione per multa secula exercitatam, agnitam, et propugnatam, minime vero — a falso hoc et fictitio supposito, sed ab eo potius, in quo illam perpetuo stabilitam esse vidimus, nempe ab ipso Iesu Christo, qui praecipuum ac essentiale est omnis veritatis revelatae fundamentum, suffultam esse. Nicolaus I — ait, Ecclesiae Romanae privilegia Christi ore in beato Petro firmata, in Ecclesia ipsa deposita, antiquitus observata — nullatenus possunt minui etc.' — Innocentius III : ‚Cum ex illo generali principio, quod beato Petro et per eum Ecclesiae Romanae Dominus noster indulsit, canonica postmodum manaverint instituta, continentia, maiores Ecclesiae causas ad Apost. Sedem perferendas etc.' — In Conc. Constantiensi Sess. 40 decretum fuit, ut, cum legitimus Papa electus fuerit, varia disciplinae eccles. capita reformarentur, in quibus Primatus auctoritas circa reservationes, dispensationes, et speciales provisiones potissimum eminebat. Duo hic observemus : primum, reverentiam Concilii, quod quasi, ut ipse Papa iurium a suis praedecessoribus explicatorum exercitium reformaret, voluit, non autem per se ipsum id fecit; secundum, quod haec reformatio iurium istorum exercitium non sustulerit, sed limitaverit tantum. — Haec fuit ratio, cur in C. Basileensi (qualiscunque illi demum tribuatur auctoritas) singulis quasi capitibus restrictiones addere placuerit, quae cum circa accidentia tantum versentur, substantiam non immutant, sed multo magis eam, atque regularem eandem in usum deducendi auctoritatem confirmant. — Huic deinde rei certiores terminos posuit, ipsumque exercitium in aptiorem formam redegit C. Tridentinum. Quantum ad ipsam potestatem, memoranda sunt verba illius de reservationibus casuum in specie pronunciata: ‚Merito Pontifices Maximi pro suprema sua potestate sibi in Ecclesia universali tradita causas aliquas criminum graviores suo potuerunt speciali iudicio reservare. — ‚Conclusio.' Interim nobis persvademus, quod non tantum ex scopo et ratione institutionis, verum etiam ex possessione perpetua ab Ecclesiae initio ad nostra usque tempora continuata demonstratum sit ius Primatis originarium, exercitium auctoritatis epalis limitandi, si Ecclesiae necessitas vel utilitas ac bonum commune postulat. — Qui itaque deinceps de huius potestatis exercitio a Pontifice rationem exigere vellet, ei responderi poterit, quod sub Seculi V finem Avitus Eppus Viennensis senatoribus

illis exprobavit, qui contra Symmachum Papam in iudicio sederant: ‚Non facile datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus eminentior iudicetur, — si Papa urbis vocatur in dubium, Eppatus iam videtur, non Eppus vacillare. Reddet rationem, qui ovili Domini praeest, qua commissam sibi agnorum curam administratione dispenset; ceterum non est gregis, pastorem proprium terrere, sed iudicis.‘ Qui deinde via facti attentaret, et conspiratione facta deinceps niteretur Primatem iuribus suis spoliare, eidem brevia sed gravissima verba a Iulio I conciliabulo Antiocheno dicta opponeremus: ‚morem, qui semel in Ecclesia obtinuit, et a Synodo constitutus est, iniquum est a paucis abrogari.‘ Verum nos potius putamus, quod omnes etiam particulares Eppi sint adlaboraturi, uti in procurando vero ob bonum Ecclesiae generale dioecesium suarum bono, ita et professione et actionibus etiam disciplinaribus unum cum Capite corpus constituere, et quod eum in finem, adeoque lubenter cum genuino animi sensu, si non cum ipso actu formulae, quam Hormisdas Papa in Orientem misit, quamque Bossuet per multa secula conciliarium etiam subscriptionum exemplar fuisse ait, a nullo unquam christiano recusandam, sint subscripturi: ‚sequentes in omnibus Sedem Apostolicam, quae ab ea statuta sunt, praedicamus, ac promittimus inconcussa servare, et compellere, ut iuxta tenorem libelli huius faciant Eppi, — quatenus per omnia Sancta Ecclesia nostra habeat firmitatem. — **Schwarzel** *Acta Congregationis Epporum Hetruriae* T. II. *Bambergae et Herbipoli.* 1791.

1017—1024.

Iidem **Praesules Hetruriae** Instructionem pastoralem Eppi **Clusio-Pientini** Primatui adversam esse enunciant, et Brevia Pontificia reverenter acceptant. 1787.

1017. MON. *Duplex Breve* **Pii VI PP.** *ad Eppum* **Clusio-Pientinum** *in Hetruria, de erronea eiusdem doctrina circa Primatum Rom. Pontificis aliaque fidei capita, a. 1786. s.*

— *Breve Primum.* Diebus tantum proxime praeteritis redditae fuerunt nobis fraternitatis tuae literae die prima mensis Augusti scriptae; ac pergrata nobis non parum accidit recordatio pietatis in nos tuae, quam exquisito studio in iis explicasti; novam enim inde ultro praebes neque iniucundam confirmationem fiduciae, quam dum ad eppale evehebaris fastigium, de tua virtute in Domino percepimus. Consilium vero a te iam susceptum, ut Clerus tuus peculiari ratione ad ecclesiasticam doctrinam, quam in dioecesi tua tradendam arbitraris, instituatur, ab instructione ipsa tua eidem Clero proposita, quamque literis adiunxisti, cognovimus. Sed eadem lecta ac perpensa grave inde sollicitudinis ac moeroris argumentum in nos derivari necesse fuit: animadvertimus enim eo studio fuisse compositam (quod ubi longiori disceptationi locus esset, pluribus posset demonstrari), ut ab Apostolicae Sedis doctrina non semel discedas, ac propositiones inducas et foveas, quas satis liquet iamdiu fuisse ab ea proscriptas; insuper laudibus cumulare non dubitasti catecheticos libros censura eiusdem Ap. Sedis notatos, eosque gregi tuo proposuisti uti integros et purioris doctrinae fontes. *Nemo* autem *non intelligit apertam hinc inferri violationem dogmaticis iudiciis, quae Petri Cathedra tulit, eorumque censorem te constituere, tamquam minus religioni consultum fuerit in his, quae a Summis Pontificibus definita fuere.* Longe aliam in Cleri institutione esse Eppi curam perspicuum est; nam cum anima ovium ab Eppo pendeat, atque Ecclesiasticorum scientia in populum defluat, eos imbuere maxime interest doctrina omnino tuta, neque impugnationi obnoxia, multoque minus reprobata, diligenterque cavendum, ut Praesules Clerum populumque rectae religionis eloquia doceant non transgrediendo iam positos terminos; *quodsi controversia aliqua fuerit excitata, ea non aliter est interpretanda, quam iuxta probata ab Apost. Sede iudicia: illius enim sanctiones uti ab ore Petri derivantes normam praebuerunt iis, quae in Conciliis postmodum acta sunt;* qua de re neminem latet *Ephesinam Synodum depositionis sententia perculisse Nestorium, cuius errores Coelestinus Romanus Pontifex praedamnaverat,* ac *Chalcedonenses Patres contra Dioscorum clamasse, Petrum per Leonem esse locutum;* nec minus patet *S. Victorem praedecessorum prementem vestigia lucem praetulisse Nicaeno Concilio I,* cum de paschalis diei celebratione disceptabatur.

Plura in id adducere exempla supervacaneum modo arbitramur, satisque nobis est animadvertere, *dum in Synodis prolata sunt Apost. Sedis decreta, numquam est actum, ut contenderetur de incertis, sed ut certa atque immutabilia consacerdotum et comministrorum compendiosa definitione promulgarentur.* Maximam hinc constitui Romani Pontificis auctoritatem in fidei negotiis nemo non videt, ac constanter fuit in Catholica Ecclesia receptum; idque probe sentiebat Theodoretus Cyri Eppus Apost. Sedis sententiam expectans, enixeque D. Leonem rogans, ut rectum ac iustum eius tribunal invocanti opem ferat, iubeatque ad eum venire et suam doctrinam apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere; cui consonat tum adhortatio Petri Chrysologi ad Eutychen scribentis: ‚ut his, quae a beatissimo Papa Romanae civitatis scripta sunt, obedienter attenderet, quoniam B. Petrus, qui in propria sede et vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem; nos enim pro studio pacis et fidei extra consensum Romanae Civitatis Eppi causas fidei audire non possumus;' tum D. Hieronymi ratio, qua non modo Theophilo testabatur, ‚nil sibi esse antiquius, quam Christi iura servare, nec Patrum transferre terminos, semperque meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam, cuius se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur,' sed ad retundendum Rufinum Italiae Epporum iudicium ceteroquin temere sibi asserentem scitissime ad eius memoriam revocabat maximam Romanae Ecclesiae auctoritatem, urgebatque admirantis in modum ‚quomodo probaverit Italia, quod Roma contemsit, Eppi susceperint, quod fides catholica condemnavit?' Quibus sane, ne hae literae nostrae longiores nimis evadant, duo prae multis addere etiam lubet recentis aetatis in eandem sententiam monumenta, doctrinam nempe D. Thomae Aquinatis, quae probat ad Petri successores pertinere finaliter determinare ea, quae sunt fidei, ut ab omnibus inconcussa fide teneantur; nec non alteram Universitatis Lovaniensis; inter ceteros enim ab eadem sexta die mensis Decembris a. 1544. promulgatos doctrinae articulos 25 extat hisce conceptus verbis: ‚certa fide tenenda sunt non solum quae Scripturis expresse sunt prodita, sed etiam quae per traditionem Ecclesiae Catholicae credenda accepimus, et quae definita sunt super fidei et morum negotiis per Cathedram Petri, vel per Concilia Generalia legitime congregata.' Quos sane articulos Imp. Carolus V

ut fortius custodirentur, constitutione Bruxellis die 13 Mart. 1545. lata suo communivit praesidio. Hinc iam diu inductum in Ecclesia est, quoties fidei ratio ventilatur, omnes fratres ac coepiscopos nostros (verbis utimur D. Innocentii I. Patribus C. Milevitani scribentis) ad Petrum sui nominis et honoris auctorem referre debere, quod per totum mundum possit Ecclesiis omnibus in commune prodesse. Neque aliter se gessit D. Hieronymus, dum inter serpentes Arianae haereseos errores Damasum consuluit, ut eo duce securae tranquillitatis portum attingeret; atque in idem recidit articulus 23 praelaudatae Univ. Lovaniensis, quo traditur: unus est Ecclesiae summus Pastor, cui omnes obedire tenentur, ad cuius iudicium controversiae, quae super fide et religione existunt, sunt referendae. Sane dolendum, quod huiusce providentiae ratio praesens tibi minime fuerit ante instructionis tuae promulgationem; si enim ad nos eam detulisses una cum altera, quam tradis specimen catecheseos continere, procul dubio non ausus esses amplecti propositiones a definitivo RR. Pontificum iudicio saepius proscriptas, quas solummodo propugnant pauci pseudo-eppi, aliique refractarii: impensa enim, qua erga te incendimur, caritate et quo lenitatis spiritu fratres omnes in officio continere percupimus, admonuissemus, quod contra ea, quae apostolicis sunt fundata decretis, nihil cuique audere conceditur, ita, ut si quis diversum aliquid decernere velit, se potius minuat, quam illa corrumpat, causamque iampridem definitam haud decere per paucorum insipientiam ad coniecturas opinionum et ad carnalium disputationum bella revocare; quoniam id esset magis dubitare, quam credere, magis certare quam nosse, magis sequi concussa quam servare decreta; ac facile detexisses seductores studiis suis insidiose subrepere velle, ut statuta evangelicis praedicationibus et Patrum traditionibus consonantia novo fiant infirma iudicio, et dum disceptatio admittitur, auctoritas auferatur. Nam si humanis persvasionibus semper foret liberum disceptare, numquam deessent, qui veritati audeant insultare, nullusque contentionibus ac certaminibus finis, si de his, quae plurimorum Pontificum consensione firmata sunt, novum liceret ferre iudicium. Si in hac nostra aetate haeresum furor ad id devenisset, quod tempore D. Leonis in Aegypto contingebat, consolationis locus nobis fieri posset, quam idem experiebatur, quando Anatolio scribebat: ‚quod ex omni nu-

mero Epporum, qui Aegyptiacis dioecesibus praesunt, solum dudum damnati potuerunt quatuor inveniri, qui Timotheo et impietate haereseos, et sceleris latrocinio iungerentur.' Sed cum pacatior nostra sit aetas, ac catholica dogmata, in quae adstruuntur insidiae, solide iam constabilita fuerint et recepta, merito tristitiae dolorisque nobis gravissimum accederet argumentum, si hodie in Hetruria idem Epporum numerus inveniretur. At te ab horum numero procul abesse certa tenemur spe, atque in non mediocrem laetitiae causam nos adducet studium, quod religio tua est habitura, uti plane confidimus, ad reformationem tum instructionis editae, atque ad nos missae, tum catechismi promulgati, quando eidem instructioni, uti pertimescimus, adhaereat. Id vero ut alacriori animo fiat, in memoriam tibi revocamus Augustini exemplum, qui rectractationum libros promulgavit, ne longa narratione alios recenseamus viros tum sanctitate, tum doctrina, tum dignitate praeclaros, qui minus caute prolata revocare non dubitarunt; serioque recogita verba Damiani religionis plenissima: ‚nos, si quid erravimus, ad Petri magisterium corrigendi libenter accedimus, et retractationis opprobrium non veremur.' Nos, qui custodes esse debemus paternarum constitutionum, unde assensum praebere non possumus illarum impugnationibus, haec tibi scribere haud distulimus, optantes in Domino securam tecum habere concordiam, gratiamque fraternae caritatis impendere, ac dilectionem non negamus, ut manifestationem catholicae veritatis expectemus; iucundum enim nobis accidit, verba D. Leonis erga Eppum CPnum tecum adhibere potius, quam officio excitari, pertrahique altero monito D. Petri Damiani tradentis: ‚qui vice Petri claves tenet, ipse potissimum adversus novum dogma consurgat, et introductores pravitatis dignae sententiae iaculo confodiat.' Age igitur, ven. frater, admove manus, ut instructio tua ad nos transmissa ea ratione reformetur, qua in ea nihil supersit, quod doctrinas ab Apost. Sede definitas impugnet, nihilque quod receptas a praedecessoribus nostris probatasque sanctiones ullo modo offendat; id enim non modo maxima cor nostrum perfundet laetitia, sed fiet inde satis muneri a te in ipso consecrationis actu coram Ecclesia suscepto, ubi professus es Constitutiones Apostolicas veneranter amplecti, docere ac servare. — Datum Romae XIII Cal. Nov. 1786.

1018. *Breve alterum.* Ab expectatione nostra longe devia est responsio a te literis nostris data, quibus curabamus a consilio te revocare, in quod incidisti promulgatione epistolae, unde doctrinae emanant, quae scandalum praebent Ecclesiae, iniuriamque Apost. Sedi: postulas enim, ut tibi explicetur, quid epistola tua contineat, quod cum dogmaticis Apost. Sedis iudiciis minus cohaereat, tibique quodammodo assumens eorumdem iudiciorum censuram, rationes quibus innixa sunt tibi tradi postulas, tunc paratum te praebens epistolae tuae reformationi operam dare, ubi de iis fueris convictus. Haec agendi ratio convenire minime potest cum Apost. Sedis auctoritate, quam te literis tuis venerari affirmas, neque animi candorem praesefert, sapientiamque exprimit, quae tuae consona sit dignitati. Quum enim studio dataque opera ab Apost. Sedis definitionibus doctrinisque deflectas, ac prae ceteris Ianseniana haeresin phantasma atque inanem speciem appelles, licet nullus ignoret, tuque probe scias, eam ab Innocentio X confixam, uti vere in Galliis praesertim serpentem haeresin Alexandrum VII certa etiam formula Christ. Regis postulatione in hunc finem constituta atque ab ecclesiasticis signanda reprimere adlaborasse, ac neminem lateat definita iam diu causa non vero definito errore Clementem XI inter multiplices curas notissima constitutione ‚Vineam Domini' monuisse Ecclesiam: patens fit, immerito te ignorationem nunc simulare eorum, quibus epistola tua Apost. Sedem de doctrinae integritate sollicitam graviter offendit; idque eo minus affirmari potest, quo clarius libros adhibes, ac laudibus cumulas auctores, qui eiusdem Apost. Sedis decretis repugnare ac detrahere non reformidarunt, parvique faciens censuras in eorum scripta inflictas, ad eadem uti ad innocuos doctrinae fontes Clerum excitas tuum. Valde vero deciperis, quando rationibus de editis ab Apost. Sede decretis vis esse convictus, ut eis tuum submittas assensum; id enim privatum de fidei morumque rebus spiritum induceret, quod catholico dogmati omnino repugnat. Quapropter *nobis minime convenit, ut de semel prolatis iudiciis, quae nonnisi praevia severiori discussione sunt edita, reddamus rationem;* imo pro munere dignitateque nostra a novis concertationibus omnino ac diligenter abstinere debemus, alias numquam foret disputationum finis, ac minueretur auctoritas, cui sese subiicere quisque constringitur. Haec ma-

nifesta quum sint, vehementer deceptionem tuam dolemus, qua fingis longius ire, ac tempus terere, morasque nectere studes, ne vocem nostram amoris plenam facili animo admittas, acsi comperta satis tibi non forent, quae esse non possunt compertissima; impensa vero nostra in te caritas maiorem in modum sollicita, ne fratrum nomen subeat discrimen, apostolico, quo obstringimur, officio nos te iterum cogit urgere, ut scandalum Ecclesiae datum omni cunctatione praecisa sapienter tollas, quod superioribus nostris literis postulabamus; ac fraternitatem tuam enixe rogamus, atque obtestamur in Domino, ne te diutius repugnantem praebeas iis, quae a maioribus nostris sunt tradita, ac ne obfirmato animo eos sectari pergas, qui sibi soli sapere videntur, quos fama est in Hetruria hodie adstare, suosque vel calliditate, vel impudentia conatus adhibere, ut minus integra sit doctrinae ratio. — Datum Romae IV Nonas Febr. 1787.

1019. *Enunciatio AEppi* **Florentini.** — Fatendum mihi esse dolco, multa in pastorali hac epistola contineri, quae non sine gravi Summae Sedis offensione legi possunt. Inter ista connumero: *quod Iansenismum phantasticam et imaginariam quamdam haeresim appellat;* id enim tum Innocentium X, tum Alexandrum VIII, tum subsequos etiam Pontifices accusat, quasi illi auctoritatem suam contra ens rationis tantum, et contra phantasma aliquod exercuissent. Silentio hic praetereo, hanc assertionem toti Ecclesiae Pastorum corpori parum esse honorificam, utpote qui sententiam a Summo Pontifice hoc in capite pronunciatam unanimi consensu acceptarunt. — Secundo, an non Pontificis animus offendi debebat, cum inter sanae doctrinae fontes librum allegatum videret a Summa Sede atro calculo notatum condemnatumque? Equidem omnes Eppos Catholicos illam quinti Oecum. Concilii Patrum sententiam subscripturos esse existimo, quae ait: ‚Nos S. Sedem Apost. sequimur, illi obedimus, et cum illis communicamus, qui in illius communione perseverant, et condemnamus illos, qui ab eadem sunt condemnati.‘ Tertio, optime animadversum, et in malam partem versum fuisse existimo, Praelatum, dum S. Scripturam, Traditionem, Ecclesiae in Conciliis potissimum congregatae doctrinam, et tandem SS. Patrum opera tamquam puros sanae doctrinae fontes allegaret, ad quos recurrendum esset, *Summorum Pontificum constitutiones ommittere,* nullamque omnino de illis mentionem facere voluisse; cum

tamen Ecclesiae Patres et ipsa etiam Concilia summam erga praedictas constitutiones reverentiam habuisse sciantur. Haec certe omissio haud negligenda esse videtur, neque etiam locum habere debuisset tunc, quando id agebatur, ut eccles. personis sanae doctrinae fontes indicarentur, utpote inter quos fontes ab omnibus scriptoribus de locis theologicis tractantibus etiam Rom. Pontificis auctoritas connumeratur: cum illi in persona Petri dictum fuerit ‚Pasce oves meas, pasce agnos meos,' et alibi: ‚confirma fratres tuos;' in quae verba Bossuet ita commentatur: ‚Petri successores fratres suos confirmarunt in fide, et S. Petri Cathedra unitatis cathedra facta est, in qua omnes Eppi, omnes fideles, omnes pastores, omnesque greges sunt coadunati;' deinde idem Bossuet subiungit: ‚Fides Romana semper fuit fides Ecclesiae, fides S. Petri, h. e. fides ab ipso praedicata, fides ab ipso Cathedrae suae et Ecclesiae suae in depositum tradita, ibidem semper est inviolabiliter conservata, semperque fidei catholicae fundamentum fuit.'

1020. *Eppi* **Faesulani.** — Mirandum est, quare non ante Ecclesiam in suis pastoribus coadunatam, et ante SS. Patrum opera, qui nec omnes, nec eandem semper auctoritatem habent, non nominetur Ecclesia Romana, de qua tamen cum magno AEpo Remensi Hincmaro dici potest: ‚est mater nutrix, et magistra omnium Ecclesiarum, quae omnibns in dubiis fidem moresque concernentibus consulenda est ab illis praecipue, qui ab eadem in Iesu Christo sunt generati, sicut nos mediante illius ministerio catholicae doctrinae lacte ab eadem enutriti sumus.' Mirandum est, quare visibile Ecclesiae universalis Caput Summus Pontifex non nominetur, utpote in cuius persona S. Petrus semper vivet, et ex cuius cathedra S. Petrus semper loquetur, sicut hoc dixerunt et confirmarunt 630 Eppi in C. Chalcedonensi congregati. ‚Ille S. Petrus, qui a Dei Filio mandatum accepit confirmandi fratres suos, et quales fratres? Apostolos, ipsas nempe columnas, quare quanto magis in seculis futuris.' Ille S. Petrus, quem Conc. Generale VI per Agathonem successorem suum locutum fuisse putavit, et qui in successoribus suis semper fidelium fundamentum fuit. — Neque animorum persvasio, neque decisionis claritas Ecclesiae decisionibus robur addit vel obligandi vim tribuit: sed hoc Spiritus S. auctoritas efficit, qui Ecclesiam interne regendo iudicat, determinat, et per Epporum in Conciliis

congregatorum ora, vel per Pontificem decidit, cuius iudicio omnes acquiescere tenentur; secus enim Ecclesiae illiusque Capitis iudicium a iudiciis privatis non differret, in quibus ratio postulatur, quae convincat, nullaque admittitur auctoritas, quae decidat; secus etiam S. Augustinus aberrasset dicendo: ‚Evangelio non crederem, nisi Ecclesia diceret,' sed priusquam crederet, credendi rationes investigare debuisset. Africae Eppi quoque aberrassent, cum Pelagii causam tanta cum contentione agitatam decisam esse putabant, quamprimum Innocentii I responsum accepissent, finita causa publicatum, licet Pelagiani suo in errore permanserint; et licet decisionis claritas omnium animos nec persvasisset, nec coadunasset. Inde rescripta venerunt, dicebant, causa finita est, utinam aliquando finiatur error.' S. Aug. Tandem aberrassent etiam Galliae Eppi, cum Innocentio X de Iansenismi causa scribentes in ipsum compromitterent, dicentes: ‚auctoritati Summae Romanae Sedis apud antiquam Ecclesiam perspectae, cui christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium praestare tenentur.' — Ceterum nullo modo censura quadam notare posset (Eppus Faesulanus) enunciationes illas, quas Summus Pontifex in condemnanda Eppi Clusio-Pientini pastorali epistola adhibendas esse censuit: sui enim officii esse existimat, Ecclesiae Capitis sententiam de doctrina catholica pronunciatam summa cum animi veneratione ac submissione suscipere. —

1021. *AEppi* **Pisani.** — AEppus Pisensis, postquam summa qua potuit cum diligentia Eppi Clusio-Pientini pastoralem epistolam, eiusdem Eppi literas ad Pontificem datas, duo item Brevia a Pontifice ad eundem Praelatum transmissa examinasset, se ingenua cum animi sinceritate fateri debere existimat, praedictam pastoralem epistolam continere doctrinas minus sanas, quia continet propositiones aequivocas, et ad sensum vel haereticum vel haeresi proximum declinantes, vel saltem scandalosas, temerarias, tales denique, quae ab Eppo pro catholica gregis sui instructione proponi non debebant. — Accedit, pastoralem Epporum prudentiam postulare, ut ab illis doctrinis propositionibusve populo suo pro instructionis pabulo exhibendis abstineant, quas Ecclesia tamquam periculosas, suspectas etc. — reprobavit. — Porro in Eppi Clusio-Pientini instructione fere omnes propositiones a Sede Apost. in globo condemnatae, et ab

universali Ecclesia ut tales consideratae reperiuntur; quare praedicta pastoralis epistola pro populi illi concrediti instructione nociva merito est habenda. Quod hic de propositionibus dictum fuit, id multo magis de libris dicendum est, quos ille in praedicta pastorali sua epistola summopere commendat, quosque parochis pro studiorum eccles. norma proponit; etenim illorum auctorum principia generatim sumta mala esse noscuntur. His de causis AEppo Pisensi videtur, regnantem Summum Pontificem hanc Eppi agendi rationem merito improbasse, et iusta de causa illi exprobasse, quod pastoralem hanc epistolam parochis et plebi suae pro instructione promulgaverit; unde illum per Brevia sua pontificia ad emendationem, poenitentiamque faciendam merito cohortari potuit; neque enim hoc in Ecclesia Dei novum est exemplum, cum plurimorum Rom. Pontificum exempla ex plurimis Ecclesiae seculis desumta suppetant, in quibus Pontifices vi verborum a Iesu Christo ad Petrum dictorum ‚Tu aliquando conversus confirma fratres tuos' sui officii esse putarunt, ut Eppos admonerent, illosque ad limpidam sanamque religionis cath. doctrinam cohortarentur. Neque in Eppi excusationem allegari potest secunda ipsius epistola ad Rom. Pontificem data, in qua tamquam filius erga dilectum suum Patrem reverentiae plenus, et tamquam discipulus a Magistro suo petit, ut errores indicentur, debita instructio detur, rationesque convincentes indigitentur; siquidem licet sit verissimum, S. Cyprianum hoc etiam a S. Stephano Papa in causa omnino nova petiisse, id in casu nostro minime valere possit, cum hic de propositionibus iam saepius condemnatis et de quaestionibus agatur ab Ecclesia iam diu decisis, quae decisiones praeterea Eppo ignotae esse nec poterant nec debebant, quaeque semel decisae numquam amplius in dubium vocandae erant, ut decisiones eiusmodi tali modo dubiae redderentur. —

1022. *AEppi* **Senensis.** Si Eppus Clusio-Pientinus pastoralem suam epistolam Summo Pontifici ante factam promulgationem transmisisset: S. Augustinum plenissime imitatus fuisset, utpote qui Bonifacio I suum contra duas Pelagianorum epistolas opus hisce cum verbis transmisit: ‚haec ergo, quae istis duabus epistolis illorum ista disputatione respondeo, ad tuam potissimum Sanctitatem non tam discenda, quam examinanda, et ubi forsan aliquid displicuerit, emendanda constitui: ‚Quoniam vero post factam publicationem primum illam transmisit, Summus Pontifex

illam merito improbandam esse censuit, neque illam probare potuit, nisi Cardinalium, Praelatorum, et Consultorum sententiam de eadem more solito et solemni quodam modo exquisiisset; quoniam vero id sine aliqua publicitate fieri non potuisset, hinc Summus Pontifex contentus erat, ut eum ad pastoralem hanc epistolam corrigendam persvaderet. Duo vero doctrinae capita in illa nominetenus redarguit Pontifex: primo, ‚Ianseniana haeresim phantasma atque inanem speciem appellas.‘ Superfluum hic esset, repetitas Ecclesiae decisiones contra Ianseniſmum pronunciatas in medium proferre, atque ea denuo enarrare, quae Reges Christianissimi hoc in capite formarunt statuta, ex quibus satis fieret manifestum, huius haereseos existentiam negari non posse; sed sufficit animadvertere, hoc effatum per quod Iansenismus phantasma appellatur, a Clero Gallicano damnatum fuisse tamquam falsum, temerarium, scandalosum, ac schismaticum assertum, quod erroribus iam alias condemnatis favet. Et Clemens XIII in Brevi suo ad Eppum Sarlatensem die 14 Nov. 1764. dato ita se exprimit: ‚Illi, qui temerarie ac impudenter asserunt, Iansenismum nonnisi phantasma et nudam chimaeram esse, iniuriam inferunt Ecclesiae et apostolicis nostrorum praedecessorum decretis pervicacissime illudunt.‘ — Secundum, quod Summus Pontifex nominatim redarguit, istud est, quod libri aliqui in eadem instructione proponantur, qui a S. Sede indici prohibitorum sunt inserti, quem S. C. Tridentinum Summo Pontifici conficiendum reliquit, quemque eadem S. Sedes ad nostra usque tempora continuavit. — Quod ad ipsam deinde pastoralem epistolam attinet, negare non possum, me in eadem non paucas difficultates invenisse; aliquae enim propositiones eo, quo enunciantur, modo cum illis, quae ab Ecclesia et a Summis Pontificibus condemnatae iam sunt, vel eaedem omnino sunt, vel eisdem saltem sunt simillimae; aliae possunt videri ancipites, quae malum sensum habere possent; — aliae, quae erroris notam inurunt non paucis propositionibus, quae tamen in scholis catholicis passim docentur, quia numquam sunt condemnatae. —

1023. *Eppi* **Rosetini.** — Quantum ad primum Breve attinet, animadverto, SSmum Patrem, zeli et caritatis plenum, monere voluisse Eppum Clusio-Pientinum, in pastorali sua epistola — propositiones et principia quaedam contineri, quae iam alias a S. Sede fuerunt condemnata; praeterea praedictum Ep-

pum gregi suo libros et catechismos pro purae ac sanae doctrinae fontibus proposuisse, qui similiter alias iam a Summis Pontificibus sunt condemnati; unde illum hortatur, ut errorem suum corrigat, gregique suo alios libros a S. Sede approbatos et saniora doctrinae principia continentes proponat. Animadvertendum hic esse censeo, Iesum Christum, quando Apostolo suo Petro dixit, se in hac petra suam aedificare velle Ecclesiam, praedictum Apostolum suum huius Ecclesiae caput constituere, eidemque suae auctoritatis plenitudinem impertiri voluisse; quoniam vero haec Ecclesia ad seculorum consummationem usque durare debebat, necesse fuit, ut suprema haec et infallibilis auctoritas in Petri successoribus etiam continuaretur, nempe omnes Ecclesiae militantis Eppos commonendi corrigendique auctoritas: ‚et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.' Itaque si Summus Pontifex Pius VI modernum Eppum Clusio-Pientinum omni cum animi benevolentia caritateque commonefecit, memoratam suam pastoralem epistolam typis datam, et per universam illius dioecesim dispersam errores contra sanam doctrinam pugnantes continere (sicut dubium non est, eam continere plurimos, id quod facile demonstrari posset): eum hoc Breve pontificium plena cum humilitate ac animi reverentia suscipere, sese corrigere, ac retractare debuisse existimo; ille tamen hoc facere noluit, imo ausus est a Summo Pontifice rationem exigere, quare praedictam pastoralem suam epistolam reprobaverit. Deinde ego secundum Sanctitatis Suae Breve ad saepe memoratum Eppum pervolvere institui, in illoque inveni, SS. Patrem mirari, quomodo Eppus rationem exigere audeat, cur aliquas pastoralis suae epistolae propositiones erroneas et damnabiles esse declaraverit. Quin iam quaestionem hanc discutere, vel ulterius examinare velim, an Eppi petitio reverentiae primae Sedi ac Summo Pontifici debitae congruat, tantum ad exemplum a magno Doctore S. Hieronymo datum provocabo: hic enim Doctor, cum dubium aliquod nasceretur circa terminos ad certa quaedam mysteria explicanda adhibendos, per humilem epistolam ad Damasum PP. confugit, publice contestando, se sententiam ab illo pronunciatam tamquam ovem Pastoris sui voci obedientem suscipere velle. Ad aliud itidem exemplum a S. Augustino datum provocabo, qui cum Breve apostolicum ab Innocentio Papa contra Pelagianos editum accepisset, illud publice summa cum animi re-

verentia praelegit dicens: ‚Roma locuta est, causa finita est.' Adeo nempe verum est, Summum Pontificem a primis inde Ecclesiae seculis tamquam supremum iudicem consideratum fuisse, ad quem praecipue spectat, causas ad fidem moresque pertinentes diiudicare, ac definire. Porro animadvertendum est, insignes hos duos Doctores nullam factae decisionis causam a Pontifice postulasse. Hoc sane pulchrum est exemplum Eppi Clusio-Pientini imitatione dignum, ut Summum Pontificem tamquam supremum ac infallibilem Ecclesiae universalis magistrum revereri, eidemque obedire discat, quando de dogmatibus et de religione agitur. —

1024. *Eppi* **Massa-Veternensis.** (Post plures animadversiones in pastoralem epistolam factas sic prosequitur:) — Pontifex in primo Brevi responsionis loco ait, se pastoralem hanc epistolam examinasse, eamque sibi displicuisse sequentes ob causas: primo, quia certis quibusdam in capitibus maior, quam adhibita fuit, disquisitio requirebatur; secundo, quia pastoralis haec epistola tali modo concepta est, ut multimode a Sedis Apost. doctrina deflectat, praeterea quia continet, et adoptat propositiones a S. Sede Ap. iamdudum proscriptas; tertio, quia catechismos laudat ab eadem Sede Ap. censura notatos. Quare ex plurimorum Patrum et ex certi cuiusdam Concilii auctoritate probat, Eppos Sedis Ap. iudicio esse omnimode subiectos. — Tandem Pontifex Eppum amicabiliter cohortatur, ut pastoralem suam instructionem et catechismum corrigat, suumque ius ac auctoritatem, quam habet, errores condemnandi, quamprimum in lucem prodeunt, ac disperguntur, omnino dissimulat ac tacendo praetermittit. — Eppus Clusinus in epistola ad Pontificem petit, ut Pontifex sibi indicet, qualesnam sint errores, qui in praedicta instructione continentur, et quaenam in ea principia inveniantur minus recta et a dogmaticis Ecclesiae Romanae decisionibus aliena? se enim credere non posse ait, tam instructionem quam catechismum ex integro malum ac erroneum esse, quoniam personae tam doctrina quam dignitate eminentes eidem certissimam distinctissimamque approbationem dedissent. — Animadvertendum hic esse arbitror, hoc postulatum, ut erronea principia indicentur, hic locum habere non posse, quia in primo Brevi pontificio haec iam sufficienter indigitata erant. — Porro animadvertenda etiam venit haec propositio ab

Eppo minus apte adhibita, dum ait: ‚plures personas doctas doctrinam suam praevie approbasse‘; quasi vero privatum quorumdam iudicium Romani Pontificis iudicio esset praeferendum, qui tamen ab omnibus pro universalis Ecclesiae Patre ac Magistro habetur. Tandem haec etiam animi contestatio ab Eppo in medium prolata, ‚se Pontifici obedire illiusque iudicio sese conformare velle, si rationibus convictus fuerit,‘ omnem Sedis Ap. auctoritatem iudicandique potestatem evertere videtur. Nemo unquam dubitavit, eum, qui errores defendit, eisdemque pertinaciter inhaeret, a Sede Apostolica et a Conciliis censura notari posse, sive convictus fuerit sive non. — **Brancadoro** *Pii VI P. M. Allocutiones, Brevia etc.* p. 198. 214. et: **Schwarzel** *Acta Congr. Epp. Hetr.* IV.

Instar Appendicis ad enunciationes Praesulum Hetruriae pro iuribus Rom. Pontificis factas subnectimus praestantissimi APraesulis Florentini literam ad Eppum Pistoriensem de innovationibus ab hoc susceptis: e qua luculenter apparet, quidnam tenuerit AEppus de sic dictis originariis Epporum iuribus, per Pistoriensem Praesulem revindicari postulatis.

1024. *b. AEppi Florentini litera ad Eppum Pistoriensem de sic dictis originariis iuribus Epporum, 1788.* (Ex Ital.) Das Schreiben, welches Ew. Hochwürden mir zusandten, voll der bei Ihnen eingeführten Neuerungen, und voll der Empfehlungen und Aufforderungen an mich, das römische Joch abzuschütteln, um unsere Auctorität zu erhöhen, hat bei mir gerade das Gegentheil, nämlich die Furcht rege gemacht, die Auctorität, welche ich noch besitze, elendlich zu verlieren. Ew. Hochwürden müssen mir gestatten, mich, hierüber mit jener Freimüthigkeit auszusprechen, wie sie das Amt, das ich in der Kirche bekleide, erheischt. In den gegenwärtigen Zeiten muss ich wirklich fürchten, dass dieses erhabene Amt mehr zur Strafe, als zur Ehre gereiche.

Was verstehen Sie denn eigentlich unter den ursprünglichen Rechten? Denn ich liebe eine klare Beleuchtung der Dinge und die Feststellung der Bedeutung der Worte, um Begriffsverwirrungen zu vermeiden. Verstehen Sie unter ursprünglichen

Rechten diejenigen, welche bei dem römischen Papste aus dem Primate der Gerichtsbarkeit hervorgehen, oder solche Rechte, welche dem Begriffe der bischöflichen Würde wesentlich angehören und inwohnen, so dass keine andere Auctorität der Erde sie einschränken und schmälern kann? Nehmen Sie die Sache im erstgedachten Sinne, so fällt die Frage von selbst; denn in diesem Falle würden Sie mich geradezu zur Empörung gegen den obersten Hirten, den Stellvertreter Jesu Christi auffordern. Haben Sie aber die zweite Bedeutung im Auge, wie das Ganze Ihres Schreibens anzudeuten scheint, so glauben Sie also, dass die von dem Papste bis auf diese Zeit über die Bischöfe und Kirchen ausgeübte Jurisdiction eine tyrannische, gewaltthätige, ungerechte Usurpation gewesen ist. Ich gestehe, dass ich gewaltig erstaunte, als ich die Schwäche und Falschheit der Beweise sah, welche Sie zur Unterstützung einer so gewagten Behauptung beibringen. Sie beginnen damit, dass Sie sagen, die Päpste der ersten Jahrhunderte hätten die Jurisdiction über die Bischöfe, welche sie jetzt ausüben, nicht gehabt. Kann es Ihnen unbekannt sein, dass der heil. Petrus und seine ersten Nachfolger eine Menge Bischöfe in verschiedenen Theilen der Welt, und in bestimmten Städten, mit Bezeichnung von Völkern, Bezirken, Ländern und Reichen um ihre bischöfliche Sendung zu erfüllen, einsetzten? Sind das nicht Acte der obersten Gerichtsbarkeit über die Bischöfe und Kirchen der Welt, und wurden diese Acte nicht ausgeübt, ohne die Beistimmung der Völker, ohne die Genehmigung des Klerus, ohne die königliche Sanction? Geschah diess nicht kraft der dem heil. Petrus von Jesus Christus ertheilten Gewalt: *Pasce oves meas . . . tu es Petrus . . . quodcumque ligaveris?* etc. Ist diese Gewalt des heil. Petrus und seiner Nachfolger nicht ein katholisches Dogma, welches von allen Kirchenvätern gelehrt, und durch mehrere ökumenische Concilien, wie die von Chalcedon, Lateran, Lyon, Florenz, Trient, bestätigt wird?

Es ist aber doch gewiss, fahren Sie weiter, dass die Päpste der ersten Jahrhunderte die ausgedehnte Gerichtsbarkeit, welche sie gegenwärtig über die Bischöfe annehmen, nicht ausübten. Also haben sie selbe auch nicht. — Ich könnte den Vordersatz läugnen, und Ihnen eine Menge Acte der Gerichtsbarkeit nachweisen, welche die Päpste über die Bischöfe selbst der Pa-

triarchalkirchen, das ist der vorzüglichsten griechischen Kirchen ausgeübt haben. Da ich jedoch nur einen Brief, nicht aber ein Buch schreibe, so lasse ich für einen Augenblick den Vordersatz bei Seite, und widerspreche dem Schluss, den Sie daraus ableiten. Wenn eine solche Schlussfolgerung richtig ist, so muss man auch folgendes Raisonnement zugeben.

Durch die Geschichte ist es gewiss, dass die zeitlichen Fürsten über ihre Unterthanen nicht immer jene Gewalt ausgeübt haben, welche sie heut zu Tage ausüben, oder wenigstens erliessen sie nicht so viele Verordnungen, und gingen sie mit ihren Gesetzen nicht so sehr in das Detail ein, wie sie jetzt zu thun pflegen. Also haben die Fürsten jene Gewalt nicht, die sie heut zu Tage ausüben. — Wer sieht nicht die Falschheit dieses Schlusses? Die Fürsten haben die Gewalt empfangen, die ihnen untergebenen Völker zu lenken und zu regieren; die Ausübung dieser Gewalt ist bald mehr, bald weniger ausgedehnt, je nachdem es das Bedürfniss, die Umstände und das Wohl des Staates erheischen. Um die königliche Gewalt zu beweisen, fordert kein Mensch, dass sie an allen Orten und unter allen Umständen gleich sei; sondern man verlangt nur, dass die Macht ausgeübt werde in dem Masse, als das Bedürfniss der Unterthanen, das Interesse des Staates, der Nutzen der Monarchie es erfordern; und diess wird dem Urtheile des Fürsten überlassen.

Wenn also die Fürsten in den vergangenen Jahrhunderten ihre Macht nicht in der Ausdehnung, wie heut zu Tage ausübten, so war es nicht, weil sie diese Macht nicht besassen, sondern weil sie eben nicht für nothwendig hielten, davon Gebrauch zu machen. Und wenn sie dieselbe heut zu Tage mit grösserer Thatkraft spielen lassen, so geschieht es, weil sie glauben, dass das öffentliche Wohl es verlangt. Ich frage Sie nun, soll dieses Argument, das lächerlich ist, wo es sich um Fürsten handelt, nur Petrus und seinen Nachfolgern gegenüber richtig sein? Was wäre etwa der Grund dieses Unterschiedes, wenn nicht vielleicht der, dass die Fürsten eine solche Lehre nicht ungestraft würden verkünden lassen, während man hofft, dieselbe vor dem Richterstuhle der Menschen gegen die Päpste ohne Gefahr behaupten zu können?

Doch um den päpstlichen Thron umzustürzen, trägt man kein Bedenken, auch die Throne der Fürsten in Gefahr zu brin-

gen. Mit solchen Lehren verräth man die Fürsten, während man sie zu vertheidigen und zu unterstützen vorgibt. Sie werden mir da vielleicht das angeborne und unwandelbare Recht der Fürsten entgegenhalten. — Und ich berufe mich auf die göttlichen und unfehlbaren Worte zu Gunsten des heiligen Petrus, Worte, welche ein unbestreitbares Dogma bilden: *Tu es Petrus . . . pasce oves meas . . .* welches Dogma von der ganzen Kirche von jeher unabänderlich gelehrt und anerkannt worden ist.

Nein, Monsignor, es genügt nicht zu beweisen, dass die Päpste die Acte der Gerichtsbarkeit, welche sie gegenwärtig ausüben, nicht immer ausgeübt haben; man müsste beweisen, dass Jesus Christus dem heil. Petrus und seinen Nachfolgern die Gewalt die Kirche zu weiden, zu lenken und zu regieren, nicht verliehen habe. Da dies nicht bewiesen ist, und Sie werden es nie beweisen, so sind alle Ihre Bemühungen umsonst.

Um die Wirksamkeit der Beschwerden an den heil. Stuhl und der von demselben erlassenen und in der Kirche mit vollkommener Unterwürfigkeit befolgten Gesetze zu zerstören, berufen Sie sich auf die falschen Decretalen und auf die Barbarei und Unwissenheit jener Jahrhunderte, welche den päpstlichen Gesetzen blinden und ungerechten Gehorsam zollten. — Diese lächerliche Erklärung findet sich heut zu Tage bei allen neuern Schriftstellern wieder.

Wenn, um die klaren Gründe eines Gegners zu widerlegen und umzustossen, es genügte, ihm zu erwidern: Sie sind ein Unwissender, ein Fanatiker, so wäre der Sieg leicht; einen Menschen mit Schmähungen überhäufen, ist leichter, als ihm mit guten Gründen entgegentreten. Nun frage ich Sie, Monsignor, warum glaubten die Jahrhunderte, welche Sie barbarisch und unwissend nennen, so fest an die Vollgewalt der Jurisdiction der Päpste über die ganze Kirche und ihre oberste Macht, sie zu lenken und zu regieren? Glaubten sie daran nicht als an ein, im Evangelium enthaltenes, von den heiligen Vätern bekräftigtes, durch mehrere Concilien bestimmt ausgesprochenes, katholisches Dogma? In dieser Beziehung waren die fraglichen Jahrhunderte weit entfernt von der Barbarei und Unwissenheit, die man ihnen beizulegen beliebt. Ihr Glaube war weit reiner, als der vieler Christen des 18. Jahrhunderts, welche geradezu dem heil. Geiste widerstreben, ihre Augen geflis-

sentlich dem Lichte verschliessen, und, da sie gar zu gerne gegen die Wahrheit, die ihnen missfällt, gute Gründe finden möchten, aber nicht finden, zu dem verzweifelten Mittel greifen, Jeden des Fanatismus und der Unwissenheit zu beschuldigen, der nicht die Vermessenheit hat, sich gegen die erkannte Wahrheit zu empören.

Wenn der feste Glaube an ein Glaubensdogma ein charakteristisches Merkmal der Barbarei ist, so ist die ganze Kirche, vom heil. Petrus angefangen, bis auf Pius VI. barbarisch und unwissend gewesen; um diese Barbarei zu vertreiben, müsste man aufhören, Katholik zu sein, und zu den Protestanten gehen, um Wissenschaft und Licht zu suchen. Um diesen Preis kaufe ich die Wissenschaft nicht; da bleibe ich lieber in meiner Unwissenheit und in meinem Glauben. Also waren die fraglichen Jahrhunderte barbarisch und unwissend, da Sie sie so zu nennen belieben, nicht deswegen, weil sie an ein katholisches Dogma glaubten, sondern wegen des Verfalles der Wissenschaften, die nur von Wenigen gepflegt wurden, wegen des Verderbnisses der Sitten, wegen der Unruhen und Revolutionen in den Reichen und Monarchien. Diese Barbarei nun scheint mir gerade ein sehr starkes Argument zu Gunsten des Dogma's von der päpstlichen Suprematie. Diese Unruhen, diese Unwissenheit, diese Pflichtvergessenheiten, sollte man meinen, wären wohl sehr kräftige Beweggründe sowohl für Laien, wie für Geistliche gewesen, das Joch des Gehorsams gegen die römischen Päpste abzuschütteln, deren Decrete der allgemeinen Zügellosigkeit energisch entgegentraten. Gehorsam war von jeher dem menschlichen Stolze zuwider: die Natur ist sich in allen Jahrhunderten gleich geblieben. Ich frage daher, warum haben die Menschen in jenen Jahrhunderten der Unwissenheit und der Finsternisse das Joch des römischen Papstes nicht abgeschüttelt? Warum haben sie im Gegentheile seine Gewalt durch ihren Gehorsam bekräftiget? Welches menschliche Interesse war im Stande sie zurückzuhalten? Also nur die innige Ueberzeugung von ihrem Glauben, die sie mitten unter ihrer Barbarei nicht verloren, wie man sie heut zu Tage bei der socialen Abgeschliffenheit so leicht verliert, war es, was ihre Barbarei im Gehorsame gegen den römischen Papst erhalten konnte; und trotz aller Leidenschaften beugten Weltliche und Geistliche Haupt und Knie vor

Demjenigen, von dem sie wussten, dass er von Jesus Christus die universelle Gewalt über die ganze Kirche empfangen habe.

Ferners versuchen Sie, Monsignor, meinen Geist mit dem Gedanken an meine ursprüngliche Gewalt zu erfüllen, und sagen mir wunderbare Dinge von dieser Gewalt. Sie halten mir die kräftige Freiheit vor Augen, welche ich gewinnen würde, wenn ich mich der veralteten Vorurtheile entledigen, meine Augen endlich einmal öffnen, und von allen meiner Würde anklebenden Rechten Gebrauch machen würde. Wäre ich nur ein wenig zum Ehrgeize geneigt, so würde es mir schwer fallen, nicht in diese Schlinge einzugehen. Doch wir leben in einem aufgeklärten und vorurtheilsfreien Jahrhunderte (ich bediene mich Ihrer eigenen Ausdrücke). Unter den Aufklärungen, die mir in diesem Jahrhunderte zu Theil geworden sind, ist aber die vorzüglichste die feste Ueberzeugung, die ich habe, dass alles dieses nur ein sehr fein angelegtes Kunststück ist, welches bei einer grossen Zahl von Menschen durch einen gewissen Geist der Ketzerei hervorgebracht, von Andern aus Politik unterstützt, und von wieder Andern aus blindem Stolze und aus einer Begierde nach jener Herrschaft im Klerus, welche der heil. Petrus uns zu vermeiden empfiehlt, angenommen wird, und dass alles dieses nur darauf hinausläuft, Anarchie, dieses Endziel aller Wünsche, in die Kirche einzuführen. Wer wird Ihnen glauben, dass die neue Lehre, welche den ehrwürdigen Primat des römischen Papstes von vorne angreift, und gegen die unumstösslichsten und klarsten Zeugnisse des Evangeliums zu Gunsten Petri und seiner Nachfolger sich auflehnt, sich vor dem Bischofe einer einzelnen Diöcese demüthigen, und seine Rechte in Unterwürfigkeit und Folgsamkeit anerkennen und achten wird? Diese Lehre, die auf die Worte: *Tu es Petrus... pasce oves meas... quodcumque ligaveris* etc. nichts hält, die sollte in Demuth sich den Worten des Apostels fügen: *Posuit vos spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei?* Wer, Monsignor, wird Ihnen dieses monströse Paradoxum des 18. Jahrhunderts glauben? Und sind die Völker einmal so weit gekommen, zu wissen, dass man sich gegen die Befehle der Päpste mit Recht auflehnen, alle Tradition und alle die feierlichen Zeugnisse der heiligen Väter zu Gunsten unsers Glaubens verwerfen kann, werden sie dann nicht dasselbe thun gegen die ursprüngliche

Gewalt der Bischöfe? Schöne Entdeckung unsers Jahrhunderts! Man will die Völker daran gewöhnen, den den römischen Päpsten schuldigen Gehorsam abzuschütteln, um sie unterwürfiger und folgsamer zu machen gegen die Auctorität der Lenker bischöflicher Stühle! Zu dem Grade von Wahnsinn, dessen es bedürfte, um mich von solchen Dingen überzeugen zu lassen, bin ich, Gott sei Dank, noch nicht herabgekommen.

Doch wozu viele Worte, wenn wir Bischöfe schon die sprechendsten thatsächlichen Beweise vor Augen haben? Schon seit langer Zeit preist man uns unsere ursprünglichen Rechte vor: bisher hat man zwar noch nichts gethan, um uns in den Besitz dieser vorgeblichen Rechte gegen Rom zu setzen, wohl aber Vieles, um uns derselben in unseren Diöcesen gänzlich zu berauben. Man gibt uns das Schwert in die Hand, um gegen den heil. Stuhl zu kämpfen, und dann wendet man es gegen uns selbst.

Man hat uns gesagt, die Bischöfe hätten ihre Gewalt unmittelbar von Jesus Christus, und diese Gewalt sei in ihren Diöcesen ebenso ausgedehnt, wie die des Papstes in der ganzen Kirche, und doch ist diese grosse, uranfängliche, von den Canonen der Kirche unabhängige Gewalt dem Belieben irgend eines Andern unterworfen, der sie lähmt und vernichtet. Selbst die Ertheilung der Priesterweihe ist nicht mehr unserer Entscheidung anheimgestellt und von uns abhängig: der Beruf zum Priesterthum ist nicht mehr unserer Prüfung unterworfen, er hängt von dem Willen eines Andern ab. Der Klerus fürchtet und respectirt ganz ein anderes Tribunal, als das seines Bischofs. Die Vergebung der Pfründen ist auf eine Weise beschränkt und eingeengt, dass man oft genöthigt ist, sie an Leute zu vergeben, die kein anderes Verdienst haben, als dass das sie durch ihre Sitten, durch ihre Umtriebe, durch ihre Lehre an ihrer Kirche zu Verräthern geworden sind. Kurz, unsere grosse Gewalt hat bald keine Subjecte mehr, über die sie ausge übt werden könnte.

Man sagt uns, die Bischöfe seien die natürlichen Richter des Glaubens; wenn wir aber gegen ärgerliche, irrige und selbst ketzerische Lehren unsere Stimme erheben, so wird die geheuchelte Unterwürfigkeit gegen die bischöffliche Würde alsbald in offenen Hass umgewandelt; man überhäuft uns mit

Schmähungen, und sagt, wir seien Unwissende, Fanatiker, Hildebrandisten.

Man sagt, wir seien die eigentlichen Bewahrer der gesunden Lehre, und wir sind gezwungen, den Kathechismus für unsere Gläubigen aus dem Munde und der Feder von — dem Interesse und der Politik verkauften Privatgelehrten zu empfangen. Diese Gelehrten errichten unsern bischöflichen Stühlen gegenüber Lehrstühle der Pest, und nehmen sich heraus, uns aufklären und belehren zu wollen. Wir sind Richter des Glaubens; aber wenn wir ein Wort Glauben und Christenlehre sprechen, dann sind wir nicht mehr vom heiligen Geiste geleitet, der uns gesetzt hat, seine Kirche zu regieren; sie allein haben den Geist der Weisheit und des Rathes, und sie verlangen, dass wir uns hinsetzen zu den Füssen ihrer stolzen Kanzel, als ehrerbietige und stumme Schüler.

Man sagt, wir seien die Richter des Glaubens, aber man sagt auch, wir verdienen das Vertrauen unseres Volkes nur, wenn wir die Lehre der Kirche predigen, und um zu wissen, welche diese Lehre ist, müssen wir unsere Kirche fragen, und uns selbst von ihr aufklären lassen.

Man sagt, nicht nur die Bischöfe hätten bei den ökumenischen Concilien und bei den Diöcesan-Synoden entscheidende Stimme, wie die Jahrhunderte der Unwissenheit glaubten und thaten, sondern auch die Seelsorger und die einfachen Priester; Gott gebe, dass man nicht auch noch die Laien dazu setze! Und doch sollen wir glauben, dass wir die wahren Richter des Glaubens sind. Welcher Wust von Widersprüchen in diesen Jahrhunderte des Lichtes und der Vernunft!

Man sagt, wir haben volle Gewalt im Punkte der Kirchenzucht; aber die Kirchenzucht steht in voller Abhängigkeit, und dem vollen Einflusse ganz anderer Personen, als der Bischöfe. Wir sind bald nichts mehr als ohnmächtige Zeugen von dem Verfalle unsers Klerus, von der Rebellion und dem Verderbnisse unserer Völker, ohne zur Hebung dieses grossen Unheils auch nur das kleinste Mittel anwenden zu dürfen; machen wir Vorstellungen ob dieses Unheils, so antwortet man uns, wir hätten zu gehorchen, nicht aber Beschwerden zu erheben; zeigen wir irgend einen Widerstand, so wird die Stimme erhoben, und werden selbst Drohungen nicht gespart.

Man sagt, wir haben volle Gewalt in unserer Diöcese, und die apostolischen Reservationen seien ungerechte Schmälerungen unserer rechtmässigen Gewalt, einer Gewalt, die kein Mensch uns rauben könne; unterdessen lehnen sich die Seelsorger gegen uns auf, und schreiben sich ein göttliches Recht in ihren Pfarreien zu. Anstatt ihnen Demuth und Ehrfurcht gegen uns einzuflössen, weil wir Gott Rechenschaft ablegen müssen über die Bevölkerung, die er unserer Sorge anvertraut hat, erfüllt man ihren Geist mit Hochmuth und mit dem Dünkel, als wären sie apostolische Herrscher in ihren Sprengeln. Um den römischen Papst zu erniedrigen, wollte man die Bischöfe des ihm schuldigen Gehorsams entbinden; und ebenso will man jetzt die Seelsorger ihrer Unterordnung unter ihre Bischöfe entledigen, um das Episcopat zu demüthigen. Aber wie? bilden sich die Seelsorger villeicht ein, die Ehre und die Macht welche sie den Bischöfen entreissen, für sich zu erwerben? Sie wären Thoren, so etwas zu glauben, Sie begreifen noch nicht die Arglist und die verborgenen Umtriebe dieser neuen Kirchenlehrer. Die neue Lehre ist schon in Bereitschaft, und schon beginnt man anzudeuten, dass die Schlüsselgewalt von Jesus Christus nicht dem Petrus, nicht den Aposteln, sondern der ganzen Kirche im Allgemeinen verliehen wurde, welche die Ausübung derselben den von ihr bestellten Personen überträgt, und dass diese reine und einfache Ausübung immer vom Volke abhängt. Dank dieser Lehre wird es nicht lange mehr anstehen, bis die Seelsorger nur mehr Sklaven des Volkes sein werden, das sie zu regieren sich schmeicheln; sie werden sein, was nun der Prediger bei den Ketzern ist. So geht es mit den Glaubenssachen. Der erste Irrthum erzeugt den zweiten; die Kirche, wie sie Jesus Christus eingesetzt hat, will man nicht, und das Ende davon ist, dass man bald gar keine mehr hat.

Man sagt, diese neuen Lehrer wollen in ihrem Eifer für die Säuberung der Kirche von der Ketzerei und dem Sittenverderbnisse der vergangenen Jahrhunderte, die Hirten und die Völker aufklären, um sie aus der allenthalben herrschenden Finsterniss und Verderbtheit herauszureissen: unterdessen aber untergräbt dieser so reine Eifer für die christliche Moral mit dem vermessensten Widerspruche die Grundlage des Glaubens an Jesus Christus, worauf die christliche Moral sich stützt.

Während die geringste Uebertretung des Gesetzes sie mit Schauder erfüllt, *excolantes culicem*, scheuen sie sich nicht, über den Stellvertreter Jesu Christi unbarmherzig herzufallen, die Einheit der Kirche, seiner Braut, zu zerreissen, die Völker gegen den Papst und die Bischöfe aufzuwiegeln, und durch ihre falsche Wissenschaft einer grossen Anzahl Seelen, die bald den Glauben verlieren, Aergerniss zu geben, *glutientes autem camelum*. Wie stimmt das zusammen mit dem Eifer für die Moral Jesu Christi? Wie will man sich vermessen, die Sittenreinheit im Christenthume wiederherzustellen, wenn man die Grundlage desselben umstürtzt? Sollte das etwa das reine Gewissen Luthers und Calvins sein, die die Kirche zu säubern vorgaben, während sie die Irrthümer in ihren Schooss ausstreuten? Sollte das etwa das zarte Gewissen der Schriftgelehrten und Pharisäer sein, die aus Furcht vor der gesetzlichen Verunreinigung sich scheuten in das Gerichtshaus einzutreten, um mit lautem Geschrei den Tod Jesu Christi zu verlangen?

In der That aber, was ist denn auch bisher geschehen unter diesem prunkenden Vorwande der strengen Moral? Wir sind Zeugen des tagtäglich zunehmenden Verderbnisses in unsern Diöcesen. Die Theater mehren sich, die Beichtstühle stehen leer, der Tisch des Herrn wird immer verlassener, die Faste kennt man in den Städten nicht mehr, kaum findet sie noch in den abgelegensten Gebirgen unserer Diöcesen eine Zufluchtstätte. Vergnügungssucht, Weichlichkeit, Sittenverderbniss wuchern im Schatten des Unglaubens und der Philosophie, denen diese Eiferer für die gesunde Moral durch ihre Lehre Thür und Thor öffnen, indem sie einer so grossen Zahl leichter Geister Gründe bieten, zu glauben, dass der Glaube und die Moral nur Gaukelspiel seien. Wollte Gott dieser Eifer für die Moral wäre in seinen Quellen so rein gewesen, wie er es bei uns Bischöfen ist, um dieselbe in unsern Diöcesen zu erhalten und auszubreiten! Aber wir haben uns getäuscht. Diese Leute zerstörten durch die That, was sie durch ihr Wort gelehrt hatten, und wir haben am Ende eingesehen, dass dieser Eifer bei ihnen nur ein Vorwand war, um uns unbewuster Weise zur frommen Empörung gegen den Vatikan zu stimmen.

Man sagt, wir hätten volle Gewalt über die geistlichen Orden und der apostolische Stuhl hätte uns gewaltsam unserer

Iurisdiction beraubt. Indessen stehen die geistlichen Orden, was ihre äussere und innere Disciplin betrifft, unter einer ganz andern Auctorität, als unter der der Bischöfe. Die geistlichen Orden waren ehemals unsern Diöcesen von grossem Nutzen. Bei ihrer unmittelbaren Abhängigkeit von dem römischen Papste, standen sie doch in Betreff der geistlichen Amtsverrichtungen in gerechtem Masse unter uns Bischöfen. Die Generalobern wachten für das Wohl des ganzen Körpers. Die Gemeinschaft der Studien mit auswärtigen Provinzen bildete vortreffliche Arbeiter, ausgezeichnete Prediger, verständige Gewissensräthe, welche nach den Bedürfnissen der Diöcesen sich verwenden liessen zur Freude der Bischöfe und des Klerus, und zum grossen Vortheile der Gläubigen. Nun, da man sie unter unsere Gewalt gestellt hat, sind sie in Entmuthigung verfallen, sie können keine Dienste mehr leisten, sie befinden sich in einem gewaltsamen Zustande, ohne Mittel, um Geist und Wissenschaften zu cultiviren, und ganz eingenommen von dem Gedanken, für sich selbst zu sorgen auf den Fall ihrer unausbleiblich und in Bälde bevorstehenden Auflösung. Auf diese Weise prätendirt man, den Bischöfen Hilfe zu bringen, während man sie aller und jeder Mittel beraubt, den frommen Sinn zu vermehren, Unordnungen abzuhelfen, Aergernissen zu steuern.

Man sagt, das allgemeine Concilium sei das einzige gesetzliche Mittel, um Glaubensstreitigkeiten zu entscheiden; dabei schreibt man aber arglistiger Weise solche Regeln für die Rechtmässigkeit eines Concils vor, dass es, wenn diese Regeln befolgt werden sollen, geradezu unmöglich wird, dass die Kirche je ein Concil habe, dem eine entscheidende Auctorität zukäme, und gegen das man nicht eine Menge Beschwerden und Anstände erheben könnte, für den Fall, als etwa die im Concil versammelte Kirche in einem Sinne entscheiden sollte, welcher nicht nach dem Geschmacke der neuen Lehrer wäre.

Man sagt, man wolle die Reinheit der Lehre wieder herstellen, und daneben ist es der Irrthum, den man verbreitet. Die Kirchenzucht, gibt man vor wiederherzustellen, und daneben stösst man diejenige um, welche durch die ehrwürdigsten ökumenischen Concilien eingeführt worden ist. Kurz man sagt, und thut nichts von dem was man sagt, vielmehr thut man gerade das Gegentheil von dem, was man sagt.

Ich habe nichts übertrieben, Monsignor, und von allen den Dingen, die ich hier mehr nur in Kürze angedeutet, als ausführlich erörtert habe, bin ich selbst, wenigstens zum grossen Theile, Zeuge und Beweis. Für das Uebrige besitze ich authentische Mittheilungen anderer Bischöfe, die seufzen über das Unglück der Zeiten, in denen sie leben. Ehedem trat der Irrthum mit unverhülltem Antlitze auf. Heut zu Tage kommt er mit feiner, berechneter Arglist dahergeschlichen, und gewinnt um so erfolgreichere Triumphe, je mehr er sich in schönklingende und gleissnerische Worte hüllt. Wollen Sie wirklich mich, der ich mich im Besitze so klarer und schlagender schriftlicher Beweise befinde, überreden, dass man daran denke den Bischöfen ihre ursprüngliche Rechte zurückzugeben? Heisst es nicht vielmehr uns beleidigen, wenn man uns für so feig hält, um zu schweigen und die katholische Lehre zu verläugnen, oder für so unwissend, um Schwarz für Weiss und Weiss für Schwarz zu nehmem? Es wäre einmal Zeit, die Sprache zu ändern, die Maske abzunehmen und deutlich zu reden, anstatt mit Hinterlist vorzugehen.

Wenn wir wirklich aufgeklärten Männern Glauben beimessen dürfen, so ist dies die Erklärung des ganzen Geheimnisses. — Der beschlossene und verabredete Plan geht dahin, die katholische Kirche aufzugeben. Die Lehre Jesu Christi, die sie mit so grosser Standhaftigkeit prediget, ist nicht beliebt. Auch die Kirchenzucht liebt man nicht, weil sie der Denk- und Handlungsfreiheit lästig ist, und der Hoffnung, die menschlichen Leidenschaften rechtfertigen zu können, nicht Raum gibt. Um die Realisirung dieses Planes glücklich zu Stande zu bringen, ist man auf den Gedanken gekommen, nicht dem Beispiele der alten Ketzer zu folgen, welche die Unklugheit hatten, die Lehre und die Disciplin der Kirche offen anzugreifen, was ihnen Bestrafung und den Hass aller Gläubigen zuzog. Man will nun die Grundfesten der Kirche umstürzen, indem man die heiligsten Worte und die auf den ersten Anschein unumsstöslichsten Grundsätze dazu verwendet; derselben wird man sich bedienen, um die Kirche unter ihren eigenen Ruinen zu begraben, und diese Ruinen dann den Unwissenden, den Halbweisen und den Freigeistern zu zeigen. Nach dem Beispiele aller Ketzer, will man den Primat der Jurisdiction des römischen Papstes abschaffen, als Vorwand dazu aber will man die Hintanhaltung des

Missbrauches seiner Gewalt hinstellen. Da der Mensch immer nach Unabhängigkeit lüstern, und der Gehorsam Jedermann unbequem ist, so wird dieser Vorwand immerhin annehmbar erscheinen.

Man will die Bischöfe des Gehorsams, der Unterwürfigkeit entbinden, die sie dem römischen Papste schulden, indem man ihnen mit der Hoffnung schmeichelt, selbst eine grössere Gewalt zu erlangen; in der That aber will man ihnen die Gewalt, die sie haben, nehmen; man wil sie in der Ausübung derselben in ihren Diöcesen hindern; man will sie zu einfachen Repräsentanten ihrer Diöcesen herabsetzen. Da aber die Bischöfe ihre Auctorität auch ernstlich nehmen, und die Rechte ihres Amtes und die katholischen Wahrheiten mit Kraft und Muth behaupten könnten, so will man den Seelsorgern ein göttliches Recht in ihren Sprengeln einräumen und sie dadurch aufreizen, den Bischöfen offenen Widerstand zu leisten, ihre Auctorität zu verachten, ihre Stimme ebensowenig mehr zu fürchten wie ihre Strafen. Man hat sich geschmeichelt, dass diese Lehren die Seelsorger bestechen werden; denn der Ehrgeiz verdreht leicht die Köpfe, da aber auch die Seelsorger von ihrer Gewalt mit zu grosser Festigkeit Gebrauch machen könnten, so musste man wieder Lehrsätze ersinnen, um sie im Zaume zu halten, deswegen hat man behauptet, die Seelsorger seien nur die Diener der allgemeinen Kirche; sie haben nur die precäre und amovible Ausübung der Schlüsselgewalt, welche letztere in der Gemeinschaft der Gläubigen ihren Sitz hat; ihr Amt besteht bloss in gewissen äussern Verrichtungen, mit denen die Fürsten und das Volk sie betrauen; und dieses Amt ist ganz von dem Belieben der Committenten abhängig.

Man hat daran gedacht, und man denkt noch daran, sagt man, die falschen Lehren und die zartesten so wie die stärksten Leidenschaften in Bewegung zu setzen, um sie alle vereint im geheimen Bunde zum Umsturze der grossen Maschine der kirchlichen Regierung wirken zu lassen.

Man sagt endlich, man will eine Kirche ohne Oberhaupt, ohne Gewalt, ohne Form der Disciplin. Man will eine Kirche wie die Luthers oder Calvins, oder die Kirche Englands, ohne auf den Namen und die Ehre der katholischen Kirche zu verzichten, und protestirend gegen die Infamie, die sich an die

Ketzer heftet. Das sind unsere wahren ursprünglichen Rechte; das sind die Reformen unsers Jahrhunderts, und hiemit ist das wahre Geheimniss der Bosheit enthüllt, das man vergebens vor unsern Augen zu verbergen sucht.

Beklagen Sie sich nicht, Msgr., dass ich mich so ausdrücke; ich spreche nach Thatsachen und dass Zeugniss der Thatsachen ist immer überzeugend. Machen sie es mir nicht zum Vorwurfe, dass ich den Häuptern dieser neuen Lehre so strafwürdige Absichten unterlege; soll ich Ihren Worten mehr glauben, als den Thatsachen, von denen wir selbst lebendige Zeugen sind? Was liegt mir daran, dass diese neuen Propheten feierlich ihre guten Gesinnungen betheuern, wenn ihre Handlungsweise schlecht ist? Wenn das ihr Zweck nicht ist, warum greifen sie zu den Mitteln, welche einzig und allein zu diesem Zwecke führen? Mit welchem Rechte verlangen sie von uns die christliche Liebe, während sie dem christlichen Glauben zerstören? Sollen wir uns die Augen des Glaubens und der Vernunft ausreissen, damit sie wahrhaft und gerecht erscheinen? Wollen Sie behaupten, sie haben nicht die Absicht, die Kirche umzustürzen, sondern nur die Missbräuche zu reformiren? Das war auch die Sprache eines Wikleff, eines Iohannes Huss, eines Luther, eines Calvin, und aller früheren Pseudo-Reformatoren. Wollen sie wahrhaft eine Reform? Reformiren Sie sich sebst, reformiren Sie Ihren Geist, indem Sie ihn zur Demuth des Evangeliums bezwingen; reformiren Sie Ihr Herz, indem Sie die Leidenschaften in demselben ausrotten, die Sie umsonst zu rechtfertigen sich bemühen. Man reformire die Sitten der Katholiken, aber mit Hilfe des katholischen Glaubens und die Kirche wird reformirt sein.

Was die Bischöfe betrifft, deren Beispiel Sie am Schlusse Ihres Schreibens anführen, so bitte ich, Ihnen zu sagen, dass der Bischof von Florenz sich nur von Beispielen, die auf den Glauben und der Vernunft gegründet sind, leiten und überzeugen lässt, Sie mögen nicht vergessen, dass sie über ihre neuen Bestrebungen werden Rechenschaft ablegen müssen vor jenem göttlichen Richterstuhle, wo der Schleier der Worte nicht mehr den Irrthum zu verhüllen vermag, vor dem Richterstuhle, vor welchem auch ich bei meinem vorgerückten Alter mich vorbereiten muss, über meine Diöcese Rechenschaft abzulegen.

Alles, was ich thun kann, besteht darin, dass ich Gott den Herrn bitte, dass es Ihnen nicht ergehen möge, wie denjenigen, die Jesum Christum aus Politik tödten liessen, nach jener schönen Bemerkung des heil. Augustin: *Temporalia perdere timuerunt, aeterna non cogitaverunt, et sic utrumque amiserunt.*

Uebrigens wünsche ich mir keine andere Gewalt als die, welche die göttliche Vorsehung mir verleiht. Nicht eine Vergrösserung der Macht, sondern einzig und allein der gute Gebrauch derjenigen, die ich besitze, ist es, was mich selig machen kann. Ich wäre sehr zufrieden, wenn meine Seelsorger und meine Diöcesanen mir in dieser Zeit eben jenen Gehorsam erweisen würden, den ich dem apostolischen Stuhle zolle und immer zollen werde. Wer nicht so denkt, der wird mir nie und nimmer zum Muster dienen, sondern vielmehr ein Gegenstand des Mitleidens und der Thränen sein, und ich werde nicht aufhören mit dem h. Hieronymus in seinem Briefe an den h. Papst Damasus auszurufen: *Hic in tres partes scissa Ecclesia me ad se rapere festinat: ego interim clamito: si quis Petri cathedrae iungitur, meus est.*

Wollte Gott, meine Gesinnungen wären die Ihrigen; sie würden mich immer mehr zu jener aufrichtigen Zuneigung verpflichten, mit der ich bin u. s. w.

1025.

Pius VI PP. Universitatem Coloniensem collaudat, quod disputationem publicam contra iura Romani Pontificis haud indulserit, A. 1787.

MON. Transmisit ad nos ven. fr. Bartholomaeus AEppus Damiatensis, noster et apost. Sedis ad tractum Rheni ordinarius Nuntius, typis editas propositiones theologicas in publica disputatione isthic praeside ‚Ioanne Weiner' propugnandas, ex quibus non sine magna animi admiratione intelleximus, eundem Weiner, qui paulo ante plurimam sibi laudem ex defensis de Summo Pontifice thesibus reportarat, nunc in tam diversas sen-

tentias abiisse. Idem etiam Nuntius certiores nos fecit, quantopere apud vos egerit, ne ea fieret disputatio, quae multis offensioni esse possit, quamque vos praestantem dederitis operam et ad eam disputationem prohibendam, et ad decernendum, ut deinceps duobus adiunctis censoribus aditus novis huiusmodi doctrinis in vestra Universitate obstruatur. Hae Nuntii curae a vobis adiutae felicem Deo iuvante habuerunt exitum, idemque vestrum hoc studium merita laudum praedicatione apud nos est prosecutus. Itaque has ad vos dare literas voluimus, amplas benevolentiae nostrae existimationisque testes quibus vobis magnas agimus gratias, et gaudium nostrum de tali vestrae virtutis et religionis iudicio declaramus. Quod hoc tam difficili ac tam adverso Ecclesiae tempore tam opportune tam fortiter utiliterque egistis, id certe nos in maximam spem erigit fore, ut pristinam vestram vestraeque Universitatis gloriam non retenturi solum in posterum sitis, sed maiorem etiam in modum amplificaturi, semperque magis, prout tempus ac res exiget, vestram nobiscum coniunctionem et erga Apost. Sedem observantiam confirmaturi. Deum O. M. obsecramus ut tam praeclara consilia actaque vestra sua coelesti secundet gratia semperque magis faciat de Ecclesia ac de hac beati Petri Cathedra Universitatem Vestram bene mereri: vobisque universis, dil. filii, apost. benedictionem in amplius paternae eximiae voluntatis pignus peramanter impertimur. Datum Romae die 14. Febr. 1787. — **Pacca** *historische Denkwürdigkeiten über seinen Aufenthalt in Deutschland in der Eigenschaft eines apost. Nuntius.* Augsburg. 1832. p. 35. 198.

1026.

Pius VI PP. obiurgat **AEppum Pragensem,** quod partem Dioecesis Ratisbonensis proprio motu iurisdictioni suae subiecerit. A. 1787.

MON. Ad ceteras animi nostri aegritudines nova nunc, ven. frater, accessit dolendi querendique causa: cum perlatum ad nos sit, *tuos Commissarios die 28 Mart. in Egranam*

dioecesis Ratisbonensis parte per metum atque vim Clerum illum sacramento adegisse ad eiurandam Ratisbonensem, cui suberat, iurisdictionem, tuamque suscipiendam atque agnoscendam. Vix credibile nobis videbatur hoc a te profectum esse, a quo ignorari sacra Ecclesiae iura non possunt, quique antea cum de tuae dioecesis divisione agebatur, tuum de illa praestiteris consensum, ac apostolicum nostrae approbationis robur adiungendum esse iudicaveris. Nunc inauditis nobis, ipsa etiam Ratisbonensi Sede suo capite destituta, nulloque proinde reportato consensu, alienam dioecesim discerpere, eiusque possessionem sine ullo iure, sine legitima missione capessere voluisti. Quanta inde legum ecclesiasticarum, quanta spiritualis potestatis perturbatio in domo Dei consequatur, quis non videt? quis te aut non vidisse, aut si videris, attentasse non miretur? Fortasse coactum te dices aliquo Caesareae Maiestatis edicto aut iussu. At tuum erat, ven. frater, eidem Caesari ss. canonum praescripta declarare, quali quantaque de re agatur ostendere, ac exponere quam irrita tua ista possessio foret, quamque necessario ab iis, ad quos spectat, consensus, nostraque, unde mittendus esses, approbatio requireretur; quod ipso sciente nec invito in aliis dioecesium divisionibus factum esse non ignoras, cur a te Caesar opportuno tempore legitimaque ratione fieri non pateretur? *Nihil iam necesse est, ut hic inanem ac nullam tuam istam possessionem, irritosque omnes futuros actus tuos tibi declaremus*, cum idipsum ex sacris legibus canonumque decretis tibi omnino perspectum esse debeat. Nihilo tamen minus de eo ipso te nostris hisce literis admonendum in Domino ducimus, ven. frater, ne tua illa possessione seu potius intrusione tuum factum esse Egranum Clerum, tuum illum populum existimes, praesertimque consideres, quid inde mali, si in illo persistas incepto, in Ecclesiae statum, in hierarchicum ordinem, in eppalem iurisdictionem, in sacramentorum administrationem, denique in animarum salutem redundare debeat. Te igitur quanta Pontificii animi contentione possumus, hortamur ac etiam obsecramus, ut tuae famae ac conscientiae consulas, nosque ab hac maxima liberes sollicitudine, ne huic tanto Ecclesiae inflicto vulneri pro apostolico munere remedium afferre teneamur, tibique consilii spiritum a Deo precantes, apost. benedictionem in nostrae etiam de te fiduciae

pignus peramanter impertimur. Datum Romae, 24. Apr. 1787.— **Mainzer** *Monatsschrift von geistlichen Sachen.* 1789. p. 179.

1027—1032.

Quaedam de **iuramento fidelitatis,** et declarationibus eatenus factis, quae a **Catholicis Angliae** occasione abolitionis legum poenalium A. 1788. ss. deposcebantur.

1027. MON. *Ex libro semi-officioso :* **‚Praesens Ecclesiae Catholicae in Anglia status. Aug. Vind. 1798.‘** — *Memoriale Catholicorum de abolendis legibus poenalibus.* Anno 1788. putarunt *Catholici* fausta advenisse illa tempora, quibus possent *legum poenalium* abolitionem obtinere. Et vero multum de conceptis adversus eos praeiudiciis Angli remiserant, ipsaque Aula eos variis in circumstantiis sese patriae Constitutioni addictos comprobasse palam confitebatur. Itaque Domino *Pitt* Memoriale quoddam obtulerunt, in quo declarabant : „has leges temporibus, quibus vigebat intolerantia, adversum se latas fuisse propter ementita crimina, quorum purissimi erant, et propter falsa, quae ipsis immerito affingebantur, dogmata ; etiamsi istae leges rationibus quibusdam politicis ad id moventibus sancitae fuissent adversum se, iam non amplius urgere easdem rationes; itaque iniustum fore quidem, si eas diutius permanere sinatur, cum catholici essent cives; imprudens vero, quia tam immani catholicos inter ceterosque cives subsistente discrimine fovebatur in plebe divisio ; se inter agendum esse irreprehensibiles ; illudque Regimini publico adeo esse compertum, ut multae ex hisce legibus iuxta suum rigorem iamdiu executioni non demandarentur amplius ; se palam gloriari posse tamquam nationi Anglicae omnino addictos, sibique solam legis literam adversari ; aliunde iam ubique vigere tolerantiae civilis systema; eaque ratione factum iri, ut Principes Catholici benigne sese erga Protestantes gererent, si ab ipsis Principibus Protestantibus benignius cum Catholicis ageretur.“

1028. *Formula iuramenti a nonnullis presbyteris et laicis*

concinnata. Priusquam petitio Catholicorum Parlamento exhiberetur, a nonnullis Administrationis membris palam declaratum est, *Catholicos voti numquam fore compotes, nisi fidelitatis suae solemnem protestationem ederent.* Prolatum est igitur quoddam protestationis instrumentum, quod quidem, si ab eo descitum non fuisset, nullas secum importasset difficultates: sed brevi postea requisitum est, ut in modum *iuramenti* protestatio haec ederetur. Formula autem huius iuramenti ac decreti (vulgo ‚Bill') in gratiam Catholicorum emittendi concepta est atque prolata a ‚DD. Berington, et Wilks' presbyteris, multisque laicis catholicis, qui in quibusdam quasi comitiis ad id congregati fuerant; ac deinde fuit cum Ministris communicata, qui cum iuramentum non satis expressum ipsis videretur, nonnihil in eo immutarunt, ipsiusque subsequentem tenorem esse voluerunt: „Ego N. sincere polliceor ac iuro, me suae Maiestati N. fidelem fore; agnosco etiam, profiteor, certum facio, atque declaro vere ac sincere in conscientia mea, coram Deo et hominibus, nostrum supremum Dominum N. esse legitimum et verum Regem tum huius regni, tum aliorum dominiorum, quae ab eo dependent; solemniter ac sincere declaro, nullum ex progenitis ab eo, qui vivente adhuc iam defuncto Rege Iacobo II sese veluti Walliae Principem exhibuit, et qui post ipsius decessum assumsit sibi titulum ac qualitatem Regis Angliae, sub denominatione Iacobi III vel Regis Scotiae sub nomine Iacobi VIII, ullum ius habere ad sceptrum huius regni ac dominiorum, quae ab eo dependent; ipsis omnem fidelitatem atque obedientiam recuso, abnego atque abiuro; iuro me fidem ac fidelitatem servaturum Suae Maiestati N. eamque me totis viribus tuiturum adversus omnem conspirationem atque machinationem, quae contra eius personam, coronam, ac dignitatem attentarentur; nihilque intentatum relicturum, ut detegantur et innotescant Suae Maiestati suisque successoribus omnis proditio ac conspiratio, quae ad meam notitiam pervenirent. Promitto me fideliter ac plene velle tueri, fulcire ac defendere, quantum in me est, successionem coronae adversus progenitos ex dicto Iacobo et adversus aliam quamlibet personam: quae quidem successio articulo quodam, cui titulus ‚Articulus pro ulteriori limitatione coronae et ut magis in tuto sint subiectorum iura' est immobiliter limitata ad Principissam Sophiam Electricem ac Ducissam Dotariam

Hannoveranam, et ad ipsius haeredes legitimos Protestantes. *Iuro etiam me abhorrere ab ea damnabili doctrina atque assertione, eamque me detestari et abiurare toto corde meo, velut impiam atque haereticam, qua propugnatur, Principes excommunicatos a Papa, aut Sedis Romanae auctoritate posse deponi aut trucidari a suis subditis aut ab alio quocumque.* Protestor, declaro ac iuro solemniter, me firmiter ac sincere opinari, credere ac persvasum habere, *neque a Papa, neque ab ullo Praelato vel sacerdote, neque ulla potestate Ecclesiastica qualicunque posse subditos huius regni a sua fidelitate erga dictam Maiestatem Suam absolvi; nulli etiam Ecclesiae extraneae, nulli Praelato, nullique Sacerdoti ac Potestati Ecclesiasticae cuilibet inesse aut inesse posse in hoc regno iurisdictionem ullam aut auctoritatem, quae afficere aut laedere valeat independentiam, supremam potestatem, leges, Constitutionem, ac regimen ipsius*, sicut et iura, libertatem, personas aut proprietates incolarum dicti regni; neminem posse a suis peccatis absolvi, aut nullum peccatum posse remitti pro arbitrio cuiuslibet, sive sit Papa, sive sit sacerdos, sed praeteritarum offensarum dolorem ac propositum eas in posterum devitandi simulque satisfactionem erga Deum et proximum esse amota omni dispensatione requisita, ut peccatorum venia obtineatur; non licere fidem cuicunque promissam violare, aut ipsum iniuria afficere, aut hostiliter aggredi, eo, quod, aut sub eo praetextu, quod ipse sit haereticus, aut infidelis; *neque Papam, neque ullum Praelatum, aut sacerdotem, neque Concilium, neque ullam Potestatem Eccles. quamcunque posse ullo tempore ab obligationibus huius sacramenti aut alterius cuiuscunque dispensare aut absolvere.* Declaro etiam in mea conscientia, *me solemniter iurare, nullam a me agnosci in Papa infallibilitatem.* Et haec omnia declaro, agnosco et iuro sincere etc.“

1029. *Vicarii Apostolici praemissam iuramenti formulam nequaquam approbant; formulae concinnatores protestantur.* Iuramentum cum fuisset cum quatuor *Vicariis Apostolicis Angliae* communicatum, non solum reprehensione dignum habitum est, sed et epistola encyclica 21. Oct. 1789. ab ipsis data fuit damnatum, omnibusque catholicis inhibitum, ne illud emitterent; quod quidem etiam a Summo Pontifice, Hiberniaeque et Scotiae Eppis confirmatum est. Domini autem ‚Berington et Wilks‘ sacerdotes

cum aliis, qui in modum Comitiorum convenerant, iuramentum illud defendere ac tueri solemniter sunt aggressi, et varia scripta in lucem ediderunt, in quibus invehebantur in Eppos, quasi propter nimium illorum rigorem futurum esset, ut catholici iuribus civium privati remanerent. Id praesertim urgebant, ut scilicet ab Eppis designaretur clare et praecise, quod reprehensione dignum ab iis iudicaretur in iuramento, ut illuminaretur fidelium conscientia. At ex altera parte Eppi ab explicationibus abstinere velle videbantur. Solus Eppus illius districtus, qui provincias in media Anglia iacentes complectitur, declaravit, qua ratione impulsus sacramento eliciendo obstitisset. Dixit nempe, nihil aliud a se adversus illud obiiciendum, nisi hoc ipsum, quod protestationi additum fuerat. Et vero iuramento insertum fuerat: ‚nulli Praelato nullique Potestati Eccl. cuicunque inesse aut inesse posse in regno Angliae ullam iurisdictionem atque auctoritatem.‘ Ceteri tres Eppi in eadem agendi ratione nihilominus perstitere. *Novam 19 Ianuar. 1790 emiserunt encyclicam epistolam, in qua postquam iterum declaraverant iuramentum non posse in conscientia ab ullo catholico emitti, addiderunt: presbyteris aliisque catholicis, qui in comitiorum morem convenerant, nullum competere ius atque auctoritatem pronunciandi illud iuramentum esse legitimum, in quo de doctrina et de rebus maximi momenti ad religionem pertinentibus agitur, illud autem ius esse Epporum exclusive, utpote qui institutione divina positi sunt regere Ecclesiam Dei. Denique scripta ea occasione in lucem edita proscripserunt, eorumque nonnulla schismatica et scandalosa, infamatoria, ac Supremo Ecclesiae Capiti, Christi Iesu Vicario iniuriosa declararunt.* Tunc membra comitiorum Catholicorum nihil amplius quidquam moderati habuere. Tribus Eppis scripserunt epistolam acerrimo simul ac vividissimo stylo exaratam, in qua iuramento et iis, quae ad iuramentum pertinebant, penitus discussis atque enucleatis sic tandem concludebant: „Nos infrascripti, Catholicorum comitiorum membra, cum nobis convictum sit, a nobis de maiorum nostrorum principiis nihil quidquam fuisse detractum, nec ullum catholicae fidei atque communionis articulum fuisse violatum, solemniter coram Deo tum pro nobis tum pro iis, quorum nomine egimus, protestamur, et Deum testem invocamus praesentis nostrae protestationis adversus literas encycli-

cas RR. DD. nostrorum 21. Oct. 1789. et 19. Ianuar. proxime elapsi datas, adversus omnem clausulam, articulum, determinationem, materias atque res omnes in iis contentas, quatenus dictae literae sunt imprudentes, arbitrariae, iniustae; quatenus tum naturam decretorum et iuramentorum, de quibus ibidem fit mentio, tum nostram in toto hoc negotio agendi rationem male exhibent; quatenus naturalia, civilia, ac religiosa nostra iura invadunt, et ea inculcant principia, quae societati, regimini, constitutioni, ac legibus Britannici imperii adversantur; quatenus in id tendunt, ut perdurent, augeantur, atque aggraventur praeiudicia adversus catholicorum fidelitatem moralemque eorum indolem concepta, sicut et oppressio, qua in hoc regno congemiscunt. Simili modo etiam Deo in testem invocato solemniter protestamur adversus omnem processum, qui iam existit, aut in posterum fieret. Itaque Deum testem appellantes, nostrae appellationis, simul et puritatis atque integritatis nostrorum principiorum in rebus religionis appellamus ex his omnibus ad omnes universi orbis catholicas Ecclesias, et specialiter ad primam catholicarum ecclesiarum, Sanctam videlicet Sedem Apostolicam debito modo informatam.“ Haec epistola subscripta est a DD. ‚Berington et Wilks et Nourton‘ presbyteris, Engelfield, Lawoox, Throck morton, Fermar, Tournely, et Hermiold. Multum autem aberat, quin a toto secundi ordinis clero approbarentur vivida haec, plenaque amaritudinis sensa, quae in epistola a Comitiis ad Eppos directa manifestata fuerant.

1030. *Novae formulae iuramenti redactio ab Eppis approbata et a Regimine acceptata.* Interea res in melius commutatae sunt. Scilicet Regimine a clausulis, ex quibus exortae fuerant tot difficultates, desistente, redactum est novum iuramentum, quod ab Eppis ratum habitum est; Catholicorum petitio Parlamenti favorem obtinuit, totque votis exoptatum decretum (Bill) tandem intervenit. *Iuramenti formula:* „Ego N. praesentibus hisce declaro, me Religionem Catholico-Romanam profiteri. Declaro sincere et iuro me fidelem fore et veram alligantiam servaturum esse Suae Maiestati Regi Georgio III; me velle totis viribus eam defendere adversus omnem conspirationem et machinationes quascunque, quae attentari possent contra eius personam, coronam ac dignitatem; me nihil omissurum, ut detegantur et ad notitiam Suae Maiestatis eiusque haeredum ac

successorum perveniat omnis proditio, ac perfida conspiratio, quae in eius vel illorum detrimentum fieri possent. Promitto me fideliter velle manutenere, tueri ac defendere, quantum in me est, successionem coronae; quae quidem successio per Actum, cui titulus: ‚Actum pro limitatione ulteriori coronae, (22. Mart. 1701.) et ut magis in tuto sint iura ac libertates subditorum,‘ est ac manet limitata ad Principissam Sophiam Electricem ac Ducissam Dotariam Hannoveranam, et ad eius haeredes legitimos Protestantes; abnego absolute et abiuro omnem obedientiam atque alligantiam cuicunque, a quo reclamaretur, aut sibi attribueretur ius ad coronam huius regni. Iuro me reiicere ac detestari, tamquam minime christianam et impiam, illam doctrinam, qua assereretur licitum esse qualescunque personas interficere, sub eo praetextu, quod sint haereticae vel infideles; sicut et illud principium minime christianum atque impium, neminem teneri ad servandam haereticis atque infidelibus fidem iuramento firmatam. Declaro insuper *non esse meae fidei articulum, meque renunciare, reiicere et abiurare opinionem illam, qua asseritur Principes a Summo Pontifice, a Concilio, auctoritate Sedis Romanae, aut alia quacunque auctoritate excommunicatos posse deponi, aut etiam trucidari a suis subditis aut ab aliis quibuscunque;* promitto me nolle unquam propugnare ullam opinionem similem, vel favere ulli opinioni contrariae omnibus, quae in hac praesenti declaratione sunt expressa. Declaro *me non credere, Papam Romanum aut alium Principem extraneum, Praelatum, Statum, aut Potestatem, habere aut habere posse ullam iurisdictionem, auctoritatem, superioritatem, praeeminentiam temporalem aut civilem directe vel indirecte in hoc Regno*);* et coram

*) Ad hunc locum sequentem subiicit auctor libri (e quo haec vulgamus) animadversionem: Immane quantum discrepat haec declaratio, qua quis enunciat ‚se non credere, Papam Romanum, aut alium Principem extraneum, Praelatum, Statum, aut Potestatem habere posse ullam iurisdictionem, auctoritatem, superioritatem, praeeminentiam temporalem aut civilem directe vel indirecte in regno Angliae,‘ ab ea schismatica ‚Suprematiae,‘ ut vocant, iuramenti formula, ad quam adactus est omnis Clerus Catholicus sub Elisabetha Regina his verbis: ‚Ego N. prorsus testificor et declaro in conscientia mea, *Reginam esse solam supremam gubernatricem* et istius regni Angliae et aliorum omnium suae Maiestatis dominiorum et regionum, *non minus in omnibus spiritualibus atque ecclesiasticis rebus vel causis, quam temporalibus;* et quod nemo externus Princeps, persona, prae-

Deo profiteor, certifico, ac declaro, me hanc edere declarationem, et quamlibet ipsius partem in sensu claro et naturaliter obvio, quem praeseferunt huius sacramenti verba, sine ullo subterfugio, aequivocatione, aut mentali restrictione qualicunque, et absque eo, quod existat ulla dispensatio iam a Papa aut Sedis Romanae auctoritate, aut ab alia qualibet persona concessa; nullatenusque menti meae inesse, me coram Deo et hominibus posse liberari aut absolvi ab hac declaratione, aut qualibet ipsius parte, etiamsi ab Eppo Romano, aut alia qualibet persona vel auctoritate qualicunque mecum dispensaretur, aut ea cassaretur. aut ab eis eam esse nullam nulliusque valoris declararetur.“ —

1031. *Ex Decreto in favorem Catholicorum per Parlamentum Britanniae lato nonnulli articuli.* Art. 1. A die 24. Iunii 1791. omnis catholicus vel papista, qui emiserit iuramentum in Decreto contentum, non amplius incurret poenas antiquis decretis pronunciatas adversus eos, qui non intersunt in Ecclesiis aut orationum locis ritus Anglicani, et eodem non mittunt suos domesticos; neque eas, quae pronunciatae sunt contra eos, qui catholicam vel papisticam religionem profitentur, qui aliquibus dictae religionis ceremoniis intersunt, qui Missam celebrant, vel audiunt, et communione cum Ecclesia Romana coniunguntur. *art.* 2. Licebit Catholicis habere loca, in quibus congregentur, et suae religionis actus exercere valeant, sub ea conditione, quod ‚Pacis Iudici‘ urbem vel alium suae residentiae locum declaraverint. Huius religionis ministri, antequam ullas functiones obire queant, non praetermittent, ut veluti tales inscribantur

---

latus, status, vel potentatus, aut facto aut iure habet aliquam iurisdictionem, potestatem, superioritatem, praeeminentiam, vel auctoritatem ecclesiasticam aut spiritualem in hoc regno. Ideoque plane renuncio et repudio omnes externas iurisdictiones, potestates, superioritates, atque auctoritates.‘ *Hoc* nempe *sacramento tunc abiurabatur primatus honoris ac iurisdictionis spiritualis, qui in persona beati Petri ab ipso Domino N. I. C. ubique terrarum Summo Pontifici concessus est, et ad fidem catholicam pertinet.* Hinc propter illud innumeri consummati sunt martyres, de quibus ‚Sanderi‘ continuator lib. 3. de Schism. Angl. et ‚Diarium rerum pro Rel. Cath. in turri Londoniensi gestarum ab a. 1580—1585‘ a Catholicis ibidem captivis scriptum. Qui autem praesentem edit declarationem, hoc unum negat: scilicet se credere, aut cum firma mentis adhaesione cogitare id, quod a Deo revelatum minime ostenditur, et cuius veritas comprobari non posset, nisi quibusdam prorsus humanis donationibus, quas discutere atque examinare non tenetur.

coram eodem Iudice. Sacella aut loca, in quibus congregati fuerint, durante coetu non potuerunt occludi. — *art. 5.* Leges, quibus sancitum est, ut omnes diebus Dominicis in locis divino cultui destinatis eidem officio divino intersint, suum vigorem conservabunt; id est, Magistratus, si ipse expedire iudicaverit, iure suo poterit exigere, ut sicut Protestantes ad suam ita et Catholici diligenter ad propriam pergant Ecclesiam. — *art. 7.* Ecclesiastici Romanae Religionis a beneficio illius legis excident, si munia sua exercuerint in Congregatione vel sacello, ubi fuerit turris et campanae, vel in sacello, quod non fuerit de illorum numero, in quibus ipsis licitum est coetum congregare, aut in domo privata, in qua repertae fuerint plus quam quinque personae, minime computatis iis, quae de illa domo sunt. *art. 8.* Catholici, ut antea, tenebuntur persolvere decimas aliaque debita parochialia, et observare decretum 26 anno regni Georgii II prolatum ad clandestina matrimonia praevenienda. *art. 9.* Ecclesiasticis ac laicis, qui supradictum iuramentum emiserint, licebit scholas pueris instruendis aperire. Attamen minime poterunt docere in Collegiis vel Scholis Regiae fundationis. Ipsis pariter vetitum erit in suis scholis recipere ullum puerum, cuius pater fuerit ‚protestans,' et prius, quam suas scholas aperiant, apud Iudicem Pacis suum nomen inscribere tenebuntur. *art. 10.* Nullus ordo monasticus, neque ulla Academia, aut Collegium a Catholicis fundari atque institui poterit. *Art. 11.* Catholici, qui praedictum iuramentum praestiterint, non adigentur ad ‚Suprematiae iuramentum,' aut alia quaelibet elicienda iuramenta, quae antiquis decretis praescripta fuerant. — *Art. 14.* Abolentur 1. antiqua decreta, quibus intra tempus definitum tenebantur Catholici suorum nominum, suorumque bonorum immobilium declarationem edere; 2. ea etiam decreta, quibus sive perficiendis contractibus relative ad bona, domos ac reditus suos, sive in testamentis suis condendis arctissimos intra limites constringebantur. — *)

1032. *Clerus Comitatus Lancastrensis gratitudinem testatur Eppis ac Vicariis Apostolicis propter obtentum praevium decretum.* Clerus Comitatus *Lancastrensis*, ubi maximus est Ca-

*) In postremo articulo eximitur *Scotia*. Sed a. 1793. etiam in Scotia multae leges poenales abolitae sunt per Statutum Parlamenti M. Britanniae a. 33. Georgii III. cap. 44.

tholicorum numerus, censuit gratulandum esse tribus Eppis propter obtentum illud decretum, iisque gaudium animique bene memoris testimonium esse significandum: quod quidem in coetu suo annuo Prestoniensi praestitit, missis ad tres Eppos 20 Aug. (1791.) literis, quae hic integerrime describuntur: „Reverendissimi in Christo Patres ac Domini! Nos infrascripti provinciae Lancastrensis presbyteri missionarii gaudio maximo exultantes, visis rebus maximi momenti, quae a Vobis nuperrime sunt peractae, quaeque felicissimo eventu successerunt, non possumus quin Vobis significemus, quam iucundum istud nobis fuerit, Vobisque congratulemur propter illam vigilantiam fatigari nesciam, constantemque applicationem vestram, atque invictum animum illum, quem exhibuistis; quodque auxiliante Divina Potestate tandem eo deveneritis, ut illustrium Senatorum nostrorum corda in nostri favorem emolliretis. Mandato Domini fideliter adhaerentes fuistis prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae; sanum atque integrum fidei depositum custodistis; periculoso schismati imminenti omnem aditum praeclusistis; inter capita ac membra S. Hierarchiae a Christo institutae communionis vinculum ingenti animo retinuistis, non sine maximo etiam eorum applausu, qui non sunt in ovili nostro; denique Vestro interventu prodiit innocens illa iuramenti formula, qua semel a nobis emissa iam liberi atque immunes erimus ab innumeris legibus poenalibus, quibus velut immenso pondere oppressi ingemiscebamus. Quibus quidem aliisque a Vobis felici exitu, Deo videlicet opem ferente, compositis, pectoribus nostris maximum infunditur gaudium, sincerissimus gratissimi animi sensus in nobis excitatur, profundissima veneratione tenerrimoque amore intima nostra penetrantur. Hoc igitur minime dubium, licet vestro beneficio multum sit impar, animi bene memoris testimonium recipere, Domini nostri, ne quaesumus, dedignemini. —

1033.

Pii VI. PP. responsio ad IV. Germaniae Metropolitanos Moguntinum, Trevirensem, Coloniensem, et Salisburgensem, pro iure Sedis Apostolicae mittendi Nuncios iurisdictione instructos. In ea Summus Pontifex refutatis argumentis Metropolitanorum, eosdem una commonet, quaestionem de Nunciaturis Apostolicis non in Comitiis aut alio tribunali seculari, sed in Ecclesia ipsa decidendam esse 1789.*) (Extractive.)

INTR. Celebris est Responsio Pii VI Papae ad Germaniae Metropolitanos de Nuntiaturis Apostolicis 1789. edita: in qua non solum argumenta, quae Metropolitani isti contra iurisdictionem Nuntiaturarum proferebant, cumulatissime ac doctissime refutat, et incauta ipsorum molimina in *Conventu Emsano* adversus iurisdictionem Primatialem Rom. Pontificis patefacta graviter improbat: verum etiam id reprehendit, quod laicae potestatis protectionem implorando, decisionem quaestionis super Nuntiaturis ad civile tribunal detulerint. Responsionem Pontificiam, tamquam egregium pro commonstrando Primatu, ac signanter iure mittendi Nuntios promtuarium exhibemus: eique alia duo aeque permagni pretii Monumenta subiicimus, nimirum Breve ad AEppum Coloniensem, et aliud Breve ad Capitulum Coloniense; in utroque enim Pontifex, ad suam Responsionem super Nuntiaturis se referens, denuo castigat et molimina auctoritati Pontificiae infesta, et doctrinas minus orthodoxas Professorum Bonnensium.

MON. Potuissemus equidem nulla interposita mora tuis rescribere literis, ad Nos datis 6. Kal. Decembris superioris

*) Prodiit haec Responsio post editionem Romanam Venetiis 1790.

anni *), si relicto rerum et rationum examine placuisset Nobis eam tibi responsionem dare, quam literae tuae postulabant. Cum enim tu, aliis tribus Metropolitanis adiunctus peteres cuiusdam quasi Concordiae loco, ut nostrum assensum praeberemus Nunciaturarum Apostolicarum abolitioni: promta sane et expedita occurrebat responsio, neminem unquam petiisse ab altero transigendi gratia totum id, de quo disceptatur. Sed studium et dilectio singularis in te nostra, qua te acriores etiam inter contradictiones prosecuti sumus, in causa fuit, cur aliam agendi tecum rationem iniremus. Satis namque intelleximus fore, ut haec responsio nostra, iustitiae inprimis consona, facile tibi quidem ostenderet, quam absona et repugnans et absurda esset petitio ista tua; sed nequaquam obtinuisset, quod maxime interest, ut tibi tuisque confratribus insidias patefaceret, quae Vestrae Virtuti ac religioni instructae et paratae sunt, utque omnibus aeque persvaderet e sententia decedere. Hanc provinciam adgressi, vidimus extemplo, quam arduum moliri opus oporteret, non propter ambiguitatem quaestionis, qua nihil est nec potest esse expeditius, sed propter multiplicem rerum congeriem, quae quamvis a quaestione plurimum abhorrerent, licentius tamen cumulatae et vulgatae sunt ad odium et invidiam conflandum in Nos et Apostolicam Sedem. Nullus enim, ut ita dicamus, tabellarius e Germania Romam commeabat, qui Commentaria, lucubrationes, encyclicas, et alia idgenus scripta non afferret ad Urbem ita multa, ut omnia propemodum Germanicis rebus et libris redundarent. Accedebat ad haec multarum *novitatum* rumor, quae isthic identidem factae sunt. Hinc intelligit quisque per se, tantum librorum querelarum, novitatum, omnia ut refellerentur

*) Literae ab Electore AEppo *Moguntino* datae sequentis erant tenoris: „In magna illa, quae hodie fervet in Germania, circa Nunciorum Apost. potestatem, iuraque tam metropolitica quam episcopalia tuenda, contentione mearum partium esse duxi, sincero communis boni studio iustissima laborantis Ecclesiae Germanicae desideria Sanctitati Suae ea qua par est observantia iterato et quidem nunc sine medio exponere: ut Sanctitati Suae totique orbi christiano testatum sit, fixum mihi ratumque esse, a trita patrum nostrorum via non recedere, aut quidquam praetermittere, quod vel ab observantissimis et devotissimis fratribus postulari possit. Meminerit igitur Sanctitas sua, quantos in Ecclesia Germanica motus primus de novo Nuncio Monachium destinando rumor excitarit, quid non egerint Archiepiscopi et aliqui Episcopi Germanici propositis Romae gravissimis

volumen exposcere: quod quidem si longissimi temporis spatium ab alio quoquam postulasset, multo certe magis postulavit a Nobis, quos in hac rerum temporumque perversitate immensae fere premunt sollicitudines Apostolici, quo fungimur, Ministerii. At nulli parcentibus labori licuit nobis tandem favente Deo hanc responsionem absolvere, his adiunctam literis, quae communis cum aliis confratribus in causa, quam communem appellatis, quamque communi nomine agitis, luculentissime vindicat agendi rationem cum nostram, tum Nunciorum nostrorum: utpote quae disiectis procul erroribus locupletissima demonstratione ius et potestatem ostendit, quae est Apostolicae Sedi a primis Ecclesiae seculis ad haec usque tempora habendi Nuncios stabili iurisdictione pollentes. Plurimum equidem in Te, Ven. Frater, et in tuis confratribus confidimus, certique sumus fore, ut si vosmetipsi nostrarum rationum momenta perpendatis, non modo nihil allaturi sitis obstaculi Apostolicis Nunciaturis, sed qua praestatis fide et iustitia, eas obsequio, uti vos decet, colatis, et ab aliorum adgressionibus tueamini. Interim te, confratresque tuos, quantum in Domino possumus, obsecramus, ne Ecclesiam tantis afflictam aerumnis novo dolore cumuletis, cui nihil accidere exitialius potest, quam ut membra adversus Caput proelientur. Tolle e medio novitates, ad quas vel nolentem te aliena malitia deduxit, restituens res ad eum, in quo erant, statum, et factis probans illam, quam erga Matrem fovere observantiam affirmas; agnosce tandem ius illud, quod divina institutione cum Primatu ipso coniunctum est, ac colligatum, quod a nobis abdicare non possumus, quodque subire nequit iudicium Comitiorum uti tribunalis incompetentis, quemadmodum sae-

---

rationibus reverentia et energia plenis, queis quidem ius Primatui annexum legatos, ubi Ecclesiae salus id exigit, mittendi haud inficiabantur, sed eosdem iurisdictione ordinaria stabili muniri posse negabant. Haerebit etiam adhuc memoriae, quomodo Aug. Imperator Iosephus 2. ceu supremus Ecclesiae Advocatus sese Nunciis dicta iurisdictione praeditis, speciatim illi recens Monachium destinando opposuerit, quid per eminentissimum Cardinalem ab Herzan suum Romae plenissima cum potestate oratorem Sanctitati suae proponendum curavit. Verum quod inexpectatum erat, maxime his omnibus posthabitis comparuit Monachii Nuncius, qui mox coepit amplissimam potestatem in praeiudicium Episcopatus Germanici expromere, tribunal eccles. erigere, dispensationes et indulgentias elargiri, subdelegatos pro Palatinatu inferiori, ducatibus Iulio et Montium instituere, eosque va-

pius ab ipsis Comitiis agnitum est. Firmo Nunciaturarum iure manente, si quis in Nunciaturas irrepsit abusus, nobis ignotus, nos fidenter adi, Ven. Frater, sive per literas, sive per negotiorum gestorem, veluti toties Natio iam praestitit, et ad Nos referre ne graveris, qualis praecipue sit abusus in exercitio solitarum facultatum invectus, relictis antiquis querelis, quibus opportune consultum iam est, quaeque vel ab auctoribus ipsis desertae, vel ab Imperatoribus et ab Imperio fuerunt omnino despectae. Nos enim Potestatem tuemur, non potestatis abusum, nihilque habemus antiquius, quam ut tibi obsecundemus in iis omnibus, quae iustitia aut aequitate nitantur.

— — Quae nuper in Germania excitata contentio est pro Nunciaturarum Apostolicarum eversione, quemadmodum plures literae significant a Vobis, Ven. Fratres, ad Nos datae XIV. VIII. VI. et IV. Kal. Decembris elapsi a. 1788. ea, quaquaversum inspiciatur, videri sane non potest, nisi absurda, indecora, iniuriae plena, et cum summa iniustitia coniuncta: tam si *conditio* spectetur eorum, qui ad illam fovendam accesserunt, *contra quem, qua ope*, seu *mediis*, *quibusve consiliis* ad id praestandum incumbant, tam si *causae* perpendantur, ob quas haec contentio instituitur; tam si denique ad trutinam revocetur res ipsa, eiusque vis ac natura. Equidem hoc rerum ordine ac partitione indubie speramus futurum, ut non solum vestris epistolis, quas modo indicavimus, satisfiat, sed alia etiam vestra scripta, opuscula, et cuiusvis generis commentationes, quae non sine Nostri offensione hucusque prodierunt in lucem, retundantur, ac pro-

---

riis facultatibus instruere. Accessit ad querelarum cumulum, quod novus Nuncius Coloniae Agrippinae inaudito exemplo per literas encyclicas typis vulgatas in Archi- et dioecesibus Moguntina, Trevirensi, Coloniensi, et Wormatiensi omnes dispensationes in impedimentis matrimonii auctoritate ordinaria concessas nullas ac irritas, nuptias incestas, sobolesque quocunque legitimatas iure destitutas esse declaravit; quae quidem declaratio suapte natura originariae Episcoporum potestati adversa, simulque contra Hierarchiae sacrorumque canonum ordinem promulgata, cum manifeste ad perturbandam animorum quietem, ad abrumpendam necessariam in dioecesanis erga Ordinarios suos pastores fiduciam, ad scissionem et scandalum in tot ecclesiis parienda tenderet, mirum non est, ingemuisse ad factum hoc illegitimum Praesules Ecclesiarum, atque summa, qua poterant, celeritate

fligentur. Verum haec ipsa rerum partitio satis superque indicat, intra angustos epistolae limites contineri ac comprehendi non posse ea, quae ob gravitatem rei longam et fusam orationem requirerent. Hinc tametsi aliis curis, iisque gravissimis, distenti, scripta haec concinnavimus, quibus nostra defensio contineretur, eaque idcirco in plura Capita tribuenda esse duximus, ut magis dilucide, atque ordine oratio nostra procederet.

Cap. I. De personis, quae excitarunt, foventque turbas super Nunciaturarum omnium Germanicarum eversione, contra quem id agatur, et quibus mediis ac rationibus, una cum rerum gestarum narratione. Si conditionem respicimus eorum, qui Nunciaturarum Apost. eversionem moliuntur, et si examini parumper subiicitur, contra quem id fiat, qua ope, quibusve consiliis : haud profecto multis opus est verbis, ut contentionis huiusce pateat absurditas atque iniuria quam maxima. Vos Ven. Fratres, — dolentes equidem dicimus — quamquam virtute praediti, decepti tamen ab iis, qui inimici pacis sunt, novisque rebus quotidie student, Vos, in tota qua late patet Germania soli estis novae huius perturbationis auctores. Apostolica haec Sedes, cui est ius mittendi Nuncios quocunque magis censuerit expedire, quaeque in possessione est huiusmodi a tot retro seculis, Apostolica Sedes, inquimus est illa, contra quam, et de cuius iurisdictione unice agitur. Vos autem Moguntiae Elector, et Salisburgensis AEppe, ecclesiastica dignitate fulgentes, et in partem vocati nostrarum sollicitudinum, adversus Matrem arma sumsistis, et vestro ipsi Capiti bellum intulistis, Caesarem nil tale cogitantem excitantes, ut Nunciaturae adversaretur, quam pro Religionis bono in sua ditione Monachii Dux erigi postulabat.

---

opportuna malo remedia adhibuisse. Delatus quoque fuit illico iste potestatis hierarchicae in Nunciis abusus ad August. Caput Imperii Imperatorem nostrum, qui ad normam Constitutionis, capitaliumque S. Imperii legum per Senatum Imperii Aulicum die 27. Febr. 1787. haec omnia Nunciorum attentata tolli et aboleri fecit. Equidem intercessit apud S. Caesar. Maiestatem Ser. Elector Palatinus et demonstrare contendit, legibus imperii non tantum non prohiberi Nunciorum in Imperio iurisdictionem, sed eam potius stabiliri, saltem leges esse dubias, quarum authentica interpretatio supremae imperatoris et statuum sub auspiciis caesareis congregatorum potestati competeret. Placuit hoc excelsissimo imperii Capiti, et lubentissime annuebant quatuor Archiepiscopi, bonitati causae et iustitiae atque aequitati suorum imperii constatuum confisi. Tota res iam per Aulae Caesareae decretum ad

Nec ab incoepto destitistis, licet essetis per nos certiores effecti, non aliam novum Bavariae Nuncium exerciturum iurisdictionem in ditione Palatino-Bavara ab ea, quam usque tunc in eadem regione exercuerat Nuncius Apostolicus ad Tractum Rheni, absque ulla vel minima Metropoliticorum et Episcopalium iurium violatione aut imminutione. Sed ubi ex una parte constitit Vobis, nil timendum omnino esse, et nihil ex alia parte deterriti sapienti illa ac religiosa responsione, quae vobis a Caesare data est, — non amplius institistis in una Monachii Nunciatura evertenda, quippe quae, ceteris in sua firmitate manentibus, everti omnino non poterat: sed multo altius vestra consilia paulatim evehentes eo devenistis, ut omnibus Nunciaturis bellum indiceretis, tantique vestrae apud Caesarem importunae preces valuerunt, ut extorquere tandem aliquando datum vobis fuerit celebrem illam Epistolam die 12. Octobris a. 1785. in qua Caesar, tamquam Advocatus Imperii, Metropolitanos et Episcopos hortabatur, ne vellent Nunciis permittere exercitium iurisdictionis in rebus spiritualibus. Tunc factum est, ut tu Coloniae, tuque Trevirensis Elector, quorum uterque non significaveras modo, sed etiam declaraveras nostro Nuncio, huiusce novitatis nec auctorem nec suasorem fuisse, factum est, inquimus, praeter omnem exspectationem, ut coniuncti aliis duobus Metropolitanis, conspiratione veluti facta, sensum epistolae huius perperam contorquentes, et verba consilii atque hortationis in verba praecepti consulto immutantes, et auctoritatem legislatoris ei tribuentes, qui advocatum se esse profitebatur, non dubitaveritis per idem fere tempus decreta in vulgus edere adversus auctoritatem Apost. Sedis, et poenarum comminatione assessores, curiales, et advocatos

---

Comitia Generalia perlata, et per dictaturam publicam omnibus imperii ordinibus fuit intimata. Nunc superest nihil, quam ut super obiectis huius decreti aulici iuxta formam ac consuetudinem tractandi negotia in Comitiis agatur ac statuatur, sicque pro intellectu legum, quae putantur dubiae, novum reddatur conclusum imperii, ab Aug. Imperatore, qui iam antecedenter voluntatem suam desuper declaravit, sine dubio ratihabendum. Exspectandum omnino est, ut istud conclusum innumeris, quae contra stabilem Nunciorum iurisdictionem militant, tam sacri quam profani ordinis momentis non sit defuturum. Quis enim est inter Catholicos, quem fugiat amplius capitalis de regimine hierarchico doctrina antiquissimae et invictae traditioni subnixa, ac omnibus doctoribus in Germania et aliis regnis catholicis probata, Episcopos successisse in locum Apostolorum, omnem auctoritatem

prohibere, quominus deinceps ullo unquam tempore sisterent se in tribunalibus Nunciaturae ad Tractum Rheni, despectui habentes paternas nostras querelas ad vos per Nuncium delatas, et per nationem vulgatas literis in forma Brevis datis ad Clerum Leodiensem, et ad defunctos Episcopos Frisingensem, et Hildesiensem.

Nec satis fuit vobis id omni ope curasse, ut Nuncii ea iurisdictione carerent, quae contentiosa dicitur, quam praedicta Epistola hortatoria innuebat; sed eo Epistolae sensum trahendum quoque esse praedicastis, ut voluntariam etiam iurisdictionem comprehenderet, eam nempe, quae in concedendis dispensationibus quoad dirimentia matrimonii impedimenta versatur. Quamquam vero certi essetis, nequire vos solvere impedimenta matrimonium dirimentia, quae ab Ecclesia praestituta fuissent in Generalibus Conciliis, nisi in certis duntaxat gradibus, et iuxta eas tantummodo facultates, quas unusquisque vestrum quinquennio quolibet ab hac Apost. Sede petierat, atque impetraverat: a recta tamen via, qua Maiores vestri, et vos ipsi incesseratis, quam longissime recessistis. Etenim qui a. 1782. aperta fronte Caesari restitistis, dum is errore deceptus Episcopis svadere nitebatur, posse illos huiusmodi impedimenta propria auctoritate dissolvere, tuque inter ceteros Ven. Frater Ecclesiae Trevirensis AEppe, qui reluctantiae constantiaeque tuae causas palam facere non dubitasti in iis literis, quae per Germaniam vulgatae singulari te gloria cumularunt; postquam Caesar ipse a nobis, dum Vindobonae essemus, veritatem edoctus, iuxta Concordatum inter eum et nos constitutum publice et palam Episcopis Monarchiae suae declaraverat, ipsis

---

necessariam ad bene regendum populum christianum a Christo ad Apostolos, et ab his ad episcopos transsiisse. Apostolis successimus, iam legitur in Syn. Carthag. Sec. 3. habita, eadem potestate Ecclesiam gubernantes. Singulis pastoribus, rescripsit S. Cyprianus ad Rom. Pont. Cornelium, portio gregis est adscripta, quam unusquisque gubernet, rationem sui actus Domino redditurus. Si enim unicuique Episcopo iurisdictio non servatur, bene iam advertit sanctitate aeque ac doctrina conspicuus S. Pontifex Gregorius M. quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos ecclesiasticus ordo custodiri debet, ordo confundatur. Ipsis Regibus et Principibus probe agnoscentibus, Ecclesiam et Imperium per bona Episcoporum officia, propriaeque potestatis exercitium valde lucrari, admodum cordi erat, iura illorum tueri, singularibusque edictis communire. Carolus M. publice edixit: Episcopos

nunc liberum relinqui, ut facultates dispensandi circa impedimenta matrimonii in gradibus prohibitis consanguinitatis et affinitatis, in quantum hae in gradu quarto et tertio nullatenus tamen tangente secundum ipsis hucusque pro pauperibus concessae erant, etiam pro nobilibus et ditioribus Romae ad dies vitae impetrare, atque hac ratione ipsi etiam in formula consveta dispensare possint ac valeant: mutato consilio in eam mentem venistis, ut eam vobis auctoritatem arrogaretis, qua paulo ante carere vos sancte religioseque defenderatis, vestris Vicariis praecipientes atque mandantes, ut ab antiqua formula hactenus in dispensationibus servari solita, verbis illis deletis: *auctoritate delegata,* nova haec verba, *auctoritate ordinaria* subrogarent, ut Apost. Nuncius nobis significavit. Non defuit sane inter Vicarios ipsos, ad quos haec iussio pervenerat, qui ingenue professus fuerit, allatisque rationum momentis demonstraverit, se id salva conscientia facere omnino non posse, sed huic responsum scimus fuisse, dispensationes huiusmodi quotquot prodiissent, non in capita Vicariorum praecepta exequentium, sed in caput AEppi mandantis recasuras, ut ad nos retulit idem Apost. Nuncius. Vos, et Vicarii vestri a nostris Nunciis fuistis saepius admoniti, ut abstineretis ab Apostolico rum iurium invasione, ex qua tantum detrimenti et calamitatis in Ecclesiam et in Rempublicam ipsam importabatur; sed tantum abest, ut conatibus Summi Pontificis fuerit obsecundatum, ut AEppus Coloniensis respondere Nuncio Apostolico non dubitaverit, ratas iam fixasque esse plures rerum mutationes, quae ad omne dispensationum genus pertinerent; quemadmodum nobis a Nuncio ad Tractum Rheni relatum est. Ignorabamus sane per id tempus, et

---

nutu Dei gubernare Ecclesias. Ipse Papa Hadrianus obtulit Carolo M. Codicem canonum, quem inter alias nationes et ecclesias etiam nostra Germanica magno consensu complexa in usum deduxit, atque ab eo iam tempore pro basi et fundamento habuit. Canones in hoc codice volunt, ut omnium negotiorum ecclesiasticorum curam Episcopus habeat et ea velut Deo contemplante dispenset. A Ludovico 1. et Lothario, aliisque in variis episcoporum conventibus postea specialiter evulgatis nominantur Vicarii Christi, clavigeri Regni Coelorum, quibus a Christo collata sit facultas ligandi et solvendi. Sin ergo Episcopi a Christo Domino nostro immediate instituti ab illo potestatem suam trahant, nutu Dei ecclesias suas gubernent: ab alia potestate quacunque circumscribi, limitari, ac impediri nequeunt. Eadem sensa Germanicae Ecclesiae sub Carolingicis Imperatoribus prodita dura-

ipsa Natio Germanica ignorabat, qualesnam essent huiusmodi rerum mutationes, quas inito inter vos foedere constitueratis: cum obstupescentibus nobis, et ipsa Natione Germanica obstupescente auditum est, coactum fuisse 8. Kal. Sept. a. 1786. per Vestros Ministros clam et occulte in oppido *Emsensi* quoddam quasi conventiculum, vestro nomine et amplitudine prorsus indignum; cuius quidem deliberationes statim ac prodierunt in lucem, satis superque patuit, quo vestra consilia, quo curae, quo molimina vestra spectarent, ad deprimendam nempe atque elevandam Sanctae Sedis auctoritatem non quoad Nunciaturas modo, sed quoad Appellationes quoque et cetera omnia iura Primatus; qua in re molienda auctorem secuti estis eum, cuius doctrinae a doctrina Ecclesiae prorsus alienae, fuerunt a S. Sede damnatae, et ab ipsis Germaniae Episcopis atque Archiepiscopis reprobatae. Auctoritate enim S. Sedis depressa aut imminuta, et Nunciis expulsis, facile vobis persvadebatis fore, ut Metropolitanorum auctoritas auctoritati Pontificiae exaequaretur in omni genere dispensationum, et in aliis facultatibus quibuscunque: ex quo facilis vobis aditus pateret ad quemdam quasi Dominatum assequendum in Suffraganeos et in Dioeceses, alienis etiam ditionibus aliquando subiectas, et lata aperiretur via ad novas seculi doctrinas per Germaniam importandas, ac disseminandas, non sine totius ecclesiasticae disciplinae subversione.

Ubi tam funesta nunciata sunt, in Ecclesiastica Historia fere inaudita, dolentes equidem flevimus, fueruntque lacrymae nostrae panes die ac nocte. Sed flevit nobiscum Natio ipsa Germanica, quae huiusmodi conventiculum incredibili horrore conspexit; fle-

---

runt deinceps post separationem a Gallia sub Principibus Germanicis etiam in ipsis medii aevi tenebris, quamvis per Isidori decretales sensim introductas (quarum falsitas ab omnibus sanctae disciplinae eccles. investigatoribus hodie agnita et recepta est) vetus regiminis eccles. forma mirum in modum fuerit corrupta. Illustre reliquit exemplum AEppus et Elector Moguntinus Willigisius in pervulgata controversia de iurisdictione in Abbatiam Gandersheimensem, plane non recipiens Legatum ideo missum. Etiam privati et probi homines, uti S. Bernardus ad Eugenium 3. querebantur contra tam apertas violationes iurisdictionis episcopalis, exemtiones, arbitrarias missiones legatorum, receptiones appellationum omisso medio etc. quae ex stabilita falsisque decretalibus innixa universali et concurrente Rom. Pontificum iurisdictione in totam Ecclesiam oriebantur. Nihilominus illae decretales de die

verunt per eandem Germaniam Episcopi complures, virtute ac religione praeclari; qui certe tantum abest, ut tot tantarumque novitatum participes existimari queant, velut dictitare tu Moguntiae Elector consvevisti, perinde ac si Episcopalis auctoritatis depressio (alter scopus consiliorum vestrorum) essent terriculamenta et vexationes a S. Sede profectae; ut imo aliqui ex Germaniae Episcopis, ac praesertim Episcopus ac Princeps *Spirensis*, cum intellexerint AEppos ad Caesarem confugisse, quo conventiculi deliberationes defendendas susciperet, gravissime apud ipsum conquesti fuerint, quod AEpiscopi ceteris Episcopis inscientibus Conventum huiusmodi clanculum coëgissent, quodque novae illae deliberationes maximum detrimentum afferrent auctoritati Episcopali. — Vos autem tum nostras, tum totius Germanici coetus Episcopalis oppugnationes nihili facientes in sententia perstitistis ea omnia exequendi, quae in memorato Conventu fuerant attentata, ac recipere detrectastis tam AEppum Damiatensem Praesuli Bellisomio in Nunciatura ad Tractum Rheni successorem a nobis destinatum, quam AEppum Athenarum Nuncium in ditione Palatino-Bavara a nobis electum; licet rogati nos secunda vice a Ministro tuo Ven. Frater Elector Coloniensis, super iurisdictione utriusque Nuncii iterum iterumque certum te esse voluissemus, omnino futurum numquam, ut ii alia uterentur iurisdictione, atque auctoritate, quam ipsorum antecessores usi fuissent, profitentes insuper, nos promtos et paratos futuros ad omnes malos usus radicitus evellendos, si qui uspiam quoquomodo irrepsisse deprehenderentur, et auctoritati Metropolitanorum, aliorumque Episcoporum adversarentur. His tamen iteratis animi nostri significationibus per Vos spretis, penitusque

---

in diem magis invalescebant, id quod ansam dedit, ut tum et tempore sequiori etiam de remediis auctoritate publica ferendis cogitaretur. Inde nati sunt Recessus Imperii, Moguntinus de a. 1238. sub Friderico 2. alius sub Rudolpho 1. a. 1281. alius sub Alberto 1. a. 1303. in quibus severe praecipitur, ut in rebus ecclesiasticis obediatur mandato AEpporum, Epporum, et Archipresbyterorum secundum canones, et qui aliter egerit, habeatur pro infideli, licet numquam Episcopi et Principes mentis fuerint primo Pastori supremam curam et inspectionem in iure divino fundatam, iurisdictionemque propterea variis in circumstantiis admodum necessariam ac connexam in dubium revocare. Eadem gravamina, quae ex confictis his decretalibus in Ecclesiam et Nationem Germanicam redundarunt, praecipue in Conciliis Constantiensi et Basilecnsi de novo trutinae subiiciebantur, novaque remedia pro

despectis, iniquam conditionem non dubitastis Nunciis proponere, quam tu Ven. Frater Elector Coloniae aequum desiderium appellabas, ut scilicet declararent iimet ipsi Nunciaturas exstinctas, atque deletas, et verbis scriptoque pollicerentur, se nullos unquam iurisdictionis actus exercituros. Volentes autem e contra uti vos illa auctoritate, quam Conventus ille Emsensis arrogandam vobis curaverat, nullam nostrarum monitionum rationem habentes, a dirimentibus matrimoniorum vinculis laxandis minime abstinuistis. Non valentes itaque tunc nos ex una parte tantum malorum dissimulare, nolentesque ex altera a semita mansuetudinis atque benignitatis decedere, iubendum censuimus Apost. Nuncio ad Tractum Rheni, ut maiori, qua posset, uteretur cura ac vigilantia, daretque operam: ne qui forte huiusmodi dispensationes obtinuissent, earumdem inanitatem ignorarent, utque errore detecto ab ineundis huius generis matrimoniis quammaxime possent, retraherentur. Sed responsum accepimus, concedi huiusmodi dispensationes secretissime, ita ut nullo modo possent opportune Contrahentes admoneri. Necesse ergo fuit ad aliud remedium manus admovere, et ipsi Nuncio praecipere, ut Parochos officii sui in re tam gravi moneret. At primus Parochus, ad quem per Nuncium nostra hortatio pervenit, respondit, se bona fide Superiori suo AEppo obtemperavisse. — — Hinc ne Parochi deinceps bonam fidem praetexerent, qua tueri se posse arbitrabantur, coacti fuimus praecipere Nuncio, ut per solitos tabellarios mitteret ad Parochos, ad Vicarios, et Officiales AEpporum, atque Epporum Epistolam quamdam Encyclicam merae instructionis, qua ne quis factorum ignorantiam in re tam gravi praetexere valeat, narratione praemissa facultatum, quibus

---

ordine et pace restituenda tentabantur. Quamvis Natio Germanica tum quoad personam Pontificis ad interim neutram partem fuerit amplexa, decreta tamen Conciliorum ad reformationem tam diu optatam maxime idonea probavit, et in celeberrimo Conventu Moguntino a. 1439. solenniter acceptavit. Et haec ipsa decreta Eugenius 4. ceu Summus Pontifex ab omnibus postea agnitus publico pacto solennique bulla *ad tranquillitatem* firmavit, eiusque successor Nicolaus 5. in noto illo Concordato Aschaffenburgensi aliisque bullis corroboravit, et indubie praecipuam Concordatorum Nationis Germanicae cum Sede Ap partem conficiunt. Promittit etiam Imperator in sua Capit. Caesarea art. 14. §. 1. et 3. se apud Sedem Romanam officia sua interpositurum, ut ab ea haec Concordata Principum pactaque inter Sedem Apost. et Nationem Germanicam inita observentur; iam vero inter illa maxime no-

AEppi et Eppi utuntur ex Apostolico Indulto, quasque AEppi et Eppi eorumque Antecessores de quinquennio in quinquennium semper postularunt, fieret cuique notum, atque perspectum, dispensationes ab iis datas ultra suarum fines facultatum nullius roboris futuras, matrimonia irrita, et prolem, quae inde susciperetur, fore omnino illegitimam. Epistolam huiusmodi, quam Nuncius nostro iussu misit pridie Cal. Dec. a. 1786. laetanter Coloniae accepisse Suffraganeum Vicarium Generalem et Parochos, nec solum summo cum gaudio illam accepisse, sed etiam cum eo animi obsequio, quo recipi opus erat epistolam, quae a Pontifice ipso manabat, eandemque epistolam missam a se fuisse ad alios Vicarios tum Generales tum foraneos, et ad Parochos omnes Archidioecesum et Dioecesum aliorum Electorum, Nuncius ipse nobis testatus est. Tot inter Episcopos, ad quorum Vicarios haec epistola missa est, nec unus quidem fuit, qui illi non plaudendum putasset. Vos uni, Ven. Fratres, aliorum insidiis decepti, iniurias iniuriis cumulantes, quaedam mandata per Vicarios vestros edi curastis in vulgus, in quibus huiusmodi Vicarii ausi sunt nostrum Apost. Nuncium iniuriosis nominibus afficere, eumque compellare Eppum extraneum, qui se dicat Nuncium Apostolicum, et Epistolam Pontificio nomine editam perinde habere, ac si esset iniuriosa potestati AEppali; iubentes proinde, ut quotquot epistolam accepissent, eandem per eosdem tabellarios ad eundem Nuncium remitterent, non sine totius Germaniae offensione atque admiratione. Iam vero licet Apostolica Sedes, tot tantisque modis indigne habita, iure meritoque potuisset a vobis exposcere, ut per Vicarios tantum sibi officio satisfieret, quantum sibi illatum esset iniuriae: tu nihilominus V.

---

tatu dignum est illud decretum Sess. 31. de causis et appellationibus, ubi ad servandam Ordinariis iudicibus iurisdictionem propriam, et restituendum hierarchici regiminis ordinem statutum, ut quaecunque causae exceptis solis maioribus primum deferantur ad Episcopum, dein ad Superiorem immediatum, nequaquam omisso medio, demum quidem ad Romanam Sedem, non tamen ut Romae, sed in provinciis, ubi causae ortae sunt, viris idoneis iurium ac consvetudinum peritis committantur, et ab iis plene finiantur. Sic arrogatae Nunciorum iurisdictioni, qui omnes causas in quacunque instantia hactenus sine ullo iure admittebant, finis imponebatur. Etiam Tridentinum quoad potissima et plurima capita in comitiis Augustanis 1566. ab Ecclesia Germanica receptum Sess. 24. c. 20. de ref. legatis, nunciis, aliisque praecepit, ne quarumcunque facultatum vigore Episcopos in causis

F. Elector Coloniae, per Oratorem tuum Romae degentem tuas adversus Nuncium ad nos querelas detulisti, perinde ac si tu iniuria affectus, non auctor esses iniuriae. Nos autem omni redargutione seposita, ad te literas dedimus paterni plenas amoris, ut te ad officia revocaremus, et vindicata prius agendi ratione, quam Nuncius inierat, mox te in Domino obsecravimus. ne his miserrimis Ecclesiae temporibus nobis nova infligantur vulnera — ea certe est nostra de regio animo tuo fiducia, ut rationes has, precesque non sis reiecturus. Sed omnia haec in irritum cessere: tu enim misisti ad parochos tuos pastoralem quamdam epistolam, in qua eaedem ac maiores etiam evomuntur iniuriae et contumeliae, quae alias a te et ab reliquis Electoribus fuerant in memoratis mandatis effusae adversus Nuncium; pastoralem, inquimus, epistolam, quam tu ipse publica luce indignam putasti, praecipiens, ut neque affigatur, neque ex cathedris publicetur.

Accedit ad haec, quod tu, ceterique Electores ad communes errores vindicandos ac protuendos ad Caesarem denuo confugistis, qui vestrarum querelarum definitionem ad Consilium Aulicum ablegavit. Sicut autem minime dubitastis AEppali dignitate fulgentes in hoc vos sistere, ibique vestem *Actoris* induere: ita narrantibus vobis, quae magis expedire videbantur, haud difficile profecto fuit sine contradictore contumaciale conclusum obtinere, quo declaratum fuit, ut ratum haberet sua Caesarea Maiestas, quod D. Elector remissionem huius Encyclicae mandaverit; utque praeciperet, qua supremus Protector Ecclesiarum Germaniae Serenissimo Electori Palatino, ne Pontificio Nuncio Zollio in suis Iuliacensibus et Montiensibus ditionibus ullam esse

---

propriis impedire, iurisdictionem iis praeripere, aut aliquo modo turbare praesumant, et ne causas ad iurisdictionem contentiosam spectantes solummodo comprehendere videatur, distincte ait: causae omnes quaecunque quomodolibet ad forum eccles. pertinentes. Scopus igitur fuit, priscum hierarchici regiminis ordinem undequaque per legatos et nuncios turbatum restituere. His non obstantibus eadem gravamina ante et post Concilia Basileense et Tridentinum permanserunt, et Nationi Germanicae perdurantem imposuerunt necessitatem, in publicis comitiis Norimbergae, Augustae Vindelicorum, Wormatiae et alibi habitis constantes ac repetitas querelas movere, quas inter et illud notabatur, quod legati romani in Germaniam mitterentur, qui in secundo et tertio consangvinitatis et alias dispensationes elargirentur etc. Adhuc in Comitiis 1719. integra natio speciale Ordinum

sinat iurisdictionem. Praeposito Robertz (ab eodem Nuncio delegato) executionem incompetentium ordinationum dicti Nuncii prohibeat. Imo animadversione dignum est, ab ipso Consilio Aulico, etiam post vulgatam Caesaris Encyclicam, consideratas et appellatas fuisse Nunciaturas tamquam adhuc permanentes, et tamquam veros ac legitimos habitos et reputatos fuisse Nuncios Apostolicos, cum idem Consilium Aulicum Papales in imperio nominaverit Nunciaturas, cum Praesuli *Pacca* intactam relinquendam esse putaverit eam iurisdictionem ad Tractum Rheni, quam ipsius antecessores habuerant; cumque Praesuli Zollio liberam iurisdictionem reliquerit in omnibus locis ditioni Palatino-Bavarae subiectis, territoriis tantum exceptis Iuliacensi et Montiensi non alia quidem de causa, nisi quia secundum allegata, ut aiunt Germani, per errorem putavit, non potuisse a Nuncio Praepositum Robertz delegari. Nemo sane credidisset unquam, hoc iudicium Aulici Consilii, quo Nuncii nostri Encyclica, atque adeo nostra etiam iussio impetebatur, ad Nos mittendum fuisse ab aliquo ex AEppis Electoribus: ita enim agi sane oportuisset cum alio quocumque ob mutuum illud officium, quo se ultro citroque prosequi Magni Principes consveverunt. At secus nobiscum actum est; cum nobis enim, quos meritis licet imparibus Divina tamen Providentia ad regenda gubernacula Religionis constituit, nullus servatus est modus, officia nulla adhibita, coactique fuimus illud accipere una cum literis, quas tu V. F. Elector Coloniae ad nos scripsisti, in quibus intelliget nemo, quomodo gloriari potueris esse te nostrorum iurium non derogatorem, sed propugnatorem acerrimum. Haec omnia patienter nos tulimus: non ita tamen faciendum sibi esse duxit

---

Imperii votum ea de re ad Imperatorem dirigendum promisit, quod quidem hactenus nondum comparuit, sed tamen Collegium Electorale, quod A. 1764. ad eligendum Iosephum 2. Rom. Regem erat Francofurti congregatum, hanc Imperii Ordinum consultationem ab Imperatore urgeri gravissimis literis petiit, et id quidem monente et rem plurimum movente eo ipso serenissimo Electore Palatino, qui modo miranda metamorphosi contra Concordata Principum in istis literis tam singulariter commendata novum Nuncium Monachii introductum, facultates cum tanto Episcoporum et Metropolitarum praeiudicio exercentem, veteresque querelas novis cumulantem totis viribus suis protegendum suscipit. Momentosae istae literae unanimi Electorum tam catholicorum quam protestantium calculo sunt probatae et exaratae. Et quid Status Protestantici alias de Legatis et Nunciis senserint, Sanctitati

Elector Palatinus, qui aegre ferens Principatus sui iura occupari, turbarique quietem subditorum, — ad Caesarem literas misit, quibus docuit luce meridiana clarius, nullo niti fundamento ea, quae a Metropolitanis fuerant apud Consilium Aulicum iactata, quodque inde iudicium prodierat; subdens praeterea, nolle ac non posse se pati, ut ulla huiusmodi iudicii pars suum haberet effectum, ne sui Principatus iura laederentur. — — Non potuit profecto Caesar harum rationum pondere non commoveri; proindeque iussit, ut negotium omne super Nunciatura Monachii, et super aliis Germanicis Nunciaturis ad Consilium Aulicum denuo deferretur. Re itaque ad Consilium delata, ibique examini subiectis tum vestris reclamationibus, tum praesertim iactata et obiecta Germanicarum imperii legum repugnantia, maior suffragantium pars sive ex Catholicis sive ex Protestantibus circa medium Decembrem a. 1787. ad Imperatorem votum dedit, minime certe suspectum, et a Constitutione Germanica sibi satis superque perspecta non alienum, quod studio et calliditate vestrorum Ministrorum in acta Imperii, ut moris est, relatum non fuit. Verum enimvero quo spectet huius voti occultatio, cum iudicium contumaciale seu conclusum, de quo paulo ante meminimus, in lucem statim, aspectumque hominum prodierit, nemo est qui non videat, et loquitur res ipsa per se. Ceterum universam Nationem non latuit, et nos ipsi certis probatisque auctoribus scimus (quorum nomina iustis de causis patefacere non arbitramur), quantum faveat suffragantium sententia omnibus Nunciaturis. Omnes autem Nunciaturas cum dicimus, non de Vindobonensi tantum, et ad Tractum Rheni loquimur, tot iam ab annis ita constitutis, et per imperium receptis, ut Consilium Auli-

---

suae aliunde iam constabit, cum illos iam A. 1598. ceu auctores omnis dissidentiae ex imperio eliminari petierunt, et 1613. speciatim institerunt, ut illis omnes facultates praecipue dispensandi in gradibus prohibitis adimerentur. Dum Protestantes cum Caesare et Catholicis Statibus in solemni illa Pacificatione Osnabrugae inita, nunc lege fundamentali Imperii, de iurisdictione ecclesiastica vel suspendenda vel retinenda agerent, unice fuit sermo de iure dioecesano et de iurisdictione episcoporum, nemine unquam cogitante de alia extranea concurrente, quae cum indigena exerceri, vel Nunciis posset delegari.

Ecce, beatissime Pater, haec fuerunt sensa olim Statuum Imperii tam Catholicorum quam protestantium: eadem persistunt adhuc hodie; inde facile dimetiri licet, qualem sortem Nuncii cum iurisdictione ordinaria

cum iudicaverit, nullo modo prohiberi illos Nuncios posse, quominus suam iurisdictionem exerceant; sed loquimur etiam de Nunciatura Monachii, quae licet nuper instituta sit, iure tamen meritoque visum est suffragantibus, novam non posse dici iurisdictionem, semel ac nova tantum est Nuncii persona, quae illam exercet iisdem facultatibus, quibus antea Nuncii Vindobonenses et ad tractum Rheni eam exercebant. Scimus praeterea, maiorem quoque suffragantium partem Caesari illud sedulo animadvertendum proposuisse, quod cum ipse impulsu hortatuque vestro impedivisset Nunciis Vindobonensi et ad Tractum Rheni exercitium illius iurisdictionis, cui ditio quoque Palatina subdebatur, ius quidem erat Electori Palatino alia via ac ratione consulendi, ne subditis subsidia deessent, quae a Nunciis facile promteque exhibentur. Si sapientissimum hoc Aulici Consilii suffragium fuisset a Caesare approbatum, omnis diremta esset de Germanicis Nunciaturis quaestio. Sed aliorum solertia factum est, ut Caesar rem omnem ad Comitiorum Generalium deliberationem ablegarit. Efferbuit tunc in Vobis magis magisque ardor et studium, quod vestris iam insederat animis, Ven. Fratres, adeoque nil habuistis antiquius, quam trahere in vestras partes quotquot sunt Imperii Proceres, et Principes, in medium proferentes nonnullas commentationes plenas insidiis, et narrationibus minus veris, nec non epistolam encyclicam, et lucubrationem quamdam circumferentes in tria ac septuaginta capita tributam, aliaque huiusmodi parantes, quae libenter silentio praeterimus.

Post tot molimina et tanta vulnera apostolicae auctoritati inflicta nunc VV. FF. ad nos confugitis postulantes, ut nosmet-

---

et stabili, si in Comitiis propositio circa illos fiat, sint habituri. Equidem non ignoro illas rationes, quae Ser. Electorem Palatinum, ut Nuncium cum facultatibus sibi exoraret, et Sanctitatem suam, ut istius precibus annueret, commovebant. Satis patent ex Brevi ad nunc pie defunctum Eppum Frisingensem Ludovicum transmisso, et ex repraesentatione Electoris Palatini ad Caesaream Maiestatem eum in finem facta. Dicitur ibidem Romanum Pontificem posse vi Primatus a Deo constituti, uti tempora postulare videntur, mittere suos Nuncios, eosque debere agnosci. Et id quidem verissimum est, si sermo sit de Nunciis ad eas causas missis, quae proxime ad finem et munus instituti Primatus spectant, quaeque a sua Sanctitate immediate exerceri non possunt, sed locali missione indigent. Cum 1594. Protestantes Ordines graviter quererentur apud Caesarem de nunciis, quod

ipsi Nunciaturas omnes uno ictu concidamus, nec permittamus, rem ad generalia imperii comitia deferri, in qua vos duplici veste induti actorum et iudicum, Caesaris patrocinio subnixi, spemque maximam collocantes in maiori suffragiorum parte, ad minas etiam descenditis, perinde ac si irrevocabili sententia ad perennem nostrae Curiae iacturam egredi quamprimum debeat, e finibus Imperii propulsa Nunciorum iurisdictio, ac sublata gravamina, et concordatum ipsum Aschaffenburgense rescissum ac revocatum esse debeat. At nemo vestrum ignorat, imo vos Elector Moguntiae et Coloniae meministis, petitionem Nunciaturarum evertendarum factam fuisse a. 1594. coram Caesare a Protestantibus, qui tamen paulo post Catholicorum defensione devicti de suo proposito decesserunt. Nunc vero fieri ne poterit, ut quae iura ac possessiones reverentur et in statu quo sunt tuentur Protestantes, ea a vobis despiciantur? Nos equidem Caesaris religioni confidimus. Si enim ipse tamquam Advocatus Imperii in solemni capitulatione iuravit, se defensurum libertatem, et privilegia Germaniae, omnemque operam daturum apud Pontifices, ne quidquam de privilegiis et consvetudinibus Episcoporum, Ecclesiarumque Germanicarum unquam detraheretur: in eadem quoque capitulatione uti Advocatus Ecclesiae primo loco iuravit: se Christianam Religionem, Sedem Romanam, Sanctissimum Papam in qualitate Advocati tuiturum. Porro sicut hodie non id agit S. Sedes, ut quidquam detractum sit de iuribus Metropolitanorum, sed cum Metropolitani e contra sint ii, qui adversus sententiam Episcopalis Coetus Germanici in eo laborant, ut de praecipuis deque certioribus iuribus et possessionibus eiusdem S. Sedis derogetur: ita per se satis Caesar intelligit, se ea tan-

---

iurisdictionem ecclesiasticam in pace religiosa suspensam resuscitarent, alios excommunicarent; et praeclarum et dignum sua religione responsum dedere Catholici, scilicet: „Postquam Ordines Catholici hactenus obsequiose agnoverint et adhuc agnoscant Caput visibile suae Ecclesiae, aequum est, ut illud decenti veneratione et honore prosequantur, atque in iis omnibus, quae ad unitatem doctrinae et cavendum schisma pertinent, debita praestetur obedientia, quem in finem subin in imperium mittuntur eccles. legati et nuncii, non alia quam inspectionis causa, ut in Ecclesia Catholica indivulsa unitas et ordo antiquitus observatus suo in vigore maneat; extra quam etiam nil habent administrationis, aut ullus Catholicorum illis quidquam in praeiudicium aliorum statuum tribuere cogitat.“ In his circumstantiis extraordinariis, quas autem non vivimus, quasque etiam Superi longe ab

tum iuramenti parte teneri, quae spectat ad Ecclesiae, Pontificis, et S. Sedis munitionem ac defensionem, ita, ut dubium non sit, quin ea, qua praestat, iustitia ad primam sententiam reversurus sit, Nunciaturis minime adversantem, ipsoque Consilii Aulici suffragio comprobatam, et fraude detecta revocaturus sit hortatoriam illam epistolam, qua tantopere Metropolitani abutuntur, nec certe committat, ut Ecclesia Romana eo iure expoliata remaneat, quod et a Primatu ipso descendit, et est cum bono Religionis coniunctum. — — Confidimus etiam in religione ceterorum Imperii Principum Catholicorum, et in iustitia quoque confidimus Principum Protestantium, qui membra pariter sunt eiusdem Imperii, quibuscum communia sunt iura gentium, pactorum sanctitas, et constantia conventionum. Scimus enim id sibi honori et gloriae ducere, ne novitates invehantur, utque res in quo sunt statu in eo maneant atque consistant. Imo si fiet aliquando, ut Generalia Comitia convocentur, non poterunt sane Principes et Membra Imperii non intelligere, eo etiam consilia vestra spectare, ut ipsa Imperii iura laedantur, nec committent unquam in hac re, quae quantaquanta est, vestra est, Vos uno eodemque tempore actoris ac iudicis personam vicemque sustinere.

Haec sunt spes nostrae, firmiter, ut videtis, in religione ac iustitia universi Corporis Germanici constitutae. Ceterum erratis quammaxime, cum dicitis, fore, ut maiora S. Sedis iura a Generalibus Comitiis irrevocabili sententia evertantur atque extingvantur. Etenim ipsae Imperii leges, confessiones vestrae, exempla annorum 1473. 1500. 1510. 1518. 1521. 1522. 1530. 1654. 1719. et 1764. per Vos etiam in medium allata, ipsique Scriptores Vestri id unum ferunt ac docent, ubi de Religione agitur,

---

Archi- et Episcopatibus Germaniae avertant, adhuc hodie Sanctitas sua potest ac debet Nuncios facultatibus extraordinariis munitos ablegare, qui ad tempus, quousque periculum existit, gregem verbo et exemplo pascant. De legatis in eiusmodi circumstantiis sine iurisdictione stabili vel ordinaria missis iuramenta Episcoporum et Concordata Nationis Germanicae, in quibus eorum auctoritatis mentio fit, unice intelligenda veniunt. Provocatur quoque ad novissimum Imperii Recessum de anno 1654. eiusque §. 164. et ad novissimam Capitul. Caesar. §. 4. 5. quibus nempe solummodo tolleretur abusus nunciorum, quo isti sibi etiam iurisdictionem in causis civilibus attribuissent; ex eo praetensa fit inductio, quod hoc ipso usus potestatis in causis mere ecclesiasticis probatus fuisset. Ast illam sequelam nullo fundamento niti, nemo est qui non videat; nemo enim est, qui ex eo, dum unus

aut iuribus Apost. Sedis, non aliam Comitiis auctoritatem inesse, nisi res ipsas ad Imperatorem referendi, cumque compellandi, ut officio suo ineundam conciliandamque curet amicam cum Sancta Sede concordiam. Interea nobis sane persuasum est, fore, ut si vos liberi ab alienis insidiis parumper animum adiiciatis ad seriem illam rerum gestarum, quas ingenue et sine fuco hucusque exposuimus, habita praesertim personarum, auxiliorum, consiliorumque ratione, excitari illico debeat vestra virtus, et sponte sitis ab incoepto destituri, quod tantis nominibus est vestro ordine ac dignitate prorsus indignum. Mementote, quaeso, auctoritatem vestram Metropoliticam non esse divinae sed humanae atque ecclesiasticae institutionis, et privilegiis niti a S. Sede profectis. — — Servate vos Metropolitani eas praerogativas, quae vobis concessae fuerunt, sed veremini salubres Matris constitutiones perrumpere atque infringere; et honore prosequimini in personis Nunciorum Apostolicam Sedem, quae tanto vos honore cumulavit. — — Frequentes Metropolitanorum reclamationes ad laicam potestatem, — potestatem extraneam atque illegitimam in rebus ecclesiasticis — non sustentant Ecclesiae auctoritatem, sed elevant, imo Ecclesiam ipsam in captivitatem reducunt, et turpiter Episcopatum dedecorant. — — Minime est, quod timeat Ecclesia adgressiones atque invasiones laicae potestatis, si membra suo Capiti coalescant; at timet defletque quodcunque calamitatis genus, ubi filii bellantur adversus patrem. — — Et re quidem vera vos ipsi, VV. FF. haud ita pridem publice ac palam professi estis, vehementer admirari, quod non inimici modo, sed ipsi etiam Ecclesiae filii moliantur evertere immobilia S. Sedis fundamenta; — tuque Moguntiae

---

solummodo tollitur abusus, arguere possit, alium probari velle : praesertim si de eo nullus fuit sermo, nulla loquendi occasio, id quod hoc loco ita esse docet historia imperii: habent nimirum in Archidioecesi et dioecesibus Coloniensi, Leodiensi, Monasteriensi, Paderbornensi Officiales ex observantia et concessione Archi- et Episcoporum qua Principum concurrentem iurisdictionem etiam in causis civilibus cum iudicibus secularibus; Nuntii Colonienses etiam in his provocationes ad se factas receperunt. Id indigne tulit collegium Camerae Imperialis, cuius iurisdictio his molitionibus violabatur. Igitur post varios motus et querelas demum A. 1654. effecit, ut ille §. ad salvandam iurisdictionem in civilibus relato imperii recessui insereretur, atque ut eo tutius usque nunc procederet, omnem operam adhibuit, ut et haec ordinatio et inhibitio in omnes capitulationes caesareas redigeretur. Iurisdictio in

Elector declarare non dubitasti; pseudo-canonico medio uti eos, qui ad secularem coactionem confugiunt. Vos ipsi nunc quoque diffiteri non potuistis, quam absurda res sit, indecora, et scandali plena, ut inter Caput, et membra Ecclesiae Catholicae beata in Imperio harmonia non sine maxima animorum offensione interrupta fuerit. Vos ipsi affirmastis, auxilia seu media per vos adhibita esse vobis indigna. — —

Cap. II. De causis, ex quibus huiusmodi turbae excitatae asseruntur, et primo de querela communi nomine proposita super instituta Monachii Nunciatura pro ditione Palatino-Bavara. Tali equidem nos ac tanto afficeremur dolore, nulla ut posset consolatione leniri, si conscii essemus, novis hisce perturbationibus vel minimam nos causam tribuisse. Sed certum nobis exploratumque est, nostram agendi rationem Deo atque hominibus probari. Vos, qui estis accusatores, vestras nulla probatione defenditis accusationes; eas tamen nos funditus evertendas curabimus, nihil aliud agentes, quam eas ipsas causas ad examen revocare, quibus iuste animos vestros concitari potuisse putastis ad tam graves iniurias in nos vel iam illatas, vel, ut vestrae minantur literae, inferendas. Harum porro causarum aliae sunt unicuique vestrum communes, quales sunt Nunciatura Monachii nuper constituta, delegatio ecclesiasticorum virorum Robertz et Henning per Nuncium Palatino-Bavarum facta pro Palatinatu Rheni et pro territoriis Iuliacensi et Montiensi, Encyclica denique per Coloniae Nuncium ad Vicarios et ad parochos missa super matrimoniorum dispensationibus; aliae vero peculiares et uniuscuiusque propriae. — —

Ut a Nunciatura Monachii initium sumamus, — vestra con-

---

causis et negotiis ecclesiasticis cameram imperialem nullatenus tangebat, hinc et nullum sermonem de ea faciebat, alias et Electores imperii, capitulationis caesareae auctores, si isti §§. 4. et 5. iurisdictioni Nunciorum in ecclesiasticis a longe patrocinari voluissent, sibimetipsis, postquam praecedentibus §is exactam observantiam Concordatorum Principum proin et decretorum Basileensium stabiliverant, manifeste contradixissent, id quod solummodo opinari nefas foret. Superest adhuc possessio, qua iurisdictionem Nunciorum suffultam esse arbitrantur. Ille, qui talem se gerit Monachii, nullam unquam habuit, nec proinde pro nunc habere potest. Quoad istum Coloniae Agrippinae sunt dioeceses, in quibus numquam aperte iurisdictionem ullam, sunt aliae, in quibus illam precario et ad nutum revocabiliter exercuit. Dein illa possessio et praescriptio est ex omni parte vitiosa, cum

certatio omnis huc tandem recidit: ut Nunciatura Palatino-Bavara sit recens invecta, et nullo sit iure possessionis suffulta, proindeque adversetur Imperii legibus, quae novas invehi Iurisdictiones vetant absque Principum placito, et Comitiorum Generalium consensione. At Responsio nostra *) vestrarum concertationum fundamenta ipsa subvertit, atque delevit: brevi enim sed ineluctabili oratione evicimus, Palatino-Bavaram Nunciaturam vere apellari novam iurisdistionem non posse; quam enim iurisdictionem exercebat prius Apost. Sedes in ditione Palatino-Bavara per Nuncios Vindobonensem, ad Tractum Rheni, et Helveticum: eam exercet modo ad maiorem populorum commoditatem per Nuncium in Civitate Monachii commorantem. Alia porro res est novae iurisdictionis invectio, et alia veteris iurisdictionis divisio. — Hac autem posita — iam nemo non videt, Nunciaturam Pal. Bavaram nihil esse aliud, nisi Nunciaturarum antiquarum veluti ramum decerptum a planta, et quemdam quasi rivum a fonte deductum.— Hinc est quam maxime a veritate alienum, nullum S. Sedi possessionis ius esse quoad Pal. Bavaram Nunciaturam: quam enim iurisdictionis possessionem habuit ipsa ante plura secula in hac ditione per suos Nuncios Vindobonensem, Coloniensem, et Helveticum, eandem exercet modo per Nuncium Monachii degentem. — Illud denique hoc loco addendum arbitramur non ad defensionis quidem necessitatem, sed ut detur veritati locus, quod Imperii leges, ad quas appellatis, tamquam novis Iurisdictionibus adversantes, contrariae nobis minime sunt. Illae enim, aut verba ipsa inspiciantur, aut contextus, et continuatio verborum, aut denique illorum vis ac natura, ad eas tantum novas iurisdictiones referuntur, ac pertinent, quae immutare quodammodo possunt

ex spuriis decretalibus exorta institutioni divinae, fundamentalibus Ecclesiae Germanicae et Imperii legibus, Nationis Germanicae Concordatis, imo Capitulationibus Caesarcis e diametro adversetur, numquam fuit quieta, sed perpetuis nationis Germanicae querelis in multis variisque Comitiis ac conventibus usque in currens seculum contradicta, proin numquam potuit legitimum iuris effectum sortiri.

Haec sunt, beatissime Pater, potissima momenta, ex quibus sum convictus, nullum Sanctitati suae ius subesse extra casus ad munus Primatiae proxime spectantes, qui ex natura sua Romae immediate exerceri nequeunt, Nuncios stabili et concurrente cum Episcopis vel Metropolitis iu-

*) Nomine Summi Pontificis data 7. Maii 1785. per Praesulem Fridericum Secretarium ad ea, quae nomine AEppi Moguntini exponebantur.

formam et constitutionem imperii, supremorum scilicet tribunalium Camerae Vetzlariensis et Aulici Consilii : — ad Ecclesiastica autem tribunalia quod spectat, quae nihil habent cum civili potestate commune, Imperii leges eo semper, quo decet, obsequio sunt prosecutae auctoritatem Ecclesiae atque Apost. Sedis, nihilque unquam de horum numero aut forma oblocutae sunt. — Interea ipsa rerum historia satis superque docet, iuxta Germanicas leges opus minime esse, tametsi de nova prorsus Nunciatura ageretur, explicita Imperii sanctione, sed liberum esse Principibus petere ab Apost. Sede Nuncios, eosque in suas ditiones recipere, veluti probavit Elector Palatinus expensis Imperii legibus, iuribus territorialibus, et constanti observantia. Latae iam erant hae leges, cum sine ulla Imperii sanctione, ipsis petentibus Austriae Principibus, ante plura secula instituta est Nunciatura Vindobonensis, ceteris antiquitate et dignitate eminentior; cumque pariter sine Imperii sanctione, petente Duce Ferdinandi I. filio, erecta est a. 1564. Nunciatura Graeciensis, in qua Bavariae Electoratus, et Archidioecesis Salisburgensis includebatur, quae Nunciatura ad annum usque 1621. circiter perduravit; tunc enim rebus immutatis ad Nunciaturas Vindobonensem et Helveticam adiecta est; item sine huiusmodi sanctione auctore S. Carolo Borromaeo erecta fuit a. 1579. perpetua Helvetica Nunciatura, et a. 1584. ordinaria Nunciatura ad Tractum Rheni et ad inferiores partes Germaniae. — Sed quid est, quod diutius immoremur in vindicanda Monachii Nunciatura, semel ac illa, instituta loci Domino ac Principe postulante, non modo est Religioni utilis, sed etiam populorum bono accommodata, nihilque vobis affert detrimenti, quemadmodum Dux ipse

---

risdictione instructos mittendi in Germaniam; quaeque me impulerunt, ut ad iura muneris Archi- et Episcopalis servanda et recuperanda sollicite in id incubuerim, ut Nunciis in Germania quodcunque exercitium iurisdictionis interdiceretur. Dubitare non licet, maiorem ordinum ac statuum Imperii partem futurae propositioni de abolenda stabili Nunciorum iurisdictione esse adstipulaturam, praesertim cum iam de mente supremi imperii capitis ex pluribus eiusdem rescriptis disserte satis constet; ex hoc certe secuturo consensu Caesaris et Statuum Imperii nova sanctio imperii emerget, quae libertatem Ecclesiae et nationis Germanicae contra iurisdictionem Nunciorum plena tandem efficacia vindicabit. Via in Comitiis Ratisbonensibus per propositionem circa Nuncios semel aperta, tota Natio et praesertim Status Ecclesiastici officii sui esse iudicabunt, et cetera iam antiqua gravamina

Bavariae cum Caesari, tum Comitiis Ratisbonensibus dilucide demonstravit. — —

Cap. III. De altera communi querela quoad factam a Nuncio Palatino-Bavaro delegationem duorum eccles. virorum pro Palatinatu Rheni, et pro Ducatibus Iuliacensi et Montiensi. Inanior est altera a vobis omnibus proposita querela de facta per Bavariae Nuncium delegatione Praepositi Robertz et Henning in Civitatibus Dusseldorpii et Heidelbergae a. 1786. perinde ac si huiusmodi delegatione fuissent multiplicata in Germania ecclesiastica tribunalia, et constituti inferioris ordinis clerici, qui suis invigilarent Episcopis. — Nemo non videt, delegationem huiusmodi, in recipiendis, reddendisque supplicibus libellis duntaxat coërcitam, non esse veram delegationem cum auctoritate coniunctam, sed simplex praeseferre officium actoris aut procuratoris, quod per leges tam communes quam Germanicas potest cuicunque demandari. Multo sane maiorem potuisset Nuncius auctoritatem conferre in suos delegatos. Notum enim exploratumque est, delegatum Principis, quales sunt Nuncii Apost. Sedis, posse aliis delegare non modo unam aut alteram causam, sed universitatem quoque causarum ex Iuris Civilis et Canonici constitutione, quam laudant commendantque omnes Canonistae, ne illis quidem exceptis, qui scientiam canonum Vindobonae profitentur. — — —

Cap. IV. De altera querela communi Electorum Eccles. nomine proposita super literis Encyclicis a Nuncio ad Tractum Rheni missis ad Suffraganeos, Vicarios, et parochos Archidioecesum Moguntinae, Trevirensis, et Coloniensis. Satius profecto fuisset, si vos VV. FF. alto praeteriissetis silentio Encyclicam

---

v. g. de annatis, taxa pro pallio, reservationibus, diversis indultis etc. ipsumque Concordatum Aschaffenburgense tamquam primarium gravamen vel simul vel successive pro medela ac levamine in medium proferre. Desiderabunt, ut concordatum modo memoratum Nationi omnino molestum et ob causas sublimiores ad tempus tantummodo initum iam cesset, et Ecclesia Germanica in pristinum statum restituatur.

Haec cum ita a me sincere exposita sint, profundissimae Sanctitatis suae penetrationi, paternaeque prudentiae relinquere cogor, an non alia ratione magis amica, Sedi Apostolicae magis honorifica, et offensioni minus obnoxia, scilicet motu proprio facultates Nunciorum revocare, et quoad cetera gravamina a Natione toties iam proposita et repetita compositionem amicabilem cum supremo capite et statibus Imperii, qui totum corpus effi-

Nuncii super dispensationibus matrimoniorum. Etenim tantum abest, ut vel minimum vobis sit inde allatum iniuriae, ut imo auctoritas S. Sedis, cuius praecipua cura esse debet de Sacramentorum validitate adlaborare, indigne fuerit violata ac pessumdata; — eo magis, quia AEppus Damiatensis et Encyclicam misit et dispensationem concessit non vi suarum facultatum, quibus muniri solent Nuncii, sed speciali iussu nostro ad ipsum dato, ut ipsa Encyclica praesefert: quod fieri a nobis potuisse et vos non negatis, et vestri Scriptores ipsi confitentur. Dolet insuper vobis, quod Encyclica, de qua res est, fuerit circumlata nulla vobis facta prius huius rei monitione. Sed qui fieri potest, ut iuste conqueramini, si admoniti vos iussu nostro a Nuncio Antecessore non solum captam deliberationem non deserendam putastis, rationi inimicam, sanctioni canonum et decretorum tam particularium quam Generalium Conciliorum adversantem, vestris factis scriptisque contrariam, a veteri Ecclesiae universae disciplina, ab ipsa Archidioecesum vestrarum consvetudine, et a longaeva S. Sedis possessione abhorrentem, et cum ipsa conventione inter Caesarem et nos nuper inita pugnantem, ut aliis etiam literis nostris in forma Brevis demonstravimus *); sed etiam respondistis, propositum suscepisse vos concedendi omne dispensationum genus; adeoque auxiliis seu mediis adhibitis ipsimet nationi invisis, in id vobis enitendum curastis, ut falsum hoc novumque doctrinae monstrum inveheretur atque invalesceret. Hinc et novi Nuncii vocem audire detrectastis, ne monita veteris Nuncii fortasse vobis repeterentur, et Vicariis licet iuste reluctantibus praecepistis, ut dispensationes huiusmodi occulte darent paucis ante matrimonium horis, ita ut illud a Nuncio intercipi aut impediri non posset. Vestrae ergo culpae vertendum unice est, si nos conatibus omnibus nostris apud vos, apud eos, quorum vincula solvebatis, apud parochos ipsos in irritum cadentibus, necessitate coacti ad tantam Canonum laesionem prohibendam, et ad retrahendos ab errore parochos, qui nobis tacentibus dispensationes suorum Episcoporum impune exequi se

ciunt, tentare et ad illam perficiendam manus serias praebere dignari velit. Hoc animitus exopto, et enixe spero, cum aeque honorem et dignitatem primae sedis, quam demississime veneror, ac primigenia nostra iura libertatesque Eccl. Germanicae curis numerem, qui omni etc.

*) Breve ad AEppum Trevirensem de 2. Febr. 1782.

posse arbitrabantur, Pontificum exempla et Patrum documenta sequentes, consilium cepimus praecipiendi Nuncio, ut per tabellarios, ea scilicet via, ac ratione, quae cuilibet privato homini permittitur, certam quamdam declarationem in modum encyclicae hac super re ederet atque vulgaret. — — Praeterea etiamsi Electores praeteriti, ut vos affirmatis, fuissent, de nullo alio, quam de se ipsis conqueri debuissent. Ipsi enim nos primitus neglexerunt, nos facto suo exspoliantes privativo iure simul ac possessione huiusmodi dispensationes concedendi, quin aliquid nobis antea innuissent. Si igitur eis visum est, collatis consiliis alienam adgredi auctoritatem, ut vicarios, parochos, aliosque sibi subiectos inducerent ad illegitimas nuptias celebrandas: nemo sane erit, qui non videat, planeque cognoscat, quanta nostri muneris obligatione et quam gravi necessitate teneremur errore deceptos a falsitatis semita revocandi, illique morbo occurrendi, qui alia ratione averti ac dispelli omnino non poterat. Nemini magis quam nobis curae esse debet, et est, ut qui inferiores gradu sunt, eo quo decet obsequio auctoritatem vereantur Episcoporum et Metropolitanorum, ubi Episcopi AEppique contineant se intra terminos a Patribus constitutos. Verum ubi hos fines praetergrediantur sibique arrogare contendant facultates a canonibus vetitas, tolerare equidem non possumus Christianitatis scandalum, et eorum, qui subsunt, deceptionem, palamque declarare debemus, teneri eos in hac parte obedire magis Deo, et Ecclesiae, quam hominibus. — — Illud denique dolet vobis, quod matrimonia sine venia Apost. Sedis contracta ultra gradus vobis concessos non solum in Encyclica declarentur inania et irrita, sed illegitima quoque declaretur proles, si qua ex huiusmodi incestis nuptiis prodierit, perinde ac si per hanc declarationis partem etiam in iura territorialia Statuum Imperii sine auctoritate invaderetur. Sed omnis conquestio penitus conticesceret semel ac animadvertatis, declarationem huiusmodi non esse neque nostram, neque nostri Nuncii, sed Concilii Generalis Lateranensis IV. Huius enim Synodi Patres coërcentes impedimentum cognationis ad quartum gradum, non modo irritum esse voluerunt matrimonium in gradu prohibito initum, sed illegitimam quoque declarant prolem ex tali matrimonio susceptam, tam si contrahentes impedimentum scirent, quam si illud ignorarent. — Huius Concilii Lateranensis sanctioni conveniens et consona

est Concilii etiam Tridentini sanctio: quae duo Generalia Concilia vulgata et recepta sunt non per Germaniam modo, sed per omnes etiam regiones Catholici orbis sine ulla Civilis Potestatis querela, aut detrimento. — — Quemadmodum autem apud Catholicos proles legitima aut non legitima ita pendet a Sacramenti validitate aut nullitate, ut ab eo nequeat separari: ita Ecclesia, ad quam iuxta dogmaticos Tridentini Concilii Canones ius pertinet constituendi impedimenta matrimonium dirimentia, dum de Sacramenti validitate aut invaliditate cognoscit, non potest simul non cognoscere etiam de prolis legitimitate aut illegitimitate. Nec tale Ecclesiae iudicium quidquam detrahit de iure Principum territoriali; quippe quia illud praecipue versatur super validitate aut invaliditate Sacramenti, quae est causa prolis legitimae aut non legitimae, cum nequeat effectus a causa separari ac seiungi. Quod adeo verum est, ut Scriptores Regiae auctoritati plus nimio faventes, et laica ipsa tribunalia non potuerint non fateri necesse omnino esse, ut ad Ecclesiasticos Iudices ablegarentur causae praeiudiciales super prolis legitimitate, etiamsi de legitimitate non ageretur, nisi ratione successionum, aut alterius effectus civilis, utpote a Sacramento profluentis, aut cum ipso Sacramento coniuncti. Percurrite, quaeso, duas illas Epistolas, quas duo vestri confratres, AEppus nempe Mechliniensis, et Eppus Antwerpiensis scripserunt ad Nationis Proceres et ad Caesarem quoad impedimenta matrimonii, et quoad effectus etiam civiles ex hisce impedimentis redundantes; percurrite ea, quae ad ipsum Caesarem eodem exemplo significanda duxit Cardinalis de Batthyán AEppus Strigoniensis: et vos ipsi iudicate, num iusto fundamento nitantur vestrae querimoniae adversus declarationem Encyclicae super prolis illegitimitate; adversus declarationem, inquimus, multo antea iam factam a Conciliis tum generalibus tum Provincialibus, in omnibus Catholicorum Principum ditionibus receptam, a Vestris Confratribus vindicatam, ab auctoribus Regiae Auctoritati faventibus et a laicis ipsis tribunalibus comprobatam.

Si nihil ergo vobis causae fuit, cur de Encyclica conquereremini, sive ipsius argumentum inspiciatur, sive modus spectetur, quo oportuit illam mitti ac circumferri: magna e contra nobis causa est, cur circa rem ipsam et circa modum vehementer de Vobis conqueramur. Etenim si de re loquimur, Vos VV. FF.

uni estis, qui minime cum vobismetipsis constantes et cohaerentes, Auctoritatem eam adgrediendam suscepistis, quam nemo alius adgredi ausus est ex AEppis et Eppis Germaniae, Galliae, Hispaniae, Lusitaniae, aliarumque Regionum Christiani nominis universi; Auctoritatem, inquimus, nullo vobis modo competentem iuxta leges, communemque Ecclesiae consuetudinem; Auctoritatem, de cuius exercitio non alii tantum Episcopi, sed tu ipse, Trevirensis Elector, fassus es: nullum 18. seculorum spatio ab Eccles. Historia exemplum suppeditari; Auctoritatem denique, in cuius occupatione nec animus vester, nec eorum, qui dispensationibus indigent, vel eas a vobis impetrarunt, potest ullo modo conquiescere. Hi enim ad Nos confugerunt, quo suis matrimoniis robur adiungeremus ex integro; quin imo factum est, ut ex Archidioecesi Moguntina, Trevirensi, Coloniensi, potius quam ad vestram incompetentem auctoritatem confugerent, ad Nos venerint benc multi, quo legitimas a nobis dispensationes obtinerent. Vos autem post ipsum Conventum Emsensem, in quo communi consilio statueratis, vos non amplius Roma facultates quinquennales petituros; post hanc ipsam Nuncii Encyclicam; post tot tantasque querelas in illam effusas: Vos has ipsas Facultates de more postulastis atque impetrastis ab Apostolica Sede. — — Si vero de *modo* res sit, alium illo indigniorem et maiori cumulatum iniuria excogitari profecto non posse arbitramur, semelac AEppum Damiatae appellare in publicis Actis non dubitastis Episcopum extraneum, qui se dicat Nuncium Apostolicum; semelac catechesim a Pontifice Summo profectam in re mere spirituali, esse *attentatum* proclamastis; quodque gravius est, Parochis iussistis, ut per quos tabellarios Pontificiam receperant Epistolam, per eosdem illam remitterent, praecipientes eisdem, ne Pastoris universalis (incredibile dictu!) hortamenta et voces audirent. Quod quidem adeo multiplex iniuriarum genus taciti ferendum duximus, et adhuc toleramus ea spe freti, fore, ut Vos insidiis tandem liberati, quae virtuti vestrae instructae et paratae sunt, harum iniuriarum gravitatem, horroremque agnosceretis, et publicis actis eas sponte curaretis evertendas atque delendas, ut debitus ordo satisfactionis exposcit. Similes enim contumelias, raro quidem illatas, nec nostri tulerunt Antecessores, aetati huic pene suppares, nec antiquiora Concilia Provincialia ac Generalia. Convertite oculos ad Con-

stitutiones Clementis XI. et Benedicti XIII. contra eos, qui Nuncios recognoscere dectractarunt, habentes illos tamquam extraneos; — atque intelligetis AEppos et Eppos fuisse suspensionis poena mulctatos. — Concilium Turonense IV. sive, ut alii malunt, Parisiense a. 849. ut Apostolicam auctoritatem vindicaret, datis ad Nomenoium Ducem et Britanniae Administratorem pro Carolo Francorum Rege literis per duos et viginti AEppos Epposque subscriptis, eundem acriter reprehendere non dubitavit, eo quod alia inter facinora Pontificias quoque literas recipere renuisset. Nec satis hoc, sed ipsum monendo, ut in posterum Pontificias reciperet literas, ad monitiones etiam anathematis minas adiecit, ubi is in suo proposito perstitisset. — Concilium vero Chalcedonense a. 451. edita sententia deiecit ab Episcopali dignitate Dioscorum Patriarcham Alexandrinum, eundemque omni sacerdotali ministerio exauctoravit, eo quod inter alias causas, impedierat per ambages et per cuniculos — quominus legeretur epistola dogmatica a S. Leone ad Flavianum scripta; — illud praecipue animadvertens, quod tale impedimentum attulerat scandalum, et laesionem S. Dei Ecclesiae per totum orbem terrae. — Nec vobis admirationi sit huiusmodi poenarum severitas, utpote quae criminum gravitati respondet. Tolerari enim nequit, non dicemus in Ecclesiastico viro et in Episcopo, sed in catholico homine quolibet, ut *extraneum* appellare audeat AEpiscopum Legatum Apost. Sedis, quae communis Mater est, quaeque, ut fidei dogmate edocemur, potestatem habet iurisdictionis in singulas Catholici Orbis Ecclesias; multoque etiam minus ferri potest, ut tamquam *attentatum* reiiciatur, ac proscribatur epistola et catechesis Pontificis in re mere spirituali, digna sane quam totus orbis obsequio ac veneratione prosequatur, tamquam ab eo profectam, cui ius est, a Christo ipso collatum, docendi populos, et confirmandi fratres, absque eo quod pendeat a quacunque Potestate, et a quovis Principum placito, quemadmodum tu ipse, Trevirensis Elector, dilucide demonstrasti tunc, cum Episcopalia tua iura es ad defendendum adgressus, et quemadmodum docte copioseque demonstrarunt alii Vestrae Nationis Episcopi, ac multi per Germaniam Scriptores, elucubrationesque complures typis editae, ac per Alemanniam vulgatae. —

(*Cap. V. et VI.* agitur *de peculiari Electoris Coloniensis*

querela super negata sibi facultate efformandi ex Iudicibus Prosynodalibus novum Tribunal cum generali mandato, et de instituto per eundem Electorem Officialatus Tribunali.)

Cap. VII. De ultima, quam proponunt, querela El. Trev. et AE. Salisb. super facultate ab Electore Palatino-Bavariae Duce postulata, et a Nobis concessa per literas in forma Brevis diei 6. Nov. 1787. prorogandae in subsidium publicarum calamitatum exactionis decimae omnium redituum obvenientium ex rebus et bonis ecclesiasticis. Pertinet id querelae genus ad utramque Potestatem. Ad hanc usque diem fuit hoc in more positum, institutoque Maiorum, et Ecclesiae praescripto constitutum, ut Principes, publicis licet rerum angustiis pressi, nullam tamen propria auctoritate seu decimam seu tributum, seu vectigal imponerent bonis Ecclesiasticorum suae ditioni subiectis, tamquam rebus Supremo Naturae Auctori dicatis, sed ut ad Apostolicam Sedem et ad Pontificem summum fidenter confugerent, qui vi ac ratione Primatus cum supremam apud se habeat horum bonorum custodiam, et curam, et primarius sit ecclesiasticarum rerum dispensator, non defuisset iusta ac legitima causa cognita, ipsorum indigentiis subvenire. Hinc Palatinus Elector eo quo decet obsequio hanc legem Ecclesiae prosecutus in magnis rerum, quibus premebatur, angustiis a nobis suas ipsius necessitates edoctis petiit, impetravitque veniam prorogandae collectionis atque exactionis decimae, de qua agitur. Tot inter Episcopos atque Ecclesiasticos viros cuiusvis generis, solutioni decimae huius obnoxios, Vos tantum VV. FF. Trevirensis Elector, et AEppe Salisburgensis, contradicere statuistis, vestrasque ad nos querelas deferendas putastis, non alia ratione ducti, nisi quia vestrarum Dioecesum pars quaedam sita est in ditione Bavaro-Palatina, intra cuius fines solutio huius decimae continetur. — Sed contradictio vestra est huiusmodi, ut utramque simul laedat Potestatem, perinde ac si absque vestra consensione nequeat laicus Princeps a suprema Ecclesiastica Potestate petere, ut Clero vectigal ullum imponatur; et perinde ac si nequeat supremus Ecclesiae Pontifex hoc ipsum iusta de causa petenti concedere; contradictio, inquimus, periculi et iniuriae plena, utpote quae ansam praebere posset laicae Potestati decedendi a consultissimis Ecclesiae legibus, quemadmodum evenire plerumque solet, ubi Clerus iniuste utrique potestati resistat. Si vestras

singillatim expendimus querelas, facili negotio illud deprehendimus, quod ubi Vos decepti a vestris consiliariis, parum certe sibi constantibus, defendere putatis libertatem aut immunitatem Ecclesiae Germanicae, ambabus ulnis amplexantes doctrinam atque sententias anonymi auctoris opusculi: *de insigni libertate Cleri Germanici circa impositionem decimarum:* ubi, inquimus libertatem tueri arbitramini, id nolentes efficitis, ut Episcopi et Ecclesia, omni sua exuatur auctoritate decimas et tributa imponendi, utque ius omne generis eiusdem solis seculi Principibus tribuatis quasi de rebus duntaxat temporariis ageretur. — — —

Expendimus hactenus genera omnia querelarum tum communium tum peculiarium, nobisque certo persuademus, satis vobis evidenter patuisse, nil a vobis, aut a vestris collegis in medium afferri, quod vel leviter rerum statum, in quo erant, immutet; quodque vestra iura sive Episcopalia sive Metropolitica laedat. Imo caput querelarum est nullum, quod multis iisque gravissimis Nos non lacessat iniuriis, quodque in supremorum iurium nostrorum invasionem non vergat. Hinc licitum nobis erit id vobis dicere, quod ad Carolum Regem Franciae Pius 2. aiebat: „Iniurius eris ipse, si sine causa te passum iniurias dixeris, et praesertim ab ea sede, quae mater est iustitiae et aequitatis“; quodque ad Fridericum Imperatorem scripsit Calixtus 3.: „Ita nos agere usque in hanc diem curavimus, ne de nobis cuivis homini querela competere possit; nec putamus, aliquos esse, qui se laesos aut spretos a nobis dicant, nisi fortasse aliqui fuerint, qui desideria sua non recte metientes tunc se contemtos ac gravatos arbitrantur, cum petitionibus eorum iniustis non annuimus.“ —

Cap. VIII. De iure Apostolicae Sedis mittendi Nuncios tam extraordinarios, quam ordinarios stabili iurisdictione pollentes. Quod vos, VV. FF. adversus omnes Nunciaturas bellum indixistis, id quemadmodum praecipuum est nostrae Responsionis argumentum, ita maiorem a nobis animadversionem expostulat. Nihil enim est, in quo arte et studio Consiliariorum vestrorum structae et comparatae Pietati vestrae fuerint insidiae magis exitiales et maioribus lacrymis prosequendae. Agitur de graviori atque insigniori iure Primatus in Petro eiusque successoribus, a Christo instituti; quo praeditus Romanus Pontifex dum agno-

rum et ovium sibi concreditarum curam gerit universam, suo fungitur Apostolico munere per Ecclesiasticos Viros sive stabiles, sive ad tempus, veluti magis expedire censuerit, delegatos in iis dissitis locis, ubi ipse interesse non potest, praecipiens eisdem, ut ibi suas vices obeant, eamque iurisdictionem exerceant, quam is per se, si adesset, exerceret. Non audent sane callidi Consiliarii veritatem hanc e dogmate profectam adversa fronte oppugnare; quinimo si ulla eorum verbis habenda fides est, vix inveniri aliquis potest, qui magis quam ipsi Primatum iurisdictionis super universam Ecclesiam in Pontifice Romano profiteatur ac veneretur. — Sed cavendum vobis est diligenter a fraudibus eorum, qui quem Primatum amplissimis verbis profitentur, eum factis negant, et adeo illum elevandum, deprimendumque curant, ut fere ad nihilum redigatur. Cavete ab iis, qui dum vobis non solum callide eos fontes occultant, ex quibus suas doctrinas hauserunt, sed exitiales etiam effectus celandos curant, qui ex hisce doctrinarum portentis consequuntur; cavete ab iis, qui vobis divenditant, Ecclesiam fuisse a Christo ad instar Reipublicae institutam, eiusque regimen aequaliter fuisse Pontifici, Episcopisque concreditum ac demandatum, istiusque Reipublicae pro bono unitatis ita caput esse Pontificem, ut auctoritas ipsius supra Episcopos non sit immediata, sed mediata, utque exerceri illa nequeat ab ipso, nisi ubi casus aliquis insvetus acciderit. — Hinc ipsi argumentantur, posse quidem Pontificem legare extraordinarios Nuncios, ubi AEppi, Eppique suo muneri in re gravi defuerint, et ubi remedii adhibendi necessitas id postulet, eisdemque facultates committere pro rei opportunitate praefiniendas, et durante tantum causa duraturas; his tamen demtis casibus extraordinariis non posse Pontificem Nuncios legare stabiles et permanentes, atque ea praeditos iurisdictione, quae propriis ac peculiaribus singulorum Pastorum iuribus adversetur. Incredibile dictu esset, huiusmodi opinionum et argumentorum portenta fuisse vos unquam secutos, si vestra scripta ad nos missa et ad manus nostras delata, non sine immensa animi aegritudine, nobis non persvaderent, vos aliorum malitia circumventos penitus huius generis sententiis adhaerescere, perinde ac si de rebus ageretur, de quarum veritate piaculum esset ambigere. Vos enim de vobismetipsis novo prorsus iudicio sententiam ferentes, vacuos esse praedicatis omni culpa,

quae vestrum munus ac ministerium respiciat; a vestris dioecesibus atque Archidioecesibus rationem extraordinarii casus quam longissime abesse defenditis, nosque facultate constituendi stabiles et iurisdictione munitas Nunciaturas destitutos omnino esse propugnatis. — — Cogimur ergo atque compellimur unumquemque vestrum ab errore revocare, in quem estis misere prolapsi, indigitantes vobis impuros illos fontes, ex quibus vestrae tum sententiae tum argumenta sunt hausta, et luculentissime vobis demonstrantes, quanta et quali falsitatis labe inficiantur tam prima vestrarum opinionum fundamenta, quam quae consectaria exinde deducere vos posse arbitramini. —

Sect. 1. Explicatur vera iuris illius notio, quod nemine contradicente habet Apost. Sedes mittendi nuncios in casibus extraordinariis. A Nunciis extraordinariis ut initium ducamus, certum atque exploratum etiam apud vos, scriptoresque vestros est ius Apost. Sedis mittendi Nuncios ad reparandum malum, quod vel ex Episcoporum socordia aut malitia, vel ex alia quavis extraordinaria causa fuerit invectum. Usa semper hoc iure est Apostolica Sedes, tribuens Nunciis sive legatis de Pontificis latere missis peculiares extra ordinem facultates, et in iis etiam locis usa est, in quibus ordinarius Nuncius adesset, cuius tamen iurisdictio adventu ipso Legati quiescebat omnino. Illud porro falsum est, et cum manifesto errore coniunctum, quod ad Archi- et Episcopos spectet cognoscere, sitne locus extraordinarios Nuncios legandi, veluti vos contenditis ad eludendum scilicet atque e medio tollendum ipsum illud extraordinarium ius, quo Romanum pollere Pontificem aperte conceditis. Quomodo enim sperari unquam posset, futurum, ut homines a sua patefacienda infirmitate satis natura alieni atque abhorrentes, suos ultro vellent morbos prodere ac denunciare, et ab alio auxilium quaerere, qui medicas sibi manus afferret? — Cupientes vos, ut e vestris dioecesibus, et e Germania tota Nuncii expellantur, negatis omnino, vel leviter vestro unquam defuisse vos muneri, quinimo affirmatis, nihil modo in vestris dioecesibus et in Ecclesiis Germanicis esse, quod curationis indigeat, omnemque isthinc necessitatem extraordinariam abesse contenditis, quae Nunciaturas expostulet. At liceat nobis ea libertate vos alloqui, qua uti patrem oportet in filios. Vos igitur ita animo comparati estis, ut infirmitatem vestram, quae patens est, non intueamini

utque eam minime videatis necessitatem, quae omnium incurrit in oculos. Si de vobis res est, sufficit, ut animum advertatis ad foedus, quod adversus matrem iniistis; sufficiunt celebres Emsensis Conventus deliberationes, quo confestim intelligatis, esse vestros errores tam graves, et extraordinarios, quam gravia et extraordinaria sunt ea rerum capita, quae in Emsensi Conventu fuerunt examini subiecta, quaeque vergunt omnia ad dominatum aucupandum super iuribus tam Episcoporum, quam Apostolicae Sedis, ad novitates doctrinae aut disciplinae invehendas, ad schisma moliendum; veluti non sine lacrymis Germanica Natio, et Episcoporum Germanicorum coetus agnovit. — Huc etiam timor accedit, qui nedum Nos vehementer sollicitat, sed plures etiam angit Episcopos Germaniae, ne Synodus a te, Moguntiae Elector, indicta eos praetergrediatur fines, quos bene sapienterque Tridentinum Concilium praestituit, et Benedictus XIV. distincte docteque explicavit; et ne novitates amplectatur, atque suscipiat ausu temerario invectas in Emsensi Congressu, aut in alio huius generis conventiculo. —

Sect. 2. probatur ius S. Sedis mittendi Nuncios ordinarios stabili praeditos iurisdictione ex Iure Primatus. Detecto vobis ac patefacto illo, in quo estis, errore super notione casus extraordinarii, ad profligandum accedimus errorem alterum, primo deteriorem, quo Vos decepti contenditis, ius Ap. Sedis mittendorum cum iurisdictione Nunciorum et exercendae suae Primatialis potestatis in dioecesibus aliorum Episcoporum tunc tantum vindicare sibi locum posse, ubi casus extraordinariae necessitatis advenerit. Fuit haec opinio a *Marco Ant. de Dominis* primum invecta in impio illo de Republica Eccles. libro, quam postea palam et aperte amplexus est *Edmundus Richerius* in scriptis de Potestate Eccles. et Polit. editis, quamque denique *Eybelius* recentissimus auctor libri: Quid est Papa? suscepit atque amplificandam curavit. — — Persuasum certe nobis est, ut si consultores vestri hos vobis fontes indigitassent, ex quibus de verbo ad verbum doctrinas suas depromebant, hoc solum satis fuisset vestrae religioni ac pietati excitandae, et improbis insidiis magno animi horrore praecavendis. Nimium sane interest scire, quo ex fonte sententiae manarint, et quale super illis ab Ecclesia iudicium prodierit. Semel ac enim Ecclesia — columna et firmamentum veritatis — locuta est, suamque dixit

sententiam, piaculum Catholicis esse debet ipsius iudicium in quaestionem et in disceptationem vocare. — Sed ut rei veritas magis elucescat, eas modo Vobis rationes explicandas suscipimus, quae cuilibet persuadeant, ius esse Romano Pontifici habendi aliquos in dissitis praesertim locis, qui sui absentis personam repraesentent, qui iurisdictionem suam atque auctoritatem stabili delegatione collatam exerceant, qui denique suas vices obeant; idque ex intima vi, ac natura Primatus, ex iuribus dotibusque cum Primatu ipso coniunctis, ex constanti Ecclesiae disciplina a primis usque seculis deducta, ex auctoritate ecclesiasticarum atque imperialium legum, ex communi denique Canonistarum ac Iureconsultorum, praesertim Germanicorum, etiam Protestantium sententia. Exordientes autem a Primatu, quem Christus Iesus ita instituit in Petro, ut ex persona Petri ad omnes eius successores maneret ad finem usque seculorum: vos etiam atque etiam obsecramus in Domino, ut diligentissime caveatis ab erroribus toties ab Ecclesia damnatis; vosque etiam atque etiam precamur, ut veritatem e dogmatis fonte profectam toto animo amplexi, pro certo habeatis, Primatum hunc divinitus institutum non iis duntaxat limitibus fuisse circumscriptum, ut Petrus eiusque successores Ecclesiae universae caput effecti, et vicaria Iesu Christi vice fungentes, malis occurrerent, et fratres errantes ac negligentes in viam reducerent, et e socordia excitarent: sed auctoritatem secumferre stabilem, perpetuam, numeris omnibus absolutam pascendi, regendi, et gubernandi tam populos, quam populorum ipsos pastores absque ulla certi temporis constitutione. — — Haec auctoritas pascendi cum clavium potestate coniuncta Petro peculiarem in modum attributa, sicut auctoritatem praesefert in omnes fideles ordinariam atque immediatam, ita eandem praesefert auctoritatem ordinariam atque immediatam in omnes pastores, qui quacunque demum praefulgeant dignitate, non solum non sunt Pontifici pares, sed ita eius auctoritati subduntur, ut qui pastores appellantur, et sunt, si populos respicias, ii, si Pontificem spectes, nonnisi ovium numero habeantur. — Unde recte est illud a *Gersone* animadversum, quod quemadmodum Episcopi in tota dioecesi, et in omnibus dioecesis parochiis suam iurisdictionem exercent, ita praestare idem possit Summus Pontifex in tota, qua late patet, Ecclesia, et in omnibus dioecesibus Episcoporum. — — Si igitur ex una

parte abhorret a vero, Romanum Pontificem nil posse in aliena dioecesi, praeterquam extraordinario casu, eumque non posse nisi ad tempus, quousque periculum existit, gregem verbo et exemplo pascere: iam funditus concidit ea Nunciorum ordinariorum et extraordinariorum distinctio, quam suo ingenio confictam, nullaque auctoritate subnixam vestri schismatici scriptores obtrudunt. Et rursus, si verbo cum scripto tum tradito constat ex alia parte, Romanum Pontificem in vim sibi concreditae Universorum curae ac sollicitudinis non solum posse ac debere in extraordinariis eventis fratres fluctuantes confirmare, et obvenienti malo occurrere, sed insuper posse ac debere semper omni cum auctoritate ordinaria atque perpetua malum ipsum antevertere ac praecavere pascendo, ac regendo tam filios, quam matres, tam populos, quam pastores, ita ut incolumis sit semper unitas fidei, salva membrorum erga Caput submissio, quae ad ipsam unitatem servandam plurimum valet, intacta morum puritas, intemerata disciplinae canonumque custodia, promta ad repellendos enascentes morbos remedia, parata cuique pro rerum opportunitate subsidia in dispensationibus, in causis, et in aliis rebus, quae a suprema tantum ecclesiastica pendent potestate: iam nemo non intelligit, Vos aliorum captos insidiis adversus veritatem proeliari. Quemadmodum enim ipsi conceditis inesse Pontifici, ubi extraordinaria eventa id postulent, facultatem mittendi Nuncios extraordinarios ad mala purganda, et tollenda, quae altera pars est Apostolici muneris cum primatu coniuncti; ita concedatis oportet, inesse eidem facultatem mittendi et habendi Nuncios stabili praeditos iurisdictione ad bonum servandum, ad pascendum, et ad gubernandum, quae altera pars est iurium atque officiorum Apostolici Principatus, quae nullis nec temporis nec loci limitibus est circumscripta, quaeque si non magis, non minus certe, quam prima, interest christianae Reipublicae, ita ut quicunque ius hoc Pontifici adimendum curet, is naturam vimque Primatus a Christo instituti radicitus convellat atque eruat. Atque hoc loco nec magis absurda, nec magis evidens esse potest, vestra, vestrorumque Scriptorum pugna et contradictio. Etenim ex verbis, quae supra in medium attulimus, tam a vobis quam ab illis pro legitima habetur mittendorum Nunciorum facultas pro conservatione unitatis fidei, puritatis morum, constitutionis hierarchicae, Cano-

num et disciplinae. At huiusmodi rationum momenta, quae vestro iudicio apta sunt vindicandis legationibus Nunciorum, qui a S. Sede per Christiani orbis plagas mittuntur, ibique habentur, proprio quodam iure ad Nunciaturas pertinent ordinarias et stabiles, utpote quae solae possunt assidua Nunciorum vigilantia et stabili eorumdem auctoritate custodire ac tueri fidem, mores, hierarchiam, canones, et disciplinam; nihilque prorsus commune habent cum extraordinariis Nunciaturis. — Quamobrem si rationum momenta potentiora sunt verbis, id omne quod vos in medium affertis adversus stabiles Nunciaturas, mirum in modum confirmat ac fovet indubia Pontificis iura habendi Nuncios stabili iurisdictione pollentes.

(*Sect. 3. 4. 5. 6. et 7.* probatur ius hoc ex constanti Ecclesiae disciplina inde a primis seculis usque recentissima tempora). *Sect. 7.* de *exemplis Imperatorum* sermo recurrit, et cetera inter continentur haec: — Loquentibus nobis de Imperii, deque Imperatorum exemplis, numquam venit in mentem, ut si constitutiones illorum pugnent cum constitutionibus Primae Sedis, aliquid nobis parent obstaculi, veluti tua fuit, AEppe Salisburgensis, sententia. Nemo quippe ignorat, has duas Potestates et esse inter se seiunctas, et ita institutas, ut una non pendeat ab altera, ita, ut in rebus ecclesiasticis, et in regimine Religionis eatenus valeant civiles leges, quatenus legibus cohaerentes ab Ecclesiae Capite profectis ipsam Ecclesiae auctoritatem firment, atque communiant, eo scilicet tutelae et patrocinii munere, quo Catholici Principes erga Matrem se fungi gloriantur. Secus enim omni vi destituuntur leges huiusmodi, et extra omnem disceptationem solae suum sibi vindicant locum Romani Pontificis constitutiones et leges, quae Imperiali sanctione non indigent. — Haec prae oculis habentes et alias affirmavimus, et modo affirmamus, adeo Imperatores, Imperiumque abfuisse a prohibenda aut intercipienda Vicariorum, Legatorum, Nunciorumque iurisdictione, ut imo illam iuvandam, confovendamque putaverint.

Cap. IX. demonstratur, ea etiam, quae obiici solent, si ab erroribus vindicentur, stabilium Nunciaturarum iura confirmare. Tum universa Responsio Pontificia sequentibus concluditur: Tempus est, ut orationis vela contrahamus. Ex iis, quae sunt hactenus disputata, liquido patet, quod a Vobis proponebatur

tamquam ineluctabile argumentum, illud mirum in modum adversus vos retorqueri. Vos animo quidem non malo praediti, sed aliorum fraude decepti affirmastis: possessionem et praescriptionem stabilium Nunciaturarum esse ex omni parte vitiosam, cum ex spuriis Decretalibus exorta institutioni divinae, fundamentalibus Ecclesiae Germanicae et Imperii legibus, Nationis Germanicae Concordatis e diametro adversaretur; numquam fuisse quietam, sed perpetuis Nationis Germanicae querelis in multis variisque Comitiis ac Conventibus usque in currens seculum contradictam, proindeque numquam potuisse legitimum iuris effectum sortiri. Talis certe erat vestrorum consiliariorum sententia. Nunc autem ex ingenua factorum explicatione vestrismet oculis deceptionem intuemini, qua virtus vestra fuit circumventa; videtis nullam esse vobis iustam querelarum causam neque adversus nos, neque adversus Apostolicos Nuncios; intelligitis, ius stabilium Legationum ex divina Primatus institutione descendere; agnoscitis, fuisse hoc ius ex constanti Ecclesiae disciplina semper exercitum omni aetate antiqua, media ac novissima; deprehenditis, idem hoc ius fuisse firmatum Conciliorum auctoritate, Episcoporum plausu, Concordatis, legibus Imperii, exemplis Imperatorum, Principum, Germanicorumque Iureconsultorum etiam Protestantium sententia; aspicitis denique, querelis, quae iustae visae sunt, fuisse a Tridentino Concilio et a Sancta Sede cumulate satisfactum, iniustas vero fuisse ab ipsis auctoribus abdicatas, ab Imperatore et ab Imperio contemtas. Haec omnia itaque videntes, et quasi manibus contrectantes, hortationibus nostris iam minime indigetis. Religio vestra et iustitia intelligit ipsa per se, quid vos facere oporteat. Si erroribus inducti Nunciaturas abolendas curastis, veritas ab erroribus vindicata postulat modo, flagitatque, ut quantum contradictione certastis, tanta Nunciaturas reverentia et observantia colatis, tantoque patrocinio tueamini. Nos, Ven. Fratres, Comitia adire non possumus, nec debemus, neque extraordinarium Legatum mittere, ne Apostolicam Sedem Iudici incompetenti subiiciamus: verum nullatenus abdicare valemus Nunciaturarum iura cum Primatu a Deo nobis concredito colligata et coniuncta. Agnoscite ergo, uti Vos decet, huiusmodi Apostolica iura, et si qui in exercitio facultatum Nunciorum irrepserunt abusus nobis ignoti, referte illos ad Nos aut per literas, aut per vestros negotiorum

gestores, quemadmodum toties vestri Maiores praestiterunt. Quantum enim Nobis est curae, ut iura nostra tueamur : tantum promti paratique animo sumus tollendis abusibus, vobisque in iis omnibus, quae iusta et aequa sint, obsecundandi. — Datum Romae apud S. Mariam Maiorem die 14. Novembris 1789. Pontif. nostri anno decimo quinto.

1034.

Pii VI PP. Breve ad **AEppum Coloniensem,** ad celebrem ‚Responsionem super Nuntiaturis' se referens, et simul AEppum ad erroneas doctrinas per **Professores Bonnenses** traditas reflectens, A. 1790.

MON. Postquam *Responsio* nostra *super Nunciaturis Apostolicis* fuit ad te et ad alios Metropolitanos collegas tuos missa, et typis etiam vulgata, intelleximus praeter omnem expectationem, ven. frater, posse nostra quaedam dicta super tuo *Officialatus Tribunali* aliorsum accipi, atque a nobis dicta sunt, et videri quibusdam posse, ea saltem scripta a nobis fuisse aut minus accurate aut minus vere. Equidem quae nos de tribunali isto tuo affirmavimus, ea diximus ordinationem illam tuam secuti, quam germanico sermone conscriptam edidisti tu die 23 Nov. 1787. quae subinde prodiit in vulgus die 31 Dec. eiusdem anni, quamque in lingvam latinam conversam nos a doctis et honestis viris accepimus, quos utpote in Germania natos minime fugere ac latere poterant, germanicae lingvae vis et loquendi formulae, nisi nova haec lex satis per se obscura esset, et quibusdam quasi involucris tecta delitesceret, ita, ut viri ipsi, quibus huiusmodi Tribunal apprime cognitum est, atque perspectum, huiusce legis confusionem causentur, et ad ipsam intelligendam eiusque retrusos atque abditos sensus deprehendendos non parum se adlaborasse conquerantur. Nostra sane dicta, in quae potest dubiae intelligentiae metus cadere, non ea sunt, ut rei naturam immutent, de qua fuse egimus Cap. V nostrae Responsionis. Nostri tamen candor animi minime patitur, ut vel parumper differamus

rem ipsam declarare, atque illustrare, nobisque erit curae, ut quae modo adgredimur explicanda, ea tum ad tuos collegas, tum ad eos omnes perveniant, ad quorum manus potuit Responsio nostra deferri, ne quis veritatem ipsam ignoret, et ne sublata malitiosis hominibus quacunque calumniandi occasione quis inveniatur, cui nostrarum querelarum iustitia non pateat, atque innotescat.

Dicet fortasse aliquis, nos Cap. 3. §. 4., Cap. 5. §. 11. 14., Cap. 6. §. 60. minus recte affirmasse, Tribunal Officialatus *novum* esse tribunal, ad commissionem cognitionemque causarum Nunciaturae Sedique Apostolicae auferendam non prius institutum, quam tibi fuit mandatum generale denegatum, quod in Iudices Prosynodales per te nominatos conferri a nobis optabas: quandoquidem multos ante annos aderat iam AEppale Officialatus tribunal, quod iam inde a suae institutionis exordio non ex Officiali tantum, sed ex pluribus Assessoribus coalescebat partim laicis partim ecclesiasticis, quodque adinstar tribunalis mixti tam causas civiles cognoscebat Electoralis Principatus ex quadam Unionis Rhenanae Constitutione, quam causas ecclesiasticas tum dioecesis Coloniensis, tum dioecesum suffraganearum. Verum si haec nobis opponantur, facili aeque et perspicua poterunt responsione refelli. Antiqua enim Tribunalis huius institutio satis minime est ad eam dispellendam novitatem, quam Tu e spe deiectus impetrandi mandati generalis in idem tribunal recenter intulisti communi illo decreto diei 12 Ianuar. 1786. et illa ordinatione diei 23 Nov. 1787. Quinimo si nuda et simplex instituatur comparatio inter antiquum et praesentem tribunalis statum, inter facultates primitus datas et recentius adiunctas, inter curriculum illud iudiciorum, quod eccles. causae olim percurrebant, quodque hodie emetiuntur: quilibet sibi persvadebit, iure ac merito *novum* fuisse a nobis appellatum hoc Officialatus tribunul in prima et secunda instantia, de quibus illud agit, et pro nova pariter fuisse habitam a nobis aliam Iudicum commissariorum institutionem abs te in gradu revisionis delegandorum pro tertia et ultima instantia. Inficias it nemo, extitisse olim Coloniae Tribunal AEppale Officialatus: sed tunc unus Ecclesiasticus Officialis iudicium ferebat; ceteri enim omnes Assessorum locum tenebant cum voto consultivo. Huic autem tribunali una tantum instantia erat tam in causis civilibus eorum, qui Electo-

ris ditioni subdebantur, quam in causis eccles. dioecesis Coloniensis aliarumque dioecesum suffraganearum, ita, ut qui a sententiis eccles. huiusce archieppalis tribunalis provocabat, nonnisi ad Nuncium aut ad Apost. Sedem provocaret. Placuit Electori Maximiliano Friderico tamquam loci Principi sub annum 1766. iudiciorum formam aliquantisper immutare quoad causas civiles et profanas, iussumque ab eo fuit, ut per Officialem causae huiusmodi in prima instantia uni ex Assessoribus committerentur, utque a sententia huius Assessoris delegati quivis posset ad officialem ipsum delegantem appellare. Sed neque Max. Frid. Elector, neque ullus ex suis decessoribus cogitavit unquam de iudiciorum forma in causis eccles. immutanda, aut novis commissionibus invectis aut multiplicatis instantiis. Minime enim ipsi ignorabant, suum ipsorum tribunal tam si auctoritate ordinaria uteretur in causis eccles. dioecesanorum primae instantiae, quam si auctoritatem metropoliticam exerceret in causis iisdem a suis Suffraganeis iam definitis, unam tantum instantiam habere iuxta canones posse, *hac enim una instantia absoluta sciebant eccles. causas ad Iudicem superiorem, id est. ad Pontificem Summum deferri omnino oportere.* Hinc nihil fuit unquam adeo certum, et huiuscemet tribunalis Officialatus observantia firmatum, quam ‚Officialem eiusdem Curiae in causis eccles. in prima instantia Commissionem numquam decernere, multo minus easdem, si appelletur, post decisionem a se factam vel ipsum Officialem vel ipsum Ser. AEppum Coloniensem — committere, sed easdem indistinctim omnes in gradu appellationis vel ad S. Sedem Aplicam, vel ad S. Nunciaturam Coloniensem libere et absque ullo impedimento constanter devolvi,‘ veluti a. 1757. testati locupletissime sunt procuratores et notarii ipsius Curiae AEppalis, quorum verba in nostra Responsione iam dedimus cap. 6. §. 57. Pristinus itaque huiusce Tribunalis status erat Ecclesiae legi et Facultatibus tum ordinariis tum metropoliticis consentaneus, nihilque prorsus detrahebat de suprema S. Sedis et apost. Nunciaturae auctoritate. Sed ab illo praesens Tribunalis status quam maxime differt, simulac tu ordinatione illa tua praeter nova monitoria, praeter novam Cancellariam, et alia, quae immutatam rei formam ostendunt, ad multiplicandas instantias iussisti sine ullo rerum discrimine, ut in omnibus etiam eccles. causis per Officialem prima committatur instantia uni aut

pluribus Assessoribus, utque ab horum sententia ad officialem ipsum appelletur, reducto fatali ad appellandum pro causis eccles. ad duos menses duntaxat, tametsi pro civilibus causis trium mensium spatium, veluti usu receptum erat, ad appellandum relinquatur. Nec satis hoc, sed iussisti etiam, ut Officialis in secunda instantia sententiam ferat una cum Assessoribus laicis et ecclesiasticis, invecto in hunc modum novo prorsus et inaudito iudicio, et tributo Assessoribus etiam laicis voto decisivo. — Atque hic animadvertendum est, te huiusmodi decretum commune tunc edidisse, cum negato tibi mandato generali minitatus iam fueras Nuncio Aplico — te Iudices synodales auctoritate propria nominaturum. Quod quidem minarum genus adhibuit quoque Baro de Waldenfels Minister tuus. — Non destitit Nuncius et voce et scripto tibi ministroque tuo svadere, a Concilio Tridentino non postulari modo, ut Iudices synodales designentur, et Pontifici Summo exhibeantur, sed ut Iudices isti designati et approbati nequeant causam ullam cognoscere ac definire, nisi illis commissione delata a Sede Apostolica aut a quolibet Legato vel Nuncio; qua in re decretum quoque C. Basileensis Sess. 31. de Causis est C. Tridentini sanctioni consentaneum. — Officiis a Nuncio saepius adhibitis accesserunt et nostra. Nos enim de huiusmodi minis certiores effecti scripsimus ad te alias literas in forma Brevis datas die 8 Octobr. a. 1785. te ipsum enixe rogantes, ut ab omni novitate abstineres, illudque etiam abs te voluimus animadverti, quod hi Iudices prosynodales etsi una fraternitatis tuae nominatione suffulti causarum cognitioni operam darent, apostolica tamen delegatione destituerentur, ac proinde perturbationem potius quam legitimam iuris tuitionem eorum responsa inducerent. Tu vero officia atque incitamenta Nuncii et hortamenta etiam nostra pariter frustratus es. Aliorum enim deceptus insidiis, nullo responso binis nostris literis dato, id, quod fueras minitatus, efficere minime dubitasti, nova per te ipsum in Iudices prosynodales auctoritate collata, et in lucem edito communi decreto diei 12. Ianuar. 1786, et ordinatione diei 23 Nov. 1787. Tunc enim pro extincto habens tribunal Nunciaturae, affirmansque, non posse amplius ex illo obtineri appellationes a sententiis definitivis — praecepisti, ut commissionem revisionis immediate petant a ‚Serenitate Sua, a qua Commissarii delegarentur.‘ — Quae cum ita sint, nemo de

nobis conqueri iure poterit, si *novum* vocavimus tam tribunal officialatus, quam iudicium revisorium, seu commissariorum iudicumque prosynodalium tribunal. Si enim de tribunali officialatus res est, tales ac tantae sunt variationes per novam tuam ordinationem illuc invectae, ut te ipso fatente novitatem praeseferant numeris omnibus absolutam. Si vero de iudicio revisorio deque Commissariorum tribunali agitur, multo sane evidentius illius novitas incurrit in oculos: cum certo constet, illud ante hoc tempus extitisse numquam, tuaque auctoritate fuisse a te nuper nobis dissentientibus institutum, ut per te scilicet illud efficeres, quod per nos impetrare nequiveras; veluti testatam rem faciunt iactatae in antecessum minae, et ea, quae minas sunt consecuta, et iudices ipsi prosynodales, quos novo vocabulo superinducto Commissariorum nomine appellasti. — Quanto itaque magis perspicua est rei novitas, patefacta modo per nos utriusque Tribunalis distinctione, tanto clarius elucet nostrarum querelarum adversus utrumque iustitia. Tu enim tribunali officialatus immutato, et altera instantia ei attributa, novoque ex integro Iudicio Revisorio constituto, id effecisti, *ut Nunciaturam et Ap. Sedem exueres iure committendi cognoscendique causas*, legibusque ecclesiasticis, imperiique pessumdatis, tibi uni arrogandas putares tres sententias in causis tuorum dioecesanorum, — duas autem in causis dioecesum suffraganearum. — Levioris momenti esset, si quisquam adiungeret, quod nos Cap. 5. §. 18 et 20. de Officialatus tribunali affirmavimus, quasi Iudices huius tribunalis cum aliis *concurrerent* inferioribus iudicibus in causis etiam ecclesiasticis tuae, tuorumque Suffraganeorum dioecesis, cum constare contendatur e contra, id de solis Electoratus tui civilibus causis esse dicendum. Ut enim in hanc opinionem veniremus, fecit ipsa ordinatio tua, cuius verba ita late patent, ut nullum discrimen adhibeant inter civiles et eccles. causas, utque ex ipsa indigenarum auctorum sententia distingvi intelligique nequeant ea, quae a te pro tam diversarum causarum genere sunt constituta. Eo vel magis, quia contineri explicite videbantur ordinatione tua eccles. causae magis privilegiatae, quales sunt eae, in quibus de Ecclesiasticorum criminibus agitur. — Ceterum si eccles. causae dioecesis tuae tuorumque Suffragancorum nihil habent cum hac, de qua agimus, concurrentia commune, nos nihil veritati derogatum volumus.

Verum utcunque res se habeat, si licitum est tibi tamquam Principi loci tuoque supremo tribunali te ipsum referenti concurrere cum iudicibus inferioribus in civilibus causis primae instantiae: *multo potiori iure licitum erit S. Sedi, quae Supremus est omnium Iudex, et Apostolico Nuncio, qui vicario illius munere fungitur, in causis eccles. concurrere tecum, cumque tuo tribunali, quod Metropoliticam auctoritatem uni S. Sedi referre debet acceptam.* —

— Nunc autem postquam nos animi nostri candori et bonae fidei satisfecimus, molestum tibi ne sit ven. frater, ex iniuncti nobis ministerii debito paterna caritate indicium tibi fieri de iis, quae certis auctoribus ad aures nostras modo pervenerunt. Nobis enim relatum fuit, *te adhuc in abusu perstare eas concedendi dispensationes, quae tuam excedunt facultatem*: ex quo fit, ut scandala in Ecclesia et in Republica magis augeantur. Illud praeterea non sine immenso animi dolore intelleximus, *in* tua *Bonnensi Universitate pessimae notae doctrinas tradi atque defendi*, quae similiter scandalum pariunt subditis tuis bonisque omnibus, quaeque insuper populos in errorem coniiciunt, iisdemque spirituale generant detrimentum. Qua quidem in re ipsemet docuit eventus, quam prudens rectumque fuerit consilium a nobis susceptum, dum assensum nostrum vel ab initio a te requisitum pro pensitatione annui subsidii a Monasteriis Dioecesis huic Universitati praestandi praebere renuimus, illud inter alia momenta recensentes in similibus literis nostris die 30 Aug. 1783. ad te datis: ‚isthic florere apud te audimus *Hedderich* illum, cuius eiusmodi quaedam sententiae thesesque pervulgatae sunt, ut facile intelligi valeat, plurimam inferri labem adolescentibus ab eo posse, ut multo potius esset, magisterio illos carere, quam talibus imbui disciplinis. Hinc agnoscis, approbari nobis nullo modo posse academiam ullam, in qua vel Canonicum Ius vel aliam scientiam quamlibet ille profiteatur.‘ Tum et Hedderichius, et *Spiegelius*, et *Spitzius*, et *Weimerus*, et *Froitzheimius*, et *P. Thaddaeus*, et *Schneiderus* aliique in eadem Universitate Magistri tantum attulere scandalum novis suis falsisque dogmatibus, ut opusculum, cui titulus: ‚Parallelismi inter Lovaniensium Bonnensiumque Doctorum sententias specimen primum in bonum Religionis Catholicae a Theodulpho Iosepho Van den Elsken Clerico Iuliacensi nepote patruo

suo scriptum. Dusseldorpii. 1790.' nos ad eorumdem dogmatum proscriptionem impellat. Nos equidem horum omnium scripta ad trutinam revocabimus, adhibito etiam ad id consilio Congregationis iam deputatae, de qua in praecedenti Responsione nostra c. 8. §. 14. verba fecimus. Verum tu quoque ven. frater, in partem nostrarum sollicitudinum vocatus, et modo per nos etiam huiusce mali certior factus, ad tantam perniciem a tua dioecesi avertendam arma virtutis accinge, nosque retrahe ab usu efficacioris remedii, quod aegre quidem, sed ex Apostolici muneris ratione nobis adhibendum foret, ut oves a mortiferis ac veneno huiusmodi infectis pascuis retrahamus.

Profecto quam de te ven. frater, magnam animo concepimus fiduciam, ea nobis pollicetur fore, ut repente effroenis isthaec licentia coërceretur, *totque alia gravissima damna cessarent, si membra illustriora proprio Capiti adhaererent ea subiectione, quam hierarchicus ordo divinitus institutus exposcit.* Nemini aeque ac nobis cordi est pax et concordia, dummodo sub concordiae specie assensus noster pro Apostolicarum Nunciaturarum abolitione, proque aliorum Primatus iurium subversione non expetatur. Nos illaesa servavimus ac perpetuo servabimus Metropolitanorum iura; ideoque tibi illud iterum iterumque affirmamus, quod tibi ipsi aliisque collegis tuis professi iam fuimus, scilicet ut si qui abusus nobis inscientibus revera irrepserint in iura Metropolitica, confidenter nobis exponas: hos enim cognitos diligenter curabimus de medio tolli sine mora, tibique in iis omnibus, quae aequitate nitantur, gratificari. Habes, ven. frater, ingenuos animi nostri sensus, quos a iusto quolibet rerum aestimatore probatum iri confidimus, utpote qui iura tua et ceterorum Metropolitanorum illaesa servantes, id a te et ab aliis Metropolitanis exposcunt, ut pari iustitia serventur et nostra. — Datum Romae die 24 Mart. 1790. — **Brancadoro** *Pii VI Allocutiones, homiliae, epistolae etc.* p. 268.

1035.

Pii VI PP. Breve ad **Capitulum Coloniense,** de moliminibus in Germania, Sedis Apostolicae iuri ac potestati praeiudicantibus, A. 1790.

MON. Obsequentes illi in nos et in Apost. Sedem vestri animi sensus, quos vestrae literae ad nos datae 13 kal. huius mensis Martii praeseferunt, *) quosque vos dicitis ex vestris et antecessorum vestrorum gestis expetendos, magnae nobis ut et decessoribus nostris semper consolationi fuerunt, et effecerunt, ut nos pariter ac decessores nostri acceptam caramque habuerimus Ecclesiam vestram, eiusque alumnos et filios honore affecerimus, et omni cumulaverimus benevolentiae ac studii significatione. Hinc facere omnino non possumus, quin digna commendatione vos prosequamur, quod aperte nobis declaretis, nullam vos partem habuisse in tanto turbarum aestu, qui nuper in Apostolicas Nunciaturas efferbuit, imo turbas huiusmodi et excitatas et nimis diu fotas fuisse cum vestro non exiguo moerore. Haec enim Collegii vestri eximii significatio quemadmodum certos nos facit, non sine calumnia pluribus in libris vulgo iactitatum fuisse, nostram istam Nuntiaturam maximum sibi

*) Epistola Capituli Coloniensis, ad quam praesens Breve se refert, sequentis erat tenoris: „Devotio nostra submississima, qua erga Sanctitatem Vestram Sanctamque Sedem Apostolicam continuo ferimur, aeque ac nostrae intentionis solertia pro publico Ecclesiae Coloniensis bono ex nostris et antecessorum nostrorum gestis undique elucescit. Cum nunc dicta Ecclesia Coloniensis, quae ut omnium dignior est, ita in maiori discrimine versetur, si perpendatur declaratio per Ser. Principem Electorem Palatino-Bavarum occasione modernorum dissidiorum super Nuntiaturis Pontificiis cum nostro non exiguo moerore et nullam faciendo partem subversantium in publico Ordinum Imperii consessu facta, qualiter nempe altefatus Elector dismembrationem suarum subiectarum provinciarum ab AEppatibus mediante institutione novarum ecclesiarum eppalium procurare intendat, quod ipsum autem Archidioecesi et Ecclesiae Coloniensi respectu binorum eidem hucusque subordinatorum Ducatuum Iuliacensis et Montensis summopere nocivum, plenumque periculis, ac insuper pessimae consequentiae foret,

odium conflasse, perinde ac si omnem solitarum facultatum excesserit modum, ita spem fovet nostram fore, ut nihil boni a vobis, qui tam bono animo estis, expectari non possit. Vestrae sane curae ac sollicitudines, propter quas ad nos fidenter confugitis, quo e vestra dioecesi divisionem arceatis Ducatuum Iuliacensis et Montensis, quam dil. in Chr. fil. noster Elector Palatinus loci Princeps minatur, ut felicem optatumque exitum habeant, vos et ven. frater, vester AEppus Elector potestis melius efficere, quam nos ipsi. Et re quidem vera minime vos latent gravissimae illae causae, quibus permotus Elector Palatinus Dux Bavariae non vestrae tantum, sed aliis etiam Metropolitanorum Ecclesiis est divisionem huiusmodi minitatus, utpote quae satis enucleate in Commentario explicantur, quod ipse ad omnes suffragantes Comitiorum circumferre iussit, quodque vos etiam vestris in literis commemoratis. Harum prima est *contradictio,* quae non sine omnium bonorum offensione excitata nuper est adversus non *Monachiensem* modo *Nuntiaturam,* sed alias etiam Germaniae, in gravissimum Apost. Sedis et temporarii quoque Principatus detrimentum. Altera est *violatio praecipuorum iurium ex Primatu manantium,* et divinitus nobis concessorum, suprema in nos iurisdictione et potestate collata tam super agnos quam super oves, seu quod in idem recidit, super populos aeque ac super pastores oecumenicae Ecclesiae; quae iura nos ipsi exercuimus, quibus decessores nostri semper usi sunt, quaeque Imperii leges et Concordata ipsa agnoscunt ac reverentur. Altera versatur super iis, quae a Metropolitanis in Epporum et

---

nostrumque dolorem de antedictis dissidiis augere deberet, quae tamen ut per amicabilem compositionem terminarentur, nostrum assiduum votum est, et hucusque fuit, quem in finem quoque Ser. AEppum et Electorem nostrum repetitis vicibus enixe rogare non intermisimus, ast benevolae eius voluntati alteram S. Sedis in hac via amicabili plane obstare in responsum accepimus. Hinc quamvis dubitare non possumus, Sanctitatis Vestrae mentem minime esse ad praememoratum desiderium Palatino-Bavaricum sese inclinatum renunciare, potissimum ob multas et graves difficultates, quae nullum videntur relinquere locum huic desiderio satisfaciendi, nihilominus iuxta zelum nostrum erga ecclesiam, et pro praevertendis quibuscunque impressionibus contrariis Sanctitatem Vestram hisce ferventissime obsecramus, ut archidioecesin et ecclesiam Coloniensem ab eiusdem summopere perniciosa et periculosa divisione salvam et liberam conservare, aut in eventum, quo opus fuerit, atque divisionis concessio penes S. Sedem serio urgeretur, nobis benignissime indulgere dignetur, ut gravissima incommoda, pericula et

Sanctae etiam Sedis damnum perpetrantur adversus *iura appellationum*, et illarum praesertim *dispensationum*, quae ab oecumenica Ecclesia uni Romano Pontifici adiudicantur; unde familiarum pax et tranquillitas] prorsus evertitur; quo in loco doctrinae etiam genus animadvertitur novum, atque insolens et errore plenum, quod praedicari tradique coeptum est. Postrema gravissimas querelas complectitur, quod ultro ac passim exhibeatur cuilibet religiosae libertatis studium fallax, deceptionis ac periculi plenum, quod hanc ipsam ob rem domestica regionum quies in dubium vocetur, quodque luctuosissima discordiarum semina inter Principes et populos eisdem subiectos serantur in vulgus. Haec porro rationum momenta ex perversis praesertim dogmatibus desumta si locum habent quoad dioeceses Electoris Moguntini et AEppi Salisburgensis, quorum scripta quaedam iussu nostro examen subibunt particularis Congregationis, ut in nostra Responsione declaravimus super Nunciaturis Cap. 8. §. 14. et Cap. 9. §. 7: suum aeque sibi vendicant locum in vestra ista dioecesi. Nota enim vobis est AEppi vestri pastoralis epistola diei 4 Febr. 1787, quam pariter examini particularis Congregationis subiecimus; multoque magis nota sunt vobis ea doctrinarum portenta et monstra, quae ab *Hedderichio*, *Spiegelio*, *Weimero*, *Forzheimio*, *P. Thaddaeo*, *Schneidero*, aliisque Professoribus traduntur in *Universitate Bonnensi*, quam ab ipso suae institutionis momento improbatam a nobis fuisse ostendunt nostrae literae ad vestrum AEppum datae die 30 Aug. 1783. In cuius quidem Universitatis inauguratione Spiegelius et Hedderichius eo etiam devenerunt, ut commendatione dignam putarent eam reformationis ecclesiasticae normam, quam Bucerus et Melanchton invenerant, quam compertum est doctrinae Lutheri esse consentaneam, quamque Hermannus de Weida, AEppus, Canonicis sui Capituli exhibuit, ut in proxima Synodo in illam tamquam in speculum intuerentur, et exemplum sibi sumerent ad imitandum. Nos equidem eiusdem Congregationis examini subiecimus istorum etiam Professorum libros et scripta, nuper ad nostras manus delata. Sed vos interim, dil. filii, hanc, quaeso, veritatem perpendite, deque illa vos ipsi pro vestri can-

---

dispendia, quae in ecclesiam huiatem totamque archidioecesim ex saepedicta divisione seu dismembratione necessario redundare debent, deinceps plenius exponere et demonstrare audeamus. — Coloniae die 17. Febr. 1790."

dore animi iudicate. Sic e medio tollentur huiusmodi causae, quas memoravimus supra, id est, si Nuntiorum agnoscetur auctoritas, si apostolicorum iurium cessabit violatio, si dogmata proscribentur, quae tantam inferunt ecclesiae et reipublicae labem, si Professores, quorum adeo sublesta fides est, aut arcebuntur, aut suos errores eiurabunt, nihil vobis erit, quod metuatis, et res in vado videtur esse. Quandoquidem ipse Palatinus Elector satis aperte suis scriptis declaravit, se non amplius novam, quam modo meditatur animo, dioecesium divisionem curaturum, ubi ea, quae modo deflet, incommoda ac mala quam longissime e sua ditione amandentur: nosque semper sperare possemus futurum, ut Princeps adeo religiosus et iustus novitatem moliri desinat, cessantibus causis, quae animum ipsius ad ea nova consilia deduxerant. Verum si contra spem omnem expectationemque nostram minime exulabunt hae causae tum e dioecesi vestra, tum e diecesibus aliorum Epporum; si bellum adeo iniustum ac vehemens fieri perget adversus apostolica iura; si *falsa et perversa Emsensis conventiculi dogmata* defendenda suscipientur; si denique idem fiet de Hedderichii doctrinis, cuius libri novo prelo cudendi in ista civitate parantur, ita, ut homines ad illos coëmendos alliciantur: nemo vestrum persvadebit sibi, negari per nos minime posse ex officio apostolici nostri ministerii hanc, de qua loquimur, vestrae aliorumque AEpporum dioecesis divisionem, cum illam petat flagitetque a nobis Vir Princeps, iustis et canonicis causis subnixus, ut pura servetur in sua ditione religio, ut debito obsequio Apost. Sedis iura colantur, ut populi sui errorum et schismatum discrimine liberentur; cum praesertim tum maiorum nostrorum memoria tum nostra tot fuerint in Germania levioribus etiam de causis divisi novique instituti Eppatus sine ulla Imperii contradictione, et non sine Epporum Metropolitanorumque dissensione, uti in nostra Responsione demonstravimus Cap. 2. §. 10.

Quocirca si vestra interest, ut omne detrimentum cuiusvis generis ab ista Ecclesia arceatur, vestra opera collatisque inter vos consiliis in id debetis incumbere, ut tam per vos ipsos, quam per AEppum vestrum novae istae causae omnes eliminentur. Ad vos quod pertinet, dil. filii, si nullam partem habuistis in iis, in quibus est contradictum Nuntiaturis, imo si contradictiones huiusmodi graves vobis et molestae fuerunt, rem ita se habere

opera ipsa demonstretis oportet; et si hactenus collegium vestrum per deputatos viros solitis prosequi officiis Apostolicum Nuntium neglexit, tum sui ipsius adventus tum natalitiorum gaudiorum tempore, ne detrectetis modo erga eundem debito hoc officio perfungi, eo vel magis, quia vestris obversatur oculis istius civitatis Magistratus exemplum, quem iuxta morem noluisse suo erga Nuntium Apostolicum officio deesse vestrates auctores testantur. Vicarius AEppi Generalis, a quo nullum non datur dispensationis genus, et cuius nomine inscripta tot adversus Nuntium mandata et decreta prodierunt, est Collegii vestri Canonicus. Eiusdem Capituli Canonicus est pariter Herrestorff, qui delatum sibi munus Officialis in tribunali Officialatus exercet, iunctusque Assessoribus laicis voto decisivo donatis suam una cum illis sententiam in secunda instantia pronunciat in causis ecclesiasticis: quale iudicium et novum est, et ad novam invehendam instantiam excogitatum. Vester item Collega est Canonicus De Merle, qui inter iudices prosynodales ab AEppo nominatus subinde iudicum Commissariorum effectus est caput, eiusque munere fungitur: nam in tertia et ultima instantia suum is profert iudicium una cum reliquis iudicibus prosynodalibus seu commissariis in gradu revisionis, licet hoc revisionis iudicium sit novissime invectum, licet solam habeant hi iudices commissionem AEppi, et licet de causis agatur ecclesiasticis, quae ad S. Sedem unice pertinent, quaeque iuxta Tridentinas sanctiones nequeunt a iudicibus prosynodalibus sine speciali ipsius S. Sedis Commissione cognosci, ita, ut dubitari nequeat, quin Vicarius aliique Collegae vestri suam operam conferant ad s. canones violandos, et ad Apostolica iura pessumdanda. Si spectabiles illi collegae vestri eo, quo decet, obsequio significassent AEppo, nequire se huiusmodi invasionibus operam dare, suam profecto AEppus deceptionem aliorum insidiis sibi paratam deprehendisset nec eo ferri illos coëgisset unquam, quo salva conscientia progredi se posse negarent. Hac itaque etiam in parte opus est, ut faciatis vestro muneri satis, monitis edocti Honorii 3. a nobis in Responsione nostra commemoratis Cap. 4. §. 7.

Ad AEppum vero quod attinet, quemadmodum ex vestris literis intelligimus, vos repetitis vicibus ab illo postulasse, ut per amicabilem compositionem terminarentur dissidia omnia, ita debita laude vestrum obsequium prosequentes vos etiam atque etiam

hortamur, ut ista officia instauretis, utque eo ardentius in tot malorum, de quibus diximus, eversionem incumbatis. Haec autem per vos studia erga AEppum vestrum impendentur eo utilius, si illa adhibebitis, postquam fuerit officiis vestris, quantum in vobis est, cumulate per vos satisfactum. Convertite oculos ad vestrorum antecessorum exempla, qui metuentes, ne ope reformationis ecclesiasticae, quae hodie e pulvere excitatur, et a Bonnensibus Professoribus commendatur, adversus sanam doctrinam exitiales in istam dioecesim errores importarentur, nihil habuerunt antiquius, quam ut AEppi animum verbis, obsequio et constantia plenis, sibi demerendum curarent, et ingruentem pestem averterent, et deprecarentur, ut literae patefaciunt ad ipsum datae die 1. Oct. 1543. quae ab Arnoldo Meshovio referuntur.

Ad nos tandem quod spectat, quantum in Domino possumus, nihil certe omittemus eorum, quae fieri valent, ut Metropolitanos ad pacis et concordiae sententiam revocemus. Tam Responsio nostra, quae iam vulgata est, quam literae nostrae in forma Brevis modo ad AEppum vestrum conscriptae nostram agendi rationem omnem satis cuique patefaciunt, ostenduntque luculenter, sine ulla nostra culpa nondum revertisse eam pacem, quam ardenter optamus; nisi contra nos velit fortasse verti, quod abolitioni Nunciaturarum aliorumque iurium ex Primatu manantium a nobis denegatus fuerit assensus, nulla enim alia proposita hactenus est nobis pacis ineundae ratio. Nostris apostolicis curis si illa etiam accedant, quae Vos praestetis oportet, equidem favente Deo, quem diu noctuque flagitamus, atque enixe obsecramus, speramus fore, ut vestri timores penitus dispellantur, et illa reddatur moerenti Ecclesiae tranquillitas, quam modo deflet illa sibi ademtam. — Datum Romae die 27. Mart. 1790. — **Brancadoro** cit. op. p. 278.

1036.

Pius VI PP. renovat morem antiquum, de **Petri Cathedra** quotannis coram Pontifice disserendi, A. 1790.

MON. *Romana beati Petri Cathedra* iam ab antiquis temporibus fuit ubique per catholicum orbem venerata, statoque

quotannis die inter fideles tali in honore habita, ut per eam ipsam solemnitatem facile in memoriam cuique revocaretur, *Petrum suo in Urbem adventu huc intulisse Primatus Sedem, in qua plenitudo resideret apostolicae potestatis, ibidemque Ecclesiae fundamentum super aspectabilis petrae soliditate posuisse, et eppalis constituisse corporis Caput, unitatis vinculum, regalis sacerdotii principatum, unde coelestis doctrinae a Deo Patre eidem Petro revelatae lumen late diffunderetur, universusque Christi Domini grex ab ipso pasceretur, non tantum locorum, sed et temporum spatiis omnibus usque ad seculi consummationem.* Hoc commemorantes, nonne huic Cathedrae merito sacrata dies est, ac debito pietatis studio cultuque celebrata? Quod ipsum praedecessores nostri peculari ratione praestandum sibi putantes, veterem illum morem perpetuo retinuerunt, ut praeter cetera, quae rite peragi solent sacri cultus officia, *coram Summo Pontifice sermo de eadem beati Petri Romana Cathedra ipsa eius die quotannis haberetur,* ac dicendo eius originis, dignitatis, potestatisque memoria restauraretur. Nos vero cumprimum in hanc Sedem sublati fuimus, ut magis adhuc constaret, quantam huius consvetudinis rationem habendam duceremus, illud cogitare cepimus, si quis esset ecclesiasticorum virorum in Urbe coetus, cui maxime ea dicendi de huiusmodi argumento provincia conveniret. Neque diu haerendum nobis in hac investigatione fuit, cum ecclesiasticam nobilium adolescentum Academiam prae oculis haberemus, utpote ad quam in pristinum splendorem restituendam curas nostras iam tum converteramus. Optimo haec instituta consilio fuit, ut ibidem recipi commorarique possent iuvenes praesertim ex Pontificia ditione, qui ad Urbem confluerent eo animo, ut illis imbuerentur disciplinis, per quas apti evaderent ad officia Apost. Sedi praestanda, ac deinceps tamquam ex irriguo Seminario ad publicos capessendos honores, ac sacra exercenda munera satis exculti confirmatique prodire possent. Optimum hoc consilium optimus est exitus consequutus: multi siquidem exinde viri ex umbratili studiorum exercitatione tamquam in pulverem ac solem educebantur, Ecclesiaeque inservientes, maximos in eam sui laboris atque operae fructus importabant. Sed ut plerumque in humanis accidit rebus, paulatim collapsam doluimus a pristino statu Academiam, ac illam tam utilem excolendorum iuvenum interceptam cooptationem. Nos

igitur iam ab initio Pontificatus nostri cum illam in pristinam laudem utilitatemque restituere suscepissemus, propterea attributis novis auxissemus fundis, aptisque legibus munissemus, ac domum ipsam necessaria supellectile, ac ampla bibliotheca instruxissemus, statim non sine plurima voluptate pristinam iuvenum frequentiam conspeximus, qui ad nobilitatis suae decora propria etiam ex studio ac virtute collecta adiungerent merita, nosque excitarent ad peculiaria iis, qui inter alios sua laude excellerent, cumulanda praemia. Proinde non dubitavimus interdum aliquos ex illa Academia pro opportunitate ad honores provehere, ac gravia iisdem huius S. Sedis committere sustinenda munera. Cuius consilii nostri nos hactenus nequaquam poenituit, atque in posterum fore confidimus, ut numquam sit poenitendum. Nunc vero cum agatur de tradenda perpetua provincia, prout diximus, sermonem de Apostolica Cathedra quotannis coram nobis habendi, adhuc magis huius ipsius academiae decorandae, eiusdemque ornandi coetus datum nobis esse gaudemus locum, ut ita maiora academicis adiungamus incitamenta ad ipsius Cathedrae primo cognoscendam originem, naturam, dotes, iuraque omnia a Iesu Christo, et per Apostolorum scripta, et per traditionis non interruptam seriem ad nos usque certissime transmissa, porro ad eadem pro suis viribus propugnanda, tuenda, veris extollenda laudibus, ac renovatis stata per annos singulos die praeconiis depraedicanda. Hoc pacto illi ipsi, qui sunt operam laboresque suos addicturi, publicum studiorum suorum et observantiae fideique specimen dare poterunt, ac tam praeclaro indicio patefacere sibi viam ad ampliora merita apud nos successoresque nostros comparanda. Itaque dil. filiis, qui in Academia Ecclesiastica navant ac in posterum navabunt operam iis disciplinis, quae huic Urbi atque huic S. Imperio maxime conveniunt, per hasce nostras in forma Brevis literas perpetuo tribuimus, addicimus, et assignamus provinciam quotannis habendi sermonem de Romana beati Petri Cathedra eiusdem die festo coram nobis et successoribus nostris Rom. Pontificibus, ut cuius obsequio se dicaturos profitentur, eiusdem sinu innutritos se esse doctrinaque excultos perspicue praeseferant, eoque ipso alacriores factos ad propugnandam ipsius auctoritatem non minus verbis quam officiis suis ipsi praestandis, quo omne oppugnationis genus contra eam non magis adversarii nostri quam rebel-

les filii per summam temeritatem et palam exercent, et per insidias moliuntur. Volumus tamen, ut eorum nemo hunc sibi pro singulis memoratis festivitatibus dicendi locum arroget, atque assumat, nisi quem dil. filius noster Ioannes S. R. E. Cardinalis Archinto aliique deinceps eiusdem Academiae apud hanc S. Sedem Protectores ad hoc munus selegerint, et voce vel scripto eiusmodi facultatem tribuerint. — Datum Romae die 12 Martii 1790. — **Brancadoro** l. cit. p. 265.

1037. 1038.

AEppus Trevirensis recedit a **punctatione Emsani Conventus**, ac una praescribit, qualiter a Professoribus Scholarum quaestio haec tractari debeat, A. 1790.

1037. MON. Die Irrungen, welche seit einigen Jahren zwischen dem Römischen Stuhle und den Erzbischöfen des deutschen Reichs in Betreff der Dispensen ‚circa impedimenta matrimonii' und sonstigen in die Gewalt der Schlüssel einschlagenden Gegenstände entstanden, sind euch nicht unbekannt. — Es ist euch ebenfalls erinnerlich, dass die angeführten Irrungen lediglich Folgen der bekannten *Consultation zu Ems* sind, welche wir niemals auf eine andere Art, *als eine Ihro kaiserl. Majestät vorzulegende Punktation* betrachtet haben, über welche wir mit unsern Miterz- und Bischöfen des deutschen Reichs unter der Vermittlung Ihro röm. kaiserl. Majestät und Allerhöchstdero Einleitung an den Römischen Hof mit Ihro Päbstlichen Heiligkeit Vergleichungshandlungen zu pflegen die Absicht hatten, und welche den Ausgang dahin genommen, dass wir von Allerhöchstihro kais. Majestät vordersamst zu einer gütlichen Rücksprache mit den betreffenden Landesherren verwiesen worden. *Da wir nun den Emser Congress weder als ein Concilium, noch als eine unabänderliche Richtschnur, sondern nur als eine Punktation und unvollkommenes und nicht zu Stande gekommenes Werk immer angesehen und noch ansehen*, auch in keiner andern Gestalt betrachten können, *da die Einig-*

keit zwischen dem Haupt und den Gliedern der Kirche dermalen ganz besonders nöthig ist, und da wir bei den gegenwärtigen sehr bedenklichen Zeiten auch nur den geringsten Anlass zu einem Ärgerniss zu vermeiden, und dem unserm Hirtenstabe untergebenen christlichen Volke ein Beispiel der Unterwürfigkeit gegen die rechtmässige Obrigkeit und der Achtung, welche der verjährte Besitzstand verdient, zu geben als unsere vorzüglichste Pflicht ansehen: so haben wir nach reifer Überlegung den Entschluss gefasst, die ‚Facultates quinquennales' wiederum von Ihro Päbstlichen Heiligkeit für uns zu verlangen. Wir befehlen und verordnen anbei, dass 1. von nun an weder auf unserer hohen Schule zu Trier, noch sonsten in unsern Kurlanden für noch gegen die Sätze des Emser Congresses disputiret und geschrieben werden solle, und dass 2. die Professoren den Inhalt des Emser Congresses in den betreffenden Vorlesungen lediglich als eine Punktation vortragen, in dessen Gemässheit wir denn unterm häutigen das Nöthige an besagte hohe Schule erlassen haben. Wir befehlen auch ferner und 3. dass nach eingelangten Facultäten die Dispensen in Ehesachen von euch nicht über den Buchstaben der römischen Facultäten erstrecket, und bis solche einlangen, die Partheien einstweilen an unsere Suffraganeos die Bischöfe von Myriophit und von Ascalon mit ihrem Gesuche verwiesen werden, welche wir ebenfalls unterm heutigen hiernach verwiesen haben; auch ist unsere ernstliche Willensmeinung, 4. dass für itzt und in Zukunft unsre geistliche Gewalt nicht über die Grenzen jenes offenbaren, ruhigen und erweislichen Besitzstandes ausgedehnt werde, welche unsere Vorfahrer am Erzstift und wir vor dem Emser Congress gehabt und hergebracht hatten. — Koblenz am 20 Hornung 1790. Clemens Wenceslaus Churfürst. — **Blattau** *Statuta Synodalia, ordinationes et mandata AD. Trevirensis.* VI. Treviris. 1847. p. 179.

1038. **Pius VI PP.** *AEppo Trevirensi gratulatur, quod sententias Congressus Emsani abiecerit, eundemque ad arctiorem unionem cum Sede Apostolica excitat, a. 1790.* Minime profecto continere paternum possumus animum nostrum, ven. frater, quin te per literas alloquamur, tibique mirificam illam exponamus consolationem, qua affecti fuimus, cumprimum ex tuo apud nos negotiorum gestore mandatum sibi a Te esse intellexi-mus, ut nos adiret, nobisque tuis verbis nunciaret, te et ad pri-

stinos tuos observantiae coniunctionisque cum Sancta hac Sede atque intimae nobiscum necessitudinis ac pietatis sensus rediisse, et repudiasse iam aliena a nobis consilia, *abiecisse Congressus Emsensis sententias, novitatesque omnes, quae Ecclesiae rescinderent unitatem, esse abominatum,* agnoscere proinde Apostolicae Cathedrae auctoritatem, ac enixe petere, ut te in gratiam nostram recipiamus, tibique promtos nos paratosque exhibeamus ad ea tibi praestanda, quibus pro horum temporum tuarumque rerum rationibus indigeres. Ex ipsa iam cognoscere potes liberalitate nostra, qua tua postulata prosequuti sumus, quali quamque eximia te caritate exceperimus, quo te amore complectamur, quem certe etsi numquam per nos interruptum, nunc tamen multo luculentius excitare sentimus in nobis ac erga te magis magisque inflammari. Has nostrae voluntatis significationes iis nunc de te votis cumulamus, ut constans ac perennis haec nostra de te consolatio sit, utque nihil ad nos isthic in posterum afferatur, nisi quod tui animi nobilitati, virtuti, religioni, fiduciaeque nostrae sit maxime consentaneum. Numquam tibi deesse opportunitates poterunt, quibus tam praeclarum iudicium de te nostrum expectationemque non solum confirmes, verum etiam amplifices, ceterosque item hoc tui exempli splendore ad imitationem inducas. Proximum iam tempus est Electorialium Comitiorum Francofurti cogendorum, in quibus Romanorum Regis ac futuri Imperatoris fiet electio. Iam ad ea nos de more mittendum designavimus ven. fr. Ioannem B. AEppum Iconii, ut nostri et Ap. Sedis extra ordinem Nuntii munus obeat, qui nostras ad universum inclytum Collegium vestrum praetereaque ad singulos Electores literas afferat, in quibus et ipsum omni laude ornatissimum Praesulem, resque per eum nostro gerendas nomine etiam atque etiam commendamus. Sed illas publicas literas ab hisce peculiaribus ad te nostris praecurri voluimus, teque familiari etiam hoc officio singulariter admonere, quam idoneus ille locus erit ad tua erga nos et Apostolicam hanc Sedem expromenda studia, declarandamque voluntatem. Optime tu ipse agnoscis, quid illic adversarii nostri moliri contra nos poterunt, quantisque etiam viribus in sacrarum rerum religionisque detrimentum incumbere. Speramus nos quidem generosos Electorum animos quaecunque contra Catholicam Ecclesiam ac Sanctam hanc Sedem eiusque iura proponentur, omnino reiecturos. Sed hae tuae partes potissimae erunt,

ven. frater, easque per te praecipue expleri cupimus, ut scilicet tanto magis laetemur, animum nobis tuum tam opportuna tamque eximia opera comprobari, a teque unice contendi, ut in sacra propugnanda potestate tua virtus excelleret. Quam ut laudem certius assequaris, habebis in iisdem Comitiis tuum fratris filium, itemque dil. in Chr. filium nostrum Fridericum Augustum Saxoniae Ducem, et S. R. I. Principem Electorem, quem facile poteris in tuorum consiliorum societatem adducere, unaque coniunctis animis inter vos consentire ad optime tuendam Dei causam, eoque splendidissimo facto amplificare domesticam gloriam ac ad posteros transmittere. Nihil esse hoc tempore potest tua virtute ac religione dignius, quod tibi suscipiendum perficiendumque proponamus, nihil quo magis testari possis, quantum nobis, quantum huic apostolicae Petrae adhaerescas, in eiusque unitate per invictam animi tui constantiam solideris. Ac divinam magis ut demereri tibi gratiam possis, eiusdem benignitatis auspicem apost. benedictionem fraternitati tuae ex intimo paterno corde depromtam amantissime impertimur. Datum Romae mense Maio 1790. — **Brancadoro** cit. op. p. 285.

1039.

Pius VI PP. Civilem **Constitutionem Cleri Gallicani** a **Nationali Conventu** decretam reiicit et damnat, tamquam iuribus Primatus adversam. A. 1791.

INTR. Quamquam celebris epistola Pii VI ad Cardinalem Rupefucaldium ceterosque Cardinales ac Praesules Gallicanos directa, et civilem Constitutionem Cleri a Conventu Nationali editam damnans ac reprobans, potissimum relationem Potestatis Ecclesiasticae ad Civilem pertractet, hocve ex obtutu per nos in ‚Monumentis Catholicis pro independentia Potestatis Eccl. ab Imperio Civili' integra vulgata sit: (Tom. 1. p. 444. ss.) quum tamen in eadem Summus Pontifex, apostolica sane libertate doctrinam et iura Ecclesiae contra novitia Conventus Nationalis dogmata propugnando, ante omnia de Primatu disserat,

praetermittere haud potuimus hocce Brevis Pontificii caput in collectione Monumentorum de Primatu. Id igitur per extractum Brevis laudati exhibemus, subiicientes simul insignia documenta, quae ad res Gallicanas, eo tempore prorsus prostratas et deiectas, propius spectant.

MON. Quod aliquantum differre ob ipsius rei gravitatem, nimiamque item urgentium negotiorum copiam coacti fuimus, nunc responsum damus, dilecti filii nostri ac venerabiles fratres, literis die 10. Octobr. ad nos datis, quibus multorum e vestris spectabilibus collegis nomen subscriptum est. Eae renovarunt in Nobis immensum, nullaque consolatione levandum dolorem illum, quem iam perceperamus, ex quo tempore perlatum ad nos erat, istum Nationis vestrae Conventum ad publicae oeconomiae rationes ordinandas congregatum adeo in suis decretis progressum esse, ut Catholicam Religionem impeteret, a conspirantibus enim suorum plerisque iam in ipsum irruebatur sanctuarium. Ab initio iudicabamus servandum nobis esse cum huiusmodi inconsultis hominibus silentium, ne ipsi veritatis voce magis irritati ad multo deteriora adhuc proruerent. Nostrum hoc silentium tuebamur S. Gregorii M. auctoritate, qui „discrete, inquit, vicissitudinum sunt pensanda tempora, ne cum restringi lingva debet, per verba inutiliter defluat.“ Tamen verba nostra ad Deum convertimus, ac publicas statim indiximus peragendas preces, ut novis istis legumlatoribus eum impetraremus animum, quo vellent ab huius seculi philosophiae praescriptis recedere, atque ad Religionis nostrae consilia regredi, iisque insistere. In quo Susannae exemplum secuti sumus, quae, ut exponit S. Ambrosius, „plus egit tacendo, quam si esset locuta; tacendo enim apud homines, locuta est Deo; conscientia loquebatur, ubi vox non audiebatur, nec quaerebat pro se hominum iudicium, quae habebat Domini testimonium.“ Neque porro praetermisimus Ven. Fratres nostros S. R. E. Cardinales in Consistorium convocare, die 29. Martii proxime elapsi anni, eosque participes eorum facere, quae isthic geri contra Catholicam Religionem iam coeperant, communicataque cum ipsis nostri doloris acerbitate, illos itidem ad Nostrarum lacrymarum ac obsecrationum societatem excitare.

Dum in hoc essemus intenti, repente adfertur ad Nos, prodiisse circa mensis Iulii dimidium a Gallicae Nationis Con-

ventu (cuius nomine solam partem numero praevalentem semper intelligemus) decretum, quod in titulo *Constitutionem Cleri civilem* praetexens, revera ad sacratiora dogmata, atque ad certissimam Ecclesiae disciplinam perturbandam, evertendamque deveniebat, huius primae Sedis, Episcoporum, sacerdotum, regularium utriusque sexus, totiusque Catholicae communionis iura abolebat, sacros supprimebat ritus, ecclesiasticos reditus et fundos arripiebat, eas demum inferebat aerumnas, quae credi non possent, nisi ipsa comprobarentur experientia. Istis ad nos relatis non potuimus certe non abhorrescere ad eius decreti lectionem, idemque accidit nobis, quod olim Magno Gregorio praedecessori nostro evenit, qui cum codicem quemdam ab Episcopo CPno recognoscendum accepisset, ac priores partes percurrisset, manifesta pravitatis venena testatus est in eo se reperisse; hinc animo nostro in summas aegritudines coniecto, ecce sub finem Augusti mensis nunciatur nobis carissimi in Christo filii nostri Ludovici Christianissimi Regis postulatio, qua summo apud nos instabat studio, ut auctoritate nostra approbaremus saltem per provisionis modum quinque ab illo Conventu decretos Articulos, suaque regia sanctione iam confirmatos. Cum autem illos regulis canonicis adversari videremus, lenius tamen ipsi Regi respondendum iudicavimus, nos articulos illos examini subiecturos viginti Cardinalium Congregationi, quorum singulorum sententias etiam scripto expressas deinceps cognoscere nos ipsi atque expendere pro rei gravitate satagebamus. Interim per nostras familiares literas ipsum hortati sumus Regem, ut universos Regni Episcopos induceret ad sibi candide aperiendos sensus suos, nobisque accuratas eorum consiliorum rationes proponendas, in quas ipsi convenirent, eaque nobis patefacienda, quae in tanta locorum distantia nos laterent, ne in ullam conscientiae nostrae labem possemus incurrere. Nondum quidem ad Nos inde pervenit ulla vestra huiusmodi gerendarum rerum explicatio; pervenerunt tamen aliquot Episcoporum typis evulgatae pastorales literae, sermones, et monita evangelico spiritu plena, sed ea singulariter a suis auctoribus perscripta neque rationem, quid a nobis gerendum videretur, indicantia, quam haec tanta rerum necessitas, summumque, in quo versamini, discrimen exposceret. Verum ad Nos non ita pridem pervenit manuscripta expositio vestra super principiis Constitutionis Cleri,

quam et typis postea accepimus; in cuius exordio perleguntur extracta Nationalis Conventus plura decreta, eaque multis coniuncta animadversionibus super eorumdem et invaliditate et pravitate. Eodem pariter tempore redditae nobis sunt recentes ipsius Regis literae, in quibus approbationem a nobis postulat ad aliquod tempus valituram septem Articulorum Nationalis Conventus, cum primis illis quinque ad nos Augusto mense transmissis pene consentientium, unaque significat, se in angustias redigi pro interponenda sanctione novo executoriali decreto die 27. Nov. edito, cuius iussu Episcopi, Vicarii, Parochi, Seminariorum Praefecti, aliique ecclesiasticis fungentes officiis coram generali Municipalitatum consilio intra praescriptum tempus iuratam praestent Constitutioni servandae fidem, et, ni faciant, gravissimis sint poenis puniendi. Verum, quemadmodum iam antea declaravimus, nequaquam Nos velle nostrum expromere super hisce articulis iudicium, nisi prius a maiori saltem Episcoporum parte perspicue distincteque Nobis relatum esset, quid ipsi sentirent, id nunc etiam constanter repetimus et confirmamus.

Dum Rex ipse postulat a nobis inter cetera, ut hortatione nostra Metropolitanos et Episcopos inducamus ad consentiendum Ecclesiarum Metrop. et Episcopatuum divisioni et suppressioni, nec non ut provisionali saltem modo indulgeamus, quo scilicet formae canonicae ab Ecclesia in novorum Episcopatuum erectionibus hactenus servatae nunc ex Metropolitanorum Episcoporumque auctoritate fiant, et praesentatis ad vacantes curas iuxta novam electionis methodum, iidem illi institutionem praebeant, dummodo morum, doctrinaeque eligendorum ratio non obstet: ex hac profecto Regis delata postulatione facile perspicitur, ab eo ipso nimirum agnosci exquirendos esse in huiusmodi casibus Episcoporum sensus, aequumque plane esse, ne Nos quidquam, nisi ipsis auditis, statuamus. Vestra igitur consilia, vestras singulariter expositas consiliorum rationes a vobis vel universis, vel plerisque subscriptas exoptamus, atque agnoscimus, quo tamquam gravissimo monumento innixi consultationes nostras regere, moderarique possimus, ut ita vobis regnoque christianissimo salutare ac congruum a nobis iudicium proferatur. Dum in hac de vobis expectatione sumus, interim illa, quae in vestris

exponuntur literis, sublevant nos aliqua ex parte, in peragendo examine omnium Nationalis Constitutionis articulorum.

Si primum perlegantur assertiones Concilii Senonensis inchoati a. 1527 contra Lutheranorum haereses: illud profecto, quod basis est et fundamentum decreti Nationalis, de quo agitur, expers esse ab haeresis nota videri non potest. Sic enim se explicavit Concilium: „Post hos autem ignaros homines surrexit Marsilius Patavinus, cuius pestilens liber, quod *defensorium pacis* nuncupatur, in Christiani populi perniciem, procurantibus Lutheranis, nuper excusus est. Is hostiliter Ecclesiam insectatus, et terrenis Principibus impie applaudens, omnem Praelatis adimit exteriorem iurisdictionem, ea duntaxat excepta, quam secularis largitus fuerit Magistratus. Omnes etiam sacerdotes, sive simplex sacerdos fuerit, sive Episcopus, AEppus, aut etiam Papa, aequalis ex Christi institutione asseruit esse auctoritatis, quodque alius plus alio auctoritate praestet, id ex gratuita laici principis concessione vult provenire, quod pro sua voluntate possit revocare. Verum ex S. Literis coërcitus est delirantis huius haeretici immanis furor, quibus palam ostenditur, non ex Principum arbitrio dependere Ecclesiasticam potestatem, sed ex iure divino, quo Ecclesiae conceditur leges ad salutem condere fidelium, et in rebelles legitima censura animadvertere; iisdem quoque Literis aperte monstratur Ecclesiae potestatem longe alia quavis laica potestate non modo superiorem esse sed et digniorem. Ceterum hic Marsilius et ceteri praenominati haeretici adversus Ecclesiam impie debacchati, certatim eius aliqua ex parte nituntur diminuere auctoritatem.“ Praeterea vobis etiam in mentem revocamus fel. rec. Benedicti 14. consonam sententiam, qui cum in suis ad Primatem, AEppos et Eppos Regni Poloniae die 5. Martii 1752. datis literis ageret de opusculo polonico idiomate impresso, gallice vero prius edito sub titulo: *Principia super essentia, distinctione et limitibus ambarum potestatum, spiritualis et temporalis, opus posthumum Patris Laborde ex Oratorio*, in quo Auctor Ecclesiasticum Ministerium ita seculari dominationi subiiciebat, ut ad hanc spectare pronunciaret de externa ac sensibili Ecclesiae gubernatione cognoscere ac iudicare: „pravum, inquit, ac perniciosum systema iam pridem ab Apost. Sede reprobatum ac pro haeretico expresse damnatum, fallacibus ratiunculis, fucatis, atque ad Religionem compositis verbis, con-

tortisque scripturarum, ac Patrum testimoniis impudens scriptor obtrudit, quo simplicibus et minus cautis facilius imponat.“ Igitur libellum proscripsit, notasque apposuit captiosi, falsi, impii atque haeretici, eiusque interdixit ac prohibuit lectionem, retentionem, et usum omnibus et singulis Christi fidelibus, etiam specifica et individua mentione dignis sub poena excommunicationis. — Et sane quae unquam pertinere potest ad laicos iurisdictio super Ecclesiae rebus, ob quam ecclesiastici ipsi subiici eorum decretis teneantur? Nemini porro, qui Catholicus sit, ignotum esse potest, Iesum Christum in suae Ecclesiae institutione dedisse Apostolis, eorumque successoribus potestatem nulli alii potestati obnoxiam, quam sanctissimi Patres universi voce concordi agnoverunt cum Osio et S. Athanasio monentibus: ‚Ne te rebus misceas ecclesiasticis, nec nobis hisce de rebus praecepta mandes, sed a nobis potius haec ediscas: tibi Deus imperium tradidit, nobis quae sunt ecclesiastica concredidit, ac quemadmodum qui tibi subripit, Deo ordinanti repugnat, ita metue, ne si ad te ecclesiastica pertrahas, maioris criminis reus fias.“ Ac propterea S. Ioannes Chrysostomus, ut magis, quam id verum esset, comprobaret, Ozae factum attulit: „qui arcam alioquin subvertendam fulsit, e vestigio mortuus est, eo quod ministerium ipsi non congruens usurpavit, ergone sabbatum violatum et solus arcae ruiturae contactus ad tantam indignationem Deum provocavit, ut qui haec ausi fuerant, ne minimum quidem veniae sint consecuti? hic vero qui adoranda et ineffabilia dogmata corrumpit, excusationem habiturus est, et veniam consequetur? non potest hoc fieri, non potest inquam.“ Id ipsum decrevere Sacrosancta Concilia, consentientibus in idem vestris regibus, usque ad regnantis avum Ludovicum XV. qui agnoscere se declaravit: „velut primum suum officium, impedire, ne disputationum occasione in dubium revocentur iura sacra illius potestatis, quae a Deo solo accepit ius determinandi quaestiones doctrinae de fide vel regula morum, condendi canones, vel disciplinae regulas, quibus regantur Ecclesiae Ministri, et fideles in ordine religionis, instituendi suos ministros, aut eos destituendi iuxta easdem regulas, fideliumque ad obedientiam sibi praestandam adigendorum, ipsis imponendo, iuxta ordinem canonicum, non solum poenitentias salutares,

verum etiam veras poenas spirituales vel iudiciis vel censuris, quae primi Pastores iure suo ferre possunt."

Et tamen contra tam certam in Ecclesia sententiam Conventus iste Nationalis potestatem sibi Ecclesiae arrogavit, dum tot ac tanta constitueret, quae tum dogmati, tum ecclesiasticae disciplinae adversantur, et dum episcopos et ecclesiasticos omnes iureiurando ad sui decreti executionem adstringeret. Verum hoc minime mirum videri debet iis, qui ex ipsa Conventus constitutione facile intelligunt nil aliud ab illa spectari, atque agi, quam ut aboleretur Catholica Religio, et cum eadem debita Regibus obedientia. Eo quippe consilio decernitur: in iure positum esse, ut homo in societate constitutus omnimoda gaudeat libertate, ut turbari scilicet circa religonem non debeat, in eiusque arbitrio sit de ipsius religionis argumento, quidquid velit, opinari, loqui, scribere, ac typis etiam evulgare. Quae sane monstra ab illa hominum inter se aequalitate naturaeque libertate derivari, ac emanare declaravit. Sed quid insanius excogitari potest, quam talem aequalitatem libertatemque inter omnes constituere, ut nil rationi tribuatur, qua praecipue humanum genus a natura praeditum est, atque a ceteris animantibus distingvitur. Cum hominem creasset Deus, eumque in paradiso voluptatis posuisset, nonne eodem tempore ipsi mortis poenam indixit, si de ligno scientiae boni et mali comedisset; nonne statim hoc primo praecepto eius adstrinxit libertatem? Nonne deinceps, cum per inobedientiam se reum effecisset, plura praecepta per Moysen adiunxit? Et licet ipsum reliquisset in manu consilii sui, ut bene seu male mereri posset, nihilominus adiecit mandata, et praecepta, ut si voluerit servare, conservassent eum. Ubi est igitur illa cogitandi agendique libertas, quam Conventus decreta tribuunt homini in societate constituto, tamquam ipsius naturae ius immutabile. Oportebit igitur ex eorum decretorum sententia iuri contradicere creatoris, per quem existimus, et cuius liberalitati, quidquid sumus atque habemus, acceptum referre debemus. Praeterea quis iam ignoret creatos esse homines, ut non solum singuli sibi, sed et aliis vivant, ac prosint hominibus? in hac enim naturae infirmitate mutuo indigent ad sui conservationem subsidio, atque idcirco a Deo et rationem, et loquendi facultatem tenuerunt, ut et opem petere, et

petentibus praestare scirent ac possent; proinde ab ipsa naturae inductione in societatem communionemque coierunt. Iam cum hominis sit ita sua ratione uti, ne supremum auctorem suum non tantum agnoscere verum et colere, admirari, ad eumque omnia referre debeat, cumque ipsum subiici iam ab initio maioribus suis necesse fuerit, ut ab ipsis regatur, atque instruatur, vitamque suam ad rationis, humanitatis, religionisque normam instituere valeat, certe ab uniuscuiusque ortu irritam constat atque inanem esse iactatam illam inter homines aequalitatem ac libertatem. Necessitate subditi estote. Itaque ut homines in civilem societatem coalescere possent, gubernationis forma constitui debuit, per quam iura illa libertatis adstricta sunt sub leges supremamque regnantium potestatem; ex quo consequitur, quod S. Augustinus docet in haec verba: „generale quippe pactum est societatis humanae obedire regibus suis." Quapropter haec potestas non tam a sociali contractu, quam ab ipso Deo recti iustique auctore repetenda est. Quod quidem confirmavit Apostolus: „Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo, quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt." Atque hic referre libet canonem Concilii Turonensis 2. habiti a. 567. cuius verbis anathemate plectitur, non solum qui decretis Apost. Sedis contraire praesumit, sed et, quod peius est, qui contra sententiam, quam vas electionis Paulus Ap. Spiritu S. ministrante promulgavit, aliud conscribere, ulla ratione praesumat, cum dicat ipse per Spiritum S. qui praedicaverit, praeter id quod praedicavi, anathema sit. Ast ad refutandum absurdissimum eius libertatis commentum satis hoc etiam esse potest, si dicamus huiusmodi sententiam fuisse Valdensium et Beguardorum a Clemente V. sacro approbante oecumenico concilio Viennensi damnatorum, quam deinde secuti sunt Wiclephistae, et postremo Lutherus illis suis verbis: liberi sumus ab omnibus. Verumtamen quae de obedientia legitimis potestatibus debita asseruimus, nolumus eo accipi sensu, ut a nobis dicta fuerint animo oppugnandi novas civiles leges, quibus rex ipse praestare potuit assensum, utpote ad illius profanum regimen pertinentes, ac si per nos eo consilio allata sint, ut omnia ad pristinum civilem statum redintegrentur, iuxta quorumdam ca-

lumniatorum evulgatas interpretationes, ad conflandam religioni invidiam: cum revera nos, vosque ipsi id unum queramus, atque urgeamus, ut sacra iura Ecclesiae et Ap. Sedis illaesa serventur. In quem sane finem nunc alia ratione nomen illud libertatis expendamus, discrimenque inspiciamus, quod intercedit inter homines, qui extra gremium Ecclesiae semper fuerunt, quales sunt infideles, et Iudaei, atque inter illos, qui se Ecclesiae ipsi per susceptum Baptismi Sacramentum subiecerunt. Primi etenim constringi ad catholicam obedientiam profitendam non debent; contra vero alteri sunt cogendi. Id quidem discrimen solidissimis, prout solet, rationibus exponit S. Thomas Aquinas, ac multis ante seculis Tertullianus exposuit in libro Scorpiaci adversus Gnosticos, et paucis ante annis Benedictus XIV. in opere de Servorum Dei beatificatione et beatorum canonisatione; atque ut magis adhuc huius argumenti pateat ratio, videndae sunt duae celeberrimae ac pluries typis editae S. Augustini epistolae una ad Vincentium Cartennensem, altera ad Bonifacium Comitem, per quas non veteres solum, sed et recentes haeretici plane refelluntur. Quare manifesto perspicitur, aequalitatem et libertatem a Conventu isto iactatam in illud, ut iam probavimus, recidere, ut Catholica subvertatur Religio, cui propterea *dominantis* titulum in regno, quo potita semper est, detrectavit.

Progredientibus nunc nobis ad alios Nationalis Conventus errores demonstrandos, statim occurret Pontificii Primatus eiusque iurisdictionis abolitio, cum decretum sit: ut novus Episcopus non possit ad Papam recurrere; ut ab eo ullam confirmationem obtineat, sed ad eum scribat, velut ad Caput visibile Ecclesiae universalis, in testimonium unitatis fidei, et communionis, quam debet cum eo retinere. Nova praescribitur iurisiurandi formula, in qua Romani Pontificis nomen suppressum est. Imo cum electus ex iurata fide tenetur decretis nationalibus, in quibus inhibitum est, ne a Pontifice electionis confirmatio postuletur, eo ipso omnis eiusdem Pontificis potestas prorsus excluditur, atque hoc modo abscinduntur a fonte rivi, rami ab arbore, populus a primo Sacerdote. Hic vobiscum usurpare nobis liceat et exprimere illatas dignitati auctoritatique nostrae iniurias, vocibus, quibus S. Gregorius M. indoluit apud Constantinam Augustam de Ioanne, qui nova praesumere coeperat, seque per superbiam Universalem Episcopum appellabat;

rogavitque, ne assensum praeberet praefatae Ioannis elationi: „Si hac in causa nequaquam me pietas vestra despiciat, quia etsi peccata Gregorii (nunc Pii) tanta sunt, ut pati talia debeat, Petri tamen Apostoli peccata nulla sunt, ne vestris temporibus pati ista mereatur. Unde iterum per Omnipotentem Deum rogo, ut sicut parentes priores vestri principes S. Petri Apostoli gratiam quaesierunt, ita vos quoque et hanc vobis quaerere et conservare curetis, et propter peccata nostra, qui ei indigne servimus, eius apud vos honor nullatenus minuatur, qui et modo vobis adiutor esse in omnibus et postmodum vestra valeat peccata dimittere.“ Quod D. Gregorius ab auctoritate Constantinae postulavit ad decus Pontificiae dignitatis, nos a vobis similiter exquirimus, ne in isto vastissimo regno Primatus honor et iura aboleantur, respicianturque merita Petri, cuius nos haeredes sumus, etsi indigni, quique debet in persona humilitatis nostrae honorari. Quod si alienae potestatis vi impediti exequi non valebitis, per religionem et constantiam vestram complere debetis, fortiter vos ab iniuncto iureiurando abstinentes: quippe minus detrahebat Gregorio usurpata a Ioanne denominatio, quam nostro deroget iuri Nationale decretum. Quomodo enim retentam conservatamque dici poterit cum visibili Ecclesiae capite communionem, eidem tantummodo electionem nunciando, eodemque tempore ipsius primatus auctoritatem etiam per sacramenti religionem abnuendo? Et tamen debetur ipsi tamquam capiti a suis membris solemnis canonicae obedientiae promissio ad retinendam in Ecclesia unitatem atque ad evitanda mystici huius corporis a Christo Domino constituti schismata. Qua in re, quod ad Ecclesias Galliarum pertinet, videre est apud Martene de ant. Eccl. rit. qualis ibidem iurandi formula viguerit, in qua constat iam ab antiquis temporibus Gallicanos Episcopos in sua ordinatione ad fidei professionem addidisse expressam suae erga Rom. Pontificem obedientiae clausulam. Atque hic non ignoramus profecto, neque dissimulandum ducimus, quid constitutionis Nationalis patroni contra haec proferunt ex epistola S. Hormisdae ad Epiphanium Patr. CPnum, seu potius quantopere illa ipsa abutantur; quoniam ex eadem constat in more fuisse, ut ab Episcopis electis legati cum literis et fidei professione mitterentur ad Romanum Pontificem a quo postulabant admitti in coniunctionem et in communicationem cum Ap. Sede, et hunc

in modum suae electionis approbationem obtinerent. Quod cum praestare omisisset Epiphanius, ad ipsum Hormisdas scribens: „Mirati, inquit, admodum sumus morem pristinum fuisse neglectum, quia reparata Ecclesiarum Deo annuente concordia, plenum fraternitatis ac pacis id flagitabat officium, praesertim quod illud sibi non arrogantia personalis, sed regularum observantia vindicabat. Decuerat siquidem, frater carissime, te legatos ad Ap. Sedem inter ipsa tui pontificatus initia destinasse, ut quem tibi debeamus affectum, bene cognosceres, et vetustae consuetudinis formam rite compleres.“ Primatus adversarii ex verbo *decuerat* illam non nisi urbanitatis, et, ut ita dicamus, exuberantiae legationem fuisse contendunt; at ex toto Epistolae contextu, ex illis nempe verbis: *reparata Ecclesiarum concordia* etc. quis iam contendat, ob illud *decuerat* verbum, pontificia moderatione prolatum, in electi debito non fuisse ad Pontificem pro consequenda approbatione recurrere? Sed prorsus elidit oppositam interpretationem alia Pontificia Epistola, quae est S. Leonis IX. ad Petrum Eppum Antiochenum, qui cum S. Pontifici denunciasset ad Episcopatum electionem, responsum accepit: „valde necessarium studium fuisse annunciare et exponere secutam eius electionem, et quod maxime oportebat tibi, et Ecclesiae, cui temporaliter praesides, non distulisti efficere — mea vero humilitas in culmine Apostolici throni ideo exaltata, ut approbanda approbet, improbanda quoque improbet, tuae sanctissimae fraternitatis episcopalem promotionem libens approbat, collaudat, et confirmat, et communem Dominum instanter exorat, ut quod humano iam ore diceris, ante eius oculos existas.“ Epistola haec, quae non ex privati doctoris interpretatione, sed ex iudicio prodiit Pontificis sanctitate et doctrina insignis, nullum relinquit dubium super sensu, in quo nos exposuimus epistolam S. Hormisdae, ut merito inter illustriora monumenta accensenda sit pro debita ab Episcopis petenda et reportanda a Romano Pontifice confirmatione, quam Tridentini Concilii munit auctoritas, quamque nos in responsione super Nunciaturis vindicandam suscepimus, pluresque alii ex vobis egregiis doctisque scriptis propugnarunt. -- — Datum Romae, die 10 Martii 1791. — **Collectio Brevium** *atque Instructionum Pii VI, quae ad praesentes Ecclesiae Cath. in Gallia et aliis a*

Gallis occupatis regionibus calamitates pertinent. Iuxta exemplar Romae impressum. 1800. I. 47.

1040—1048.

Declarationes **Praesulum Galliae** pro suprema iurisdictione Rom. Pontificis sub **Revolutione** editae, A. 1790. ss. *) (Extractive.)

1040. MON. *Eppus* **Ambianensis** (Amiens). Adductis textibus S. Scripturae, Math. XVI. 18. s. Luc. XXII. 32. Ioan. XXI. 16. s. ad ostendendam universalem et perpetuam iurisdictionem Papae citat testimonia: *S. Irenaei* adv. haer. l. 3. c. 3: ‚Maximae et antiquissimae Romae fundatae Ecclesiae — ad hanc propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam' ; — *S. Athanasii* epist. ad Felicem Papam: ‚Vos Deus in summitate arcis constituit, omniumque Ecclesiarum curam habere praecepit, ut nobis succurratis ;' — *S. Basilii* ad Athan. ep. 3: ‚Visum est mihi consentaneum, ut scribatur Eppo Romae, ut quae hic geruntur consideret et sententiam suam expromat, ut ipse auctoritatem tribuat electis viris, qui acta Concilii Ariminensis secum ferant, ad rescindendum quae illic violente acta sunt'; — *S. Leonis* Serm. 3. de assumtione sua: ‚Unus Petrus eligitur, qui omnibus apostolis cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur, ut quamvis sint multi Pastores, omnes tamen proprie regat Petrus.' — Ex Conciliis adducit *Chalcedonense* act. 2. ex quo adfert, quod Dioscorus Patriarcha Alexandrinus, itaque ordine secundus a Romano, mensuram haereseos impleverit, eo quod contemserit sententiam Papae. Addit, quod *C. Nicaenum II.*

---

*) Codex Ecclesiasticus Conventus Nationalis supremam auctoritatem Rom. Pontificis duobus his articulis potissimum impugnabat: *Tit. I. art. 4:* Vetatur cuivis civi gallico, in quocunque casu sub quocunque praetextu iurisdictionem cuiuscunque Eppi aut AEppi, cuius sedes in dominio externae alicuius potentiae existeret, aut auctoritatem eius delegatorum, sive intra sive extra Galliam resideant, recognoscere. Haec tamen omnia fiant sine praeiudicio unitatis fidei et communionis, quae cum visibili supremo Capite universalis Ecclesiae subsistet. *art. 5:* Si Eppus in sua synodo super negotia suae iurisdictionis sententiam tulerit, appellatio ad AEppum conceditur, qui in Synodo Metropolitana suum iudicium feret.'

receperit verba Hadriani Papae dicentis: ‚Petri sedes per totum orbem primatum obtineat et caput existat'. Concilium item *Lateranense* a. 1215. c. 9. ubi decretum, ‚Ecclesiam Romanam obtinere super omnes principatum ut matrem et magistram universorum fidelium; Patriarchas accipere pallium a Romano Pontifice praestito eis prius fidelitatis et obedientiae iuramento.' Tum in *C. Florentino* in literis s. unionis cap. 4. ait eundem Pontificem vocari ‚Verum Christi Vicarium, totius Ecclesiae Caput, patrem, doctorem omnium, quemadmodum in gestis Oec. Conciliorum et s. Canonibus continetur.' Denique subnectit, in *C. Tridentino* Sess. XIV. cap. 7. de ref. decisum fuisse, ‚merito Pontifices pro suprema potestate sibi tradita causas aliquas criminum graviores suo peculiari iudicio reservare potuisse.' — Porro ait: „*Ex disciplina et praxi Ecclesiae superioritatem Papae plus importare, quam Febronii inspectionem.* Sic Clemens PP. sec. 1. corripuit Corinthios ob scissiones domesticas; Sec. 2. Victor PP. ordinavit diem Paschae contra quam vellent Eppi Asiani, tametsi se traditione a S. Ioanne accepta tuerentur; nec S. Irenaeus, etsi initio repudiarit decretum Romanum, obiecit Papae transgressionem limitum suae potestatis; Sec. 3. Stephanus PP. reclamavit rebaptisationi haereticorum; S. Cyprianum durius resistentem Pontifici arguit S. Augustinus, et dicit errorem martyrio correctum fuisse; Dionysius Eppus Alexandrinus recurrit ad Pontificem Dionysium de Sabellianismo accusatus, et ab eodem innocens declaratur; Sec. 4. Melchiades PP. in Romana Synodo Caecilianum Eppum Carthaginensem a criminibus obiectis absolvit; S. Athanasius, Paulus CPnus, Marcellus Ancyranus, et alii in Conciliis damnati appellarunt ad Papam ob sui depositionem; denique, ut ait Fleury H. E. lib. 12. n. 20, omnes Eppi recurrebant ad Sedem Apostolicam ob eius praerogativam super omnes vigilandi; quod idem testantur Graeci Socrates, et Sozomenus. Legantur Epistolae Liberii Papae, in quibus arguitur Eppus Tarraconensis de variis abusibus, in sua Ecclesia invalescentibus, iubeturque easdem etiam ceteris Hispaniae Eppis communicare; Sec. 5. Eppi Africae petunt ab Innocentio et Zosimo PP. confirmationem damnationis, quam tulerunt in Pelagium, eiusque socios; S. Chrysostomus in pseudo-concilio damnatus convertit se ad Innocentium PP. et sedem, a qua eiectus fuit, obtinuit; Zosimus PP. scribit ad Gallias: iussimus autem, ut

Arelatensis Metropolita Viennensem et Narbonensem provincias ad suum pontificium revocet, et subiungit: quisquis ergo posthac contra Ap. Sedis statuta egerit, sacerdotio carere agnoscat. — Patres C. Ephesini testantur se auctoritate s. canonum et virtute literarum Coelestini I PP. congregasse, et Nestorium damnasse; articulus I C. Chalcedonensis act. 3. redarguit Ioannem Eppum Antiochenum, quod debitum honorem non deferat Ap. Sedi Romanae, praesertim cum apud illam Sedem mos sit ex apostolica ordinatione et traditione dirigi Sedem ipsam Antiochenam.“ Similia testimonia adfert pro Sec. 6. ex Fleurii H. E. l. 28. 29. 31. tum subiungit: ‚Hic usus erat seculis illis, quibus floruere Irenaeus, Basilius, Gregorius, Athanasius, Ambrosius, Augustinus, quae aurea vocantur secula, quibus in Oriente et Occidente tam illustres fuere Ecclesiae, tot schismata immixta et haereses ab ipsis Imperatoribus suffultae, inter quas procellas numquam conservata fuisset unio, nisi agnita fuisset superioritas Papae super Eppos, et quasvis Ecclesias, quas Papa reformavit, quibus responsa et decisiones transmisit, et in Conciliorum defectu mandata dimisit et ordinationes, ex quibus patet, *eius imperium non fuisse ministeriale aut quasi ministeriale, sed iurisdictionem, quae omnes Ecclesias in conscientia obliget.*‘ Ultro addit testimonium Melanchtonis a. 1533. ad Franciscum I. R. Gall. fatentis, necessarium esse, ut dentur Eppi et Papa, qui praesit Eppis. Eundem Melanchtonem citat defendentem monarchiam Papae multum conferre ad unitatem doctrinae. Ubi insuper Bossuetus observat, Melanchtonem, cum praetextum sumsit Papae obedientiam detrahendi, ad verba superiora adiecisse: ‚cavendum tamen, ne eadem monarchia doctrinam evangelicam supplantet.‘ Alibi vero declarat *schismaticos, qui commercium literarum cum Papa, quod etiam ad unitatem fidei pertinet, et eius iurisdictionem impedierint.* — Idem Praesul circa *ius Pontificis, Concilia convocandi,* mentem suam sic exprimit: ‚Protestantes tentarunt docere, horum sequaces faciunt echo eorumdem mendaciorum, prima videlicet Concilia Principum auctoritate convocata fuisse, non quasi zelarent pro iuribus Principum, verum quia iurati sunt hostes Ecclesiae, creduntque tantum sibi prosperaturos, quantum auctoritati Capitis Ecclesiae suffurari viderentur. Ad hos confundendos redire libet ad prima secula, et apparebit, quodsi Principes generalia Concilia convocarunt, nullo

id alio fine intentioneque factum fuisse, quam ut desiderio satisfacerent Ecclesiae et petitioni consensuive summi Capitis, quod epistolas convocatorias per provincias mittebat. Videre licebit, utramque potestatem suos observasse limites. Papa ordinavit conventum in nomine Iesu Christi, potestate ab eodem accepta super omnes Eppos; Princeps potestate ab eodem Iesu Christo accepta suis viis et mediis bonum Ecclesiae promovendi. De primo Concilio Nicaeno loquitur C. CPnum II serm. acclamat. hoc modo: Constantinus semper Augustus, et Silvester laudabilis magnam atque insignem in Nicaea Synodum congregabant. Theodosius M. cum Eppos ad primum C. CPnum invitaret, adiecit petitionem Damasi PP. et hic in suis evocatoriis literas Theodosii. S. Leo PP. scribit ad Turbium ep. 93. c. 17. dedimus literas ad fratres et Eppos nostros, eisque conventum Synodi generalis indiximus. Loquitur de C. Chalcedonensi. De Concilio V. oec. CPno II Vigilius PP. recensitis postulationibus scribit ad Patriarcham Eutychium: vestrum desiderium cognoscentes annuimus, ut de tribus Capitulis facto regulari conventu finis detur. Pogonatus Imperator Georgio Patriarchae CPno scripsit de VI C. Generali et tertio eiusdem verbis, quod illud convocet excitatus per pios vestros apices, et Dominum sanctissimum Ap. Sedis antiquae Romae Praesulem. Ad VII generale Conc. Nicaeae celebratum provocatus fuit Adrianus Imp. per Tarasium Patr. CPnum. Pro VIII gen. Concilio CPno IV peroravit Basilius Imp. apud Hadrianum II. PP.' — Adducit idem Eppus sequentia: „Fortasse audaciam sibi sument nonnulli, et dicent: iurisdictionem Papae, ut hactenus defensa est, non bene cohaerere cum *libertatibus Cleri Gallicani*, ad quas saepe provocatur indebite, cum quis decisiones Papae effugere cupit, quibus saepe iudicia profana abutuntur, et iura Ecclesiae invadant, quas nuper haereticorum quidam denigrare ausus est apud exteras nationes, ut socios errorum suorum aucupetur. *Dicimus* itaque *et nomine Cleri Gallicani, et veteris Ecclesiae Francorum, quin nobis contradici possit, Ecclesiam Gallicanam a reverentia et obedientia, quam primi nostri Apostoli successoribus S. Petri iurarunt, numquam recessisse, eius primatum iurisdictionis tam in doctrina, quam in disciplina semper agnovisse, his postremis temporibus ita locutam, ita egisse, ut illa primorum seculorum locuta est et egit.* Anno 1653. triginta et unus Eppi ad Innocentium X pronunciarunt: ‚perspectum ha-

bebat Ecclesia non solum ex Christi Domini pollicitatione Petro facta sed etiam actibus priorum Patrum, iudicia pro sancienda regula fidei a Summis Pontificibus lata super Epporum consultatione, sive suam sententiam ponant sive omittant, divina auctoritate per universam Ecclesiam niti.' Certum est unum esse iure divino in Ecclesia Papam, cui omnes parere teneantur. (Ita censura S. Facult. Theol. art. 23.) Omnes Romanum Pontificem, universalem Christi Iesu Vicarium, cui plenitudo potestatis a Deo data est, venerari tenentur. (Fac. Th. Paris. art. 1. a. 1654.) Eadem a. 1617. propositionem Marci Ant. de Dominis damnavit: ‚disparitas potestatis inter Apostolos humanum est inventum, haec propositio est haeretica, schismatica intellecta de iurisdictione apostolica, quae in solo Petro subtistebat.' Anno 1683. declarat eadem Facultas: Romanum Eppum unum esse de iure divino et summum in Ecclesia Episcopum. ‚Gerson' de statutis Ecclesiae consid. 1. ait: Facultatem Theol. contra eos, qui dicunt Iesum Christum non immediate formam monarchicam in Ecclesia instituisse, propositionem hanc declarasse haereticam, schismaticam, ordinis hierarchici subversivam, et pacis Ecclesiae perturbativam, quem monarchalem et regalem primatum quisquis impugnare praesumit pertinaciter, haereticus et schismaticus est, impius atque sacrilegus, cadit enim in haeresim toties expresse damnatam, a principio nascentis Ecclesiae usque hodie, tam institutioni Christi quam traditioni in Generalibus Conciliis contrariam. Declaratio Cleri Gallicani de Eccl. Potestate a. 1681 et 1862. cum dixit: ‚non desunt, qui obtentu libertatum Gallicanarum primatus beati Petri et successorum reverendam omnibus gentibus maiestatem minuere non verentur,' ‚subiunxit: quod quaestiones fidei praeferenter iurisdictioni Pontificis subiectae sint, et quod eius definitiones se extendant super omnes et singulas Ecclesias, tametsi sine consensu universae Ecclesiae sigillum infallibilitatis non habeant. Hac de causa haeresim Iansenii et sequacium Papae detulerunt, dum a. 1700. librum de regulis sanctitatis submiserunt; et serius eius auctoritatem provocarunt, ut doceat, quomodo se circa administrationem Sacramentorum erga publicos peccatores gerere debeant. —

1041. *AEppus* **Viennensis:** bene *discernendum esse successorem Petri a successoribus Apostolorum;* si enim Eppi pastores plebis sunt, ipse Pastor est plebis et Epporum, illius se-

des semper erit centrum catholici coetus, quidquid fidem, mores et potestatem concernit; hanc enim solam sedem patres nostri *Primatum Ap. Sedis, supremam iurisdictionem, plenitudinem sedis sacerdotalis, matrem Ecclesiam, caput Eppatus* dixerunt, e quo radii regiminis exeunt; (Bossuet serm. de Unit. Eccl.) nulla potestas profana eius exercitium impedire potest; uni itaque soli potestas data est super omnes sine exceptione, quae plenitudinem continet, ita, ut quae pluribus data est, restrictionem patiatur; nam etiam teste Cypriano ad Cornelium ep. 55. quisque Eppus defixam habet partem gregis Iesu Christi, cui invigilet.

1042. *AEppus Aquensis* (Auch): Treilhard et omnes theologi cuiusdam sectae defendunt, quod hoc ius — *nominatio Epporum* — Papae reservatum sit iniqua usurpatio; et non advertunt *hanc potestatem tam veterem esse, quam vetus est ipsa Ecclesia*, tametsi non semper eodem rigore exercita sit; eandem itaque ad originarium usum reducere nulla prorsus usurpatio est, si circumstantiae id exigant. Nemo negare potest, Papae semper convenisse supremam inspectionem in ecclesias particulares ita, ut eam habent Metropolitae in Ecclesias sibi subordinatas; iam vero horum iurisdictio originem habet a constitutionibus Pontificum et canonum, iurisdictio vero Papae oritur a Christo. (Thomassin. disc. eccl. cap. 1. 2. 3.) Tardior itaque disciplina nequit praeiudicare originario iuri, et subsequentes abusus causaeque aliae effecerunt demum, ut illa recentior disciplina rursum reponatur, et vetus illa ac originaria reviviscat. Utinam talia solidiore industria perpenderent illi Iuristae, qui ut coece ita audacter in theologica sese immiscent, modestiores sane forent in suis expressionibus hodie receptis, quod Pontifices haec et illa usurpent, ad se rapiant etc. Si has veritates penitius scrutati fuerint, cessabunt a calumniis, non ultra sese iactabunt, si Papae auctoritatem deprimant, quae deprimi nequit nisi ab iis, qui ad laudes haereticorum et sceleratorum non amant erubescere. —

1043. *Eppus Boloniensis* (Boulogne): Verum est, quod eadem verba ‚Pasce oves meas — quidquid ligaveris super terram etc.‘ ad omnes Apostolos Christus dixerit; sed consequens non tollit antecedens, neque primus inde suum locum perdit; ipsa potestas universalis iam hanc subiicit particulari priori; nam promissiones Christi sine poenitudine sunt, et quod semel illimitate et generaliter datum est, irrevocabile est; et potestas,

quae pluribus data est ipso facto iam in distributione restrictionem habet, dum interim potestas, quae data est uni super omnes et sine exceptione, plenitudinem continet. *Neque emortua est cum Petro haec illimitata potestas;* nam quod Ecclesiae pro fulcro servire debet, finem habere non potest; hinc Patres Sedem Romanam ut principatum Sedis Apostolicae semper commendarunt, ut summum gradum sacerdotalis sedis, ut matrem Ecclesiarum, quae negotia particularium ecclesiarum in sua manu habet. His verbis audiuntur loqui Optatus, Augustinus, Cyprianus, Irenaeus, Prosper, Avitus, Theodoretus, C. Chalcedonense, et omnia reliqua Africae, Galliae, Graeciae, Asiae, Orientis, et Occidentis. —

1044. *Eppus Rhedonensis* (Rennes): Apostoli missi sunt libere praedicare in universum mundum, personalis eorum infallibilitas fuit, ne confusiones orirentur; quodsi vero et successoribus sine limitibus haec iurisdictio daretur, confusa fierent omnia, et quaedam anarchia, quae Dei opus esse nequit; hinc Paulus Tito non commisit, ut Eppos ordinet pro universo mundo, verum solummodo pro determinatis Ecclesiis. Cum CPnus Patriarcha universalis Eppi titulum affectaret, a communione Ecclesiae exclusus fuit. Conc. Antiochenum iam a. 341. can. 22. sanxit: Eppus in aliam civitatem, quae ei non subiicitur, ne ascendat, nec presbyterum constituat in locis alteri Eppo subiectis. — Apostolorum successores omnino sunt Eppi, verum solummodo secundum potestatem ordinis, et secundum determinatam iurisdictionem regendi aliquam Ecclesiam, quemadmodum sacerdotes vi ordinis ius quidem habent absolvendi poenitentes, verum solummodo in quantum eis ab altiore potestate conceditur. Hinc schismatica est opinio, si illis illimitata concedatur facultas, quae anarchiam in Ecclesiam induceret. Opinio haec reprobata est in C. Carthag. a. 397. in Sardicensi, Aurelianensi, Tridentino. *Solus* itaque *Petrus et successores iure divino omnibus Ecclesiis invigilat*, quisque Eppus suae, quod ius ei non ore Christi, sed vi legum Hierarchiae attributum est. — Qui defendunt, ante Decretales hanc — iurisdictionem universalem Pontificiam — non extitisse, ignorant 400 annis prius iam in C. Sardicensi praescriptam fuisse normam, qua Romam apelletur; imo iam S. Clemens Papa Eppis Corinthi scripsit, ut Marcion suam causam Romae legitimet. —

1045. *Eppus Ariensis* (Aire): Merito primus omnium — Petrus Ap. in C. Ierosol. — auctoritatem usurpat in proposito negotio, ut qui omnes haberet in manu, ad hunc enim Christus dixit: et tu aliquando confirma fratres tuos. — Nos decisionibus Ecclesiae magis quam quisque nostrorum subditorum subiecti sumus, nulla ratione extendere volumus nostram potestatem ad ea, quae cum doctrina connexa sunt, scimus eius esse eam disquirere. — Cum audis reddenda esse Caesari quae sunt Caesaris, illa solum dici non dubita, quae pietati et religioni nihil officiunt; nam quod fidei et virtuti obest, non Caesaris sed diaboli tributum est. —

1046. *Eppus Grassensis*: Ad perfectam potestatem exercendam *necessaria est apud Eppos dependentia a Papa:* hic debet in usu suorum iurium illaesus relinqui, neque quidquam eorum ab Eppis usurpari sub praetextu sua originaria iura restituendi. Nolite credere limitationes iurium Eppalium esse usurpationes Romanas; hic sermo est sermo erroris et ignorantiae; sunt opus Ecclesiae ipsius, itaque et Spiritus S. Soli hostes Ecclesiae illud improbare possunt; imo plures idgenus leges Ecclesiae factae sunt serius, ut vetustissimus usus et iura Apost. Sedis restabiliantur. Qui hanc doctrinam impugnant, contradicunt usui Ecclesiae, faciunt schisma ab ea Sede, quam passim apud S. Patres principatum Ap. Sedis, matrem Ecclesiarum, quae alias omnes dirigit etc. nominari audimus. — Qui arguunt Ecclesiam Gallicanam principiis novissimorum Canonistarum favere (de libertatibus Eccl. Gall.), propositionem falsam et Cleri Gallicani offensivam adstruunt: iam enim Gerson longe ante C. Florentinum Papatum ita a Christo institutum fuisse defendit, ut etiam primatum super totam Ecclesiam habeat. Idem sentit C. Basileense, et Bossuetus a. 1682. in Conventu Cleri Gallicani, in quo IV celebres propositiones conditae sunt, per quas se Galliae Ecclesia ab omnibus aliis distingvit. Metuebat nempe, ne hostes Ecclesiae universae aut minus illuminati Catholici existiment, per has vim inferri iuribus Sedis Apostolicae: hinc in praefatione defensionis art. IV ait: quae hactenus adducta sunt primatus honoris et iurisdictionis — documenta, ostendunt, *primatum hunc nullos habere limites alios, quam regulam seu canones Conciliorum et Patrum*, nihil igitur imperare potest, quod contra canones foret. —

1047. *AEppus Remensis:* Aliqui ex sententiis Cleri Gallicani (anni 1682.) inferunt, nos non admittere iurisdictionem plenariam Papae. Verum nos declaramus cum Patribus et Doctoribus Ecclesiae, *in rebus fidei, in universali disciplina, aut moribus omnem obedientiam Capiti Ecclesiae praestandam esse*, conformiter decisis in CC. Basileensi, Florentino, et ipso Ultraiectino. Quid respondet ‚Camus'? Dicit se posse grandem seriem doctissimorum auctorum recensere, qui secum sentiunt, sed eos solos velle nominare, qui provinciis disparatissimi sunt: ‚Van Espen Flandrum, Eybel Germanum, Pereiram Lusitanum, et Burigny Gallum.' Potuisset his accensere etiam Lutherum, Calvinum, de Dominis, et Febronium. — *Van Espen* hanc materiam ex professo numquam tractavit, et aliis locis iurisdictionem Papae defendit; *Eybelii* opus ‚Quid est Papa? de a. 1782' plane ab uno Protestante Berolinensi est refutatum et haec refutatio approbata est ab alio Protestante, quod idem et a Pio VI Papa damnatum est. Quod *Pereira* aeque et domi et Romae damnatus sit, et quod solum in gratiam summi despotae Ministri Oeiras, cuius cliens fuit, scripserit, notum est; et quid demum? queritur contra abusus potestatis, potestatem tamen non negat, defendit Concilium supra Papam esse; verum hoc reconciliari potest cum potestate Papae, dicit enim cum Gersone, Papam superiorem esse in Ecclesia, non autem superiorem Ecclesiae; nec tamen volumus probare omnia, quae in suo opere asserit. Restat *Burigny:* verum de hoc dicit Langle Eppus Boloniensis, quod vestem Petri plus aequo abbreviet. Cardinalis Noellius de eodem asseruit, quod contradicat Declarationi Cleri Gallicani de a. 1682, quod itaque sit inter eos theologos, qui sub obtentu Cleri Gallicani exorbitantes fiunt. —

1048. *Eppus* **Aquaeaugustanus** (Dax), postquam ex Bossueto sequentes Sedis Apostolicae characteres protulisset: ‚quod sit principatus Sedis Sacrae, mater Ecclesia, quae directionem omnium Ecclesiarum in manu habeat, caput Eppatus, idque testimonio omnium vetustorum Patrum, et ex verbis Conciliorum rector universae Ecclesiae,' subiungit: ‚idem sentire Clerum Gallicanum ex assertis a. 1655. ille catholicus non est, qui dubitare vellet, an Papa sit caput, pastor, doctor omnium fidelium, et an in certis casibus et secundum iuridicam regiminis formam omnium dioecesium et negotiorum eppalium provi-

sionem facere valeat. Conventus de a. 1682. qui eandem fidei professionem tum renovavit, cum plane libertates suas tuitus est, minime metuit easdem periculo exponi, quinimo persvasus fuit easdem numquam tutiori loco collocatas, quam cum Primatum iurisdictionis Papalis recognoscit.' — **Adámy** *sensa Cleri Gallicani occasione Revolutionis manifestata.* Posonii. 1804.

1049—1051.

AEppum Senonensem Cardinalem Lomenie, qui civicum emisit de constitutione civili Cleri, a Summo Pontifice reprobata, iuramentum, concernentia Acta. 1790. 1791.

1049. MON. *Epistola Cardinalis AEppi ad Papam. 1790.* Perfunctus mea votorum pro Sanctitate Vestra testificatione, meisque reverentiae, pietatis et obsequii sensibus, id praeterea quam maxime officii mei puto, causas ei reddere agendi rationis, quam per haec acerbissima Ecclesiae Gallicanae tempora et ingredi iam sum coactus, et persequi me oportebit. Et quidem si non Eppus sit, qui coram Supremo Ecclesiae Duce vitae suae viam in iis rerum adiunctis declarare non debeat libens: quanto ille magis adstringitur, quem Sacro Collegio adscivit Vestra Benignitas, quique hoc illustrissimo vinculo Romanae Sedi, Successori D. Petri ac Beatitudini Vestrae singillatim devinctissimum se esse profitetur? Quodsi protrahere fas fuisset, Sanctissime Pater, quidquid apud nos actu opus est, usquedum a S. Sede responsum esset: id sane beatissimum duxissem. Sed quam isto loco res non sese habent! Nam promulgatis de futura Cleri conditione Gallicorum comitiorum decretis, urgemur acerrime. Dum quidem haec scribimus, iam sunt Cathedralis Ecclesiae Senonensis occlusae fores, iam Canonici vi publica eliminati, iam ut in eorum locum cultui imo et novae, qualis creata est, dioecesi providerem, imperatum est. Nil celari oporteat Sanctitatem Vestram: Conventus hic Nationalis ad exitum perduci decreta sua, quaecunque accidant, omnino volet, et nihil, opinor, intentatum relinquet. Accedit eo, quod in nostra prae-

cipue septemtrionalis plaga non modo iam populus in obsequium propendeat, sed etiam parochorum magna pars his novis rebus sit inservitura non illibenter. Quid aget interea Eppus? num gregem deserat? num relinquat plane Sedem? num vero ad Sanctitatem Vestram quasi ad portum apertissimum atque gratissimum fugiet Eppus Cardinalis? Sed qui periculi pavidus deserat locum et dimittat oves, quid iudice Christo nisi mercenarius est? Verum autem servando locum negabitne sibi implenda esse decreta omnia haec? Sed hoc modo Sanctitatis Vestrae sententiam antecurret, et flectere ad illam quando erit opus praecipitem forte non poterit; sed ex iis decretis aliqua sunt, quae ab ecclesiastica ratione non abhorrent; sed repugnando penitus a ministerio suo sic exturbari posset, ut gregi deessent quae maxime necessaria sunt. Standum est igitur ac difficillimo huic tempori caute serviendum, atque curandum est, ne molliori facilitate aliquid detrimenti capiat res catholica; sic etiam metuit quisque sapit, ne spreta certa quadam moderationis, ut ita dicam, oeconomia, maior in clerum calamitas derivetur. Illa vero oeconomia qualis sit paucis exponam, non disserendo generatim, sed explicando quod agam, maxime instantium decretorum exemplis. Quid primum ii satagunt, quibus urgendorum decretorum cura concredita est? Capitula nempe tollunt. Svadebit facile sibi Vestra Sanctitas, quanto moerore sim affectus, hanc intueri Senonum Ecclesiam, paribus fere cum ipsa fide rugis venerabilem, Galliarum primariam olim, summis pluribus sanctisque AEppis commendandam, Galliorum opinione celeberrimam, nunc vero metropolitano iure spoliatam, orbatam insigni Capitulo, quasi prostratam ac dedecoratam; finget animo sibi Vestra Sanctitas, quam cruciatus sim, cum sinu meo exceperim quasi ultimum spirantes tot venerabiles optimosque viros canonicos exterminatos suis sedibus, mecum in mea domo collacrimantes. Fateor id fuisse mihi solatii, quod abire iussi apertissime professi sint sese in Cathedrali domo semper pro more sacris esse vacaturos, nisi absistere summa vi cogerentur. Plane autem, Beatissime Pater, coacti sunt occlusis, ut dixi, foribus. Quid erat igitur, quod opponi posset? Si qualis erat apud proavos, religio staret adhuc atque floreret, sperari posset has aedes, quae modo divina prece in dies personabant, vacuas nunc et mutas, populis moestitiae, poenitentiae, unoque verbo melioris animi fore

causam. At quantum in peius mutatae rerum vices! Nam intermisso in Ecclesia matre publico cultu, timendum hodie nihil esset magis, quam ne populus huic malo assvesceret, fidemque paulo post ipsam non tanti haberet. Adiungamus etiam et decretum illud Nationalis Conventus: ‚Si quis Eppus ablato Capitulo vicarios in Capituli locum nolit assumere, parochos urbis Cathedralem esse pleno iure ingressuros.' Sic esset Ecclesia ipsa Cathedralis invito Eppo conflata, et ad Eppale consilium tamen constituta. Quamobrem rogatus a Magistratu in cathedrali templo restituere divinas preces, hoc responso usus sum, quod et ausim hic infra subnectere. *) Sic autem inutiles plenasque periculi vitabo turbas, et dum tuenda potior ac verior potestatis eppalis pars adhuc superest, cavebo ne de integro pereat. At vero plus exhibere videtur negotii pars ea decretorum, quae pertinet ad circumscribendas dioeceses. Non anteire sane nec praetentare velim Sanctitatis Vestrae sententiam, scilicet utrum ad novas divisiones illas consvetis Ecclesiae modis utendum esse praeceptura sit, utrum quod actum est pro rato sit habitura, idque saltem donec ecclesiastico usu perfici haec omnia deinde possint. Quamdiu non erit Sanctitatis Vestrae perspecta mens, non audebo quid sentiam ipse dicere non rogatus. Dicam solummodo quod ad me spectat. Nimirum, id mihi non est consilii, curam eppalem in eas paroecias distendere, quae vicinis e dioecesibus in meam decretis translatae sunt, quamdiu scilicet proprii harum Eppi ministerio incumbent. Verum si absentes aut vi aut sponte sua non eas ministerii partes impleant quae Epporum sunt, quibusque idcirco viduae dioeceses illae indigebunt, iam tum arbitrabor non modo licere sed etiam oportere illorum a me suppleri vices. Sic enim existimo, quod et antiquis persvasum erat et clero Gallico anno quidem 1765, quandocunque redit necessitas ac dominatur, redire illam quoque generalem Epporum legatio-

*) Messieurs, je partage la douleur que le chapitre a éprouvée en recevant l' ordre que vous m' annoncez lui avoir intimé. Mais, puisque cet ordre ne peut être ni révoque ni suspendu, puisque le chapitre est contraint de cesser ses fonctions, et puisqu il ne m' est pas permis de l' y rappeler, j' aurai soin que le service divin ne soit pas interrompu dans l' eglise cathedrale. La necessite m' impose la loi de m' ecarter des regles ordinaires; et je regarderai toujours comme le premier de mes devoirs l' obligation de pourvoir dans tous les temps a la celebration des saint offices, a l' enseignement de la foi, et a l' administration des sacrements.

nem, quae talis primum a Christo data, deinceps ordine semel constituto certis quibusdam finibus ab Ecclesia contenta est atque restricta. Sed apud infideles, sed aestuante vexatione aliqua iam a quovis Eppo quivis fidelis poscere opem et sperare certe debet, iam vicinioris praesertim Eppi est fovere derelictum gregem. Atque hac nostra tempestate, hac luctuosa Ecclesiae Gallicae conditione id officium negligi posse non crediderim, quin Evangelii perduelles in religionem insultent audacius, quin concutiatur piorum fides, quin catholicum dogma (nam periculum, quantumcunque est, dolens indigitabo) in schisma fortasse ac presbyteranismum feratur praeceps. Ex iis autem fit consequens, non repugnaturum me fore, ut alteri communicem quidquid mei iuris est in eas dioeceseos meae partes, quae decretis recisae sunt atque alteri datae. Nam etsi denegare vellem, concurreret populus per sese ad dioecesim novam ut decretis obsequeretur, concurrerent dubio procul et parochi plures. Sive autem oves meas illas alter Eppus me invito suas tamen putaret esse, sive ut adhuc non suas repelleret, quantum inde turbarum esset, credo dubitare neminem. Silere possim demtam Eppis electionem parochorum, et laicis viris arrogatam. Electi enim missionem semper ab Eppo petent, atque an idonei nunc sint, eppale semper iudicium erit : adsummum ut patronatus laici electiones eae haberi possint. Cumque nullo pastorali munere functuri sint, quin id omne ab eppali missione defluxerit, servabitur, quantum erit situm in nobis, ordinis catholici caput et fons. Praetermiserim etiam magis, quae nostrum cum S. Sede vinculum attinent. Nam quae mea praesens conditio est, nihil, ut quidem apparet, occurret negotii, quod cum Romana Sede pertractari a me contingat. Ac deinde vero quisquis tandem rerum erit exitus, profecto ita de me sentit Vestra Sanctitas, nulla me unquam ratione, nullo metu ab meo erga Seipsam fidissimo amore divellendum. Haud alia mens mea erat, quam ut ponerem ob oculos, quid decretorum vi flagitari iam nunc a me posset, quidve agere me per adiuncta rerum vel liberum vel contra necessum esset. Verum enimvero quaecunque nos circumsiliant mala, ea nobis, ut mihi videtur, cura prudentiaque esse debet, ut festinatione praecipiti non propellamus, quae nos gratiora fortasse manent tempora, ut inprimis nihil ministerii desit, nihil deteratur fidei sacrae, nihil hoc in imperium permanare possit, quod christia-

nissimi Galli a sua constantissima in Romanam Sedem pietate detorqueantur. Haec fere omnia sunt, Beatissime Pater, quibus pro mea qualicunque tractandarum istiusmodi rerum consvetudine rego me atque regam has inter angustias, nisi supremum lumen summaque Sanctitatis Vestrae auctoritas ab hac via me in alteram dimoveant. — Stephanus Carolus Card. de Loménie.

1050. *Responsum Summi Pontificis. 1791.* Priores literae a Te datae 7 Cal. Dec. ad nos eo pervenerunt tempore, quo revolvebamus *complurium Galliae Epporum sensus expositos super decreto Conventus Nationalis Clerum attingente.* Ipsi siquidem in unum coacti ad numerum usque triginta *ad Sanctam hanc Sedem confugerant,* quod abs te quoque factum fuit, *tamquam ad Magistram, ut per ipsam instruerentur, quid sibi facto opus esset adversus tot ac tanta civilis potestatis molimina. Neminem enim fugere poterat, per illud decretum hactenus inter catholicos prorsus inauditum mancipari et in servitutem redigi eam, quae domina semper in isto regno fuit, catholicam religionem, unaque opera exspoliari Ecclesiam suis bonis, ministris, et iuribus, quae magis sacra atque intemerata putanda sunt.* Vix tuas istas literas legimus, non potuimus equidem statim non intelligere, planeque cognoscere, quantum sententia tua a pura ac recta tum nostra tum collegarum tuorum sententia dissideret. Nostram autem augebat suspicionem rumor quidam, qui ad nos perferebat, non parum adhaerescere te novatoribus, eorumque consilia fovere. Hinc duplici ex causa distulimus tibi rescribere: tum quia eadem illa responsio, quam ad Eppos assiduo quidem studio tunc parabamus, tibi quoque poterat esse communis; tum quia nolebamus sane tuam agendi rationem coarguere, teque de aliqua culpa postulare, antequam nobis quod de te vulgabatur certis probationibus constitisset. Cum iam in exitu erat responsio nostra ad Eppos, quae tuis etiam petitionibus erat accomodata, et cum res a te recenter gestae ad nos perferebantur, venerunt praeter omnem expectationem alterae literae tuae datae pridie Cal. Febr. quibus praeteferens, parvi aestimari a te contrariam maioris partis Gallicanorum Epporum opinionem, et quoddam praetexens excogitatae necessitatis imperium, haec nobis significabas: „novum presbyterium in ecclesia cathedrali decrevisse te constituere, partibus iis etiam, quae recenter in dioecesim transie-

runt tuam, prout necessitas erat, per te provisum fuisse, sacramentum dixisse a Nationali Conventu propositum. Sacramentum huiusmodi, cuius ad nos misisti exemplum, non pro assensu animi habendum esse, nec illud ad omnia decreta pertinere, sed esse coërcitum ad dioecesis tuae curam, per te autem, dum decreta nationis exequeris auctoritate tua, in iis perpurgari, quidquid illegitimi esse possit invectum. His omnibus addis denique, negasse te quidem hactenus institutionem dare parocho de Gomecourt in novum Eppum Versaliensem electo, sed metuere te, ne parochus iste iterum atque iterum idem postulet, eademque alii etiam flagitent, ita ut nil reliquum tibi sit quod agas, nisi ut aut annuas tandem, aut sedem relinquas, dumque haec affirmas, satis aperte ostendis, te primam potius partem amplecti, haec enim mox verba subiungis: vereor id ultimum, quia, ni fallor, redundarent aliqua in sacram ipsam purpuram, et quia quanta impenderent mala dioecesi meae, perspicio evidenter.“ Satis equidem verbis explicare non possumus, quanto animi nostri moerore haec a te proferri et scribi intelleximus, quae maxime virum dedecent archieppali dignitate et cardinalatus honore fulgentem. Ast non est huius loci nec temporis te convincere eorum, in quos es prolapsus, errorum: *dicimus tamen obiter, quod non maius dedecus purpurae inferre potuisti, quam emittendo civicum sacramentum; ipsumque exequendo, sive dum antiquum venerabile capitulum ecclesiae tuae abrogas, sive dum alienis dioecesibus manus iniicis, tibi per civilem potestatem minus rite attributis, nequit id in detestabile facinus non incurrere.* Perlegas, oportet, canonem IV S. C. Lugdunensis, quo statutum fuit, ‚quod absente ex necessitate Eppo nemo audeat in eius abire locum, nec sacrificiorum aut ordinationum mysteria celebrare; quodsi in hac temeritate vel audacia quisque proruperit, non solum in concilio redarguendum, verum etiam communione fratrum futurum noverit alienum.‘ Sed, quod a recta sentiendi ratione abhorret, illud est, dum contendis, quod actus a te illegitime gesti apti sint ad purgandam nationalis decreti vim. Denique dum iureiurando te obstrinxisti contra sanctiora ac solemniora sacramenta, quibus devinctum te antea teneri non immemor esse debes, iam pollicitus es omnia complere, quae in eo continentur; continetur autem congeries ac succus plurimarum haeresum; sed erronee

nimis et inverecunde declinas lapsum tuum, quod nempe solum exterius iuraveris, seiuncta interiori animi consensione, quemadmodum commentus est quidam philosophus, qui inventum huiusmodi excogitavit; indignum profecto quod ullus amplectatur, tamquam a iurandi sanctitate alienum, et a naturali ipsa abhorrens honestate; nam quoties assertio haec producta fuit, toties eam Ecclesia proscripsit atque damnavit. Quae ad Galliae Eppos propediem mittetur responsio, ea palam faciet tuorum errorum pravitatem, ac simul poenas indigitabit, quae per canones infliguntur, et ad quas non sine animi nostri aegrutidine manus admovere coacti erimus, te Cardinalitia etiam dignitate exuentes, nisi publicam offensionem tempestiva ac digna satisfactione retractaveris. Nos interim, quos vehementer paterna cura sollicitat, ne tu errores erroribus cumules, et ne silentium nostrum loco approbationis accipias, has tibi nulla interiecta mora literas mittimus, te etiam atque etiam in Domino hortantes, ut statim ab incoepto desistas; *tibique praesertim praecipimus, ne eousque progrediaris, ut novos Eppos ob quamvis etiam causam necessitatis instituas, novosque Ecclesiae refractarios adiungas; de iure enim agitur, quod unice spectat ad Apostolicam Sedem iuxta Tridentini Concilii sanctiones, quodque arrogari sibi a nemine potest Epporum; aut Metropolitanorum, quin nos illo, quo fungimur, apostolici officii munere declarare cogamur, schismaticos esse simul tam eos, qui confirmant, quam eos qui confirmantur*, nulliusque roboris futuros illos actus omnes, ab utroque prodituros, veluti alias iam declaravimus nostris literis ad cariss. in Chr. fil. nostrum Ludovicum Gall. Regem Christ. et ad AEppos Burdegalensem ac Viennensem datis 7 et 6 id. Iulii proxime praeteriti anni, et veluti latius responsio ad Eppos nostra quantocius proditura explicabit. Si tu ipse novum instituere Eppum impune detrectasti, si idem tot alii collegae tui praestiterunt, si praesertim Eppus Rhedonensis non solum recusavit novum Eppum Corisopitensem instituere, sed etiam docta gravique oratione demonstrare suscepit, novitatem huiusmodi a veteri disciplina abhorrere, quae ante Concordata vigebat; si praeterea omnes fere Eppi abstinendum sibi esse putarunt magna animi constantia cum a iureiurando praestando, tum a nova Constitutione exequenda in iis partibus, quae ad auctoritatem ecclesiasticam pertinent: liquido patet longe eam

necessitatem abesse, quae nunc tibi videtur imminere, et quae etiamsi maxime adesset, liberare neminem posset ab iis munerum vinculis, quibus quisque erga Deum et erga Ecclesiam obstringitur; imo deberent animi in huiusmodi praestando officio maiori constantia retineri, seque promtos ac paratos exhibere sive ad subeundam exilii poenam, sive ad alias huius seculi aerumnas perferendas. Quis enim non videat, Constitutionem nationalem, dum libertatem relinquit homini ea quae velit cogitandi et scribendi de rebus ad religionem spectantibus, praefracte cum religione ipsa pugnare, dum vero tot alias novitates inducit, funditus evertere auctoritatem Ecclesiae, eiusque fere omnia iura pessumdare? Tuum erat hisce resistere erroribus, sequique exemplum collegarum tuorum; nam veritas, quae non defenditur, opprimitur, et erranti consentit, qui ad resecanda quae corrigi debent non occurrit; et ipse S. Felix 3. docet, quod negligens deturbare perversos nihil agit aliud quam eos fovere, nec caret suspicione societatis occultae, qui evidenter facinori desinit obviare. Quae cum ita sint, tantum abest, ut haec temporum conditio referri possit ad eum Augustini, quo tu uteris, locum, ut is contra referendus sit ad eam aetatem, quae tot Ecclesiae Eppos et Pontifices protulit animo comparatos ad quaecunque mala potius subeunda ac toleranda, quam quidquam sive de suo iure cederent, sive Dei Ecclesiaeque causam desererent, et quemadmodum collegae tui bene multi ad religionis decus amplificandum non verbis modo testati sunt luculentissimis, sed vulgatis etiam egregiis monumentis declararunt, dignis sane quae aeterna memoria recolantur. Speramus nos quidem fore, ut tu nostris hisce monitis ad debitam docilitatem tuum referas animum, non solum a quacunque alia novitate longissime te removens, sed muneri tuo, cui hactenus defuisti, plane satisfaciens, utque aliis Eppis in unum consentientibus adiunctus *huic adhaereas Apost. Sedi, in qua magisterium est veritatis, et centrum unitatis.* Hac enim ratione fiet, ut schismatis atque erroris quaecunque evitetur ac tollatur occasio. Denique sic habeto: si Rex religiosissimi animi Princeps, si parochi, si inclyta natio universa unam *veritatis vocem* exaudient, *quae a nobis tamquam a communi omnium parente prodibit, quamque Eppi suo Capiti coniuncti ac devincti defendent*, ad confidendum plane inducimur, illud successurum, ut divina ope accedente,

quam non intermissis precibus flagitamus, omnes se ab erroribus vindicent, qui per insidias ignaris obtruduntur, omnesque adversariorum deprehendantur ac in irritum revolvantur molitiones. Ii enim dum religionis reformationem praetexunt, nihil aliud agunt, quam ut catholicae religionis, quam patres vestri coluerunt, fundamenta subvertant, regiamque aboleant potestatem. Quod iam superest, te maiorem in modum iterum atque iterum hortantes rogamus atque obtestamur, ut a recta nusquam defletens via sacris Catholicae Ecclesiae regulis constanter insistas, maximeque eppali pectore, prout debes, contendas, quantum in te est, ut omnis obstruatur novitati, schismati, atque errori aditus, utque hoc periculosissimo tempore duci te unice regique sinas a divino consilii, fortitudinis, fidei ac constantiae spiritu. Ac demum ut maiora animo tuo incitamenta adiungamus, apost. bened. tibi dil. fili noster, gregique tuae curae, vigilantiae, fidei concredito peramanter impertimur. Datum Romae die 23. Febr. 1791.

1051. *Allocutio ad Cardinales de dimissione Card. AEppi Senonensis, 1791.* Vobis, qui in nostrae apostolicae sollicitudinis partem vocati estis, ven. fratres, plane perspectum exploratumque est, qua nos mansuetudine, qua caritate usi cum iis simus, qui *civilem Gallicani Cleri Constitutionem* aut primum excogitarunt, aut deinceps secuti sunt, inter quos non sine immenso animi nostri dolore recensetur dil. fil. noster *Stephanus Carolus Cardinalis de Loménie de Brienne.* De ipso multa quidem dicta esse et nos recordamur, et vos meminisse potestis, tam cum prospera quam cum adversa fortuna uteretur. Christianissimi Regis gratia praesidioque nixus facile conscendere potuit evehique ad sublimiores Ecclesiae dignitates. Per Regias enim nominationes primum Ecclesiam Condomiensem in Aquitania obtinuit; metropolitanam deinde Tolosae in Occitania consecutus est, ac postremo translatus ad AEppalem Ecclesiam Senonensem in provincia Campaniae. Quos quidem alios aliis potiores dignitatum gradus cui potissimum referre debuit acceptos, quam Sanctae huic Sedi, quae et regias probarat nominationes, et semel, iterum, ac tertio per apostolicas literas canonicam eidem largita erat missionem? Revera quidem ille ad singulas quasque vices explebat partes suas in praestando obedientiae ac fidelitatis erga Ecclesiam et apost. Sedem sacramento, suorum-

que memor erga Deum officiorum, quae susceptis erant coniuncta dignitatibus, inter praeclariores numerabatur illius regni Eppos, cum plurimo incenderetur studio religionis ecclesiaeque ab iis defendendae erroribus, quos tum multa cum laude improbabat, nunc vero contra et fovet, et miserum in modum sectatur ac profitetur. *(Enarratis pluribus vitae Lomenii momentis, et dignitatis quoque Cardinalitiae collatione, sic prosequitur Pius VI:)* — Vix Cardinalis exul atque extorris a solo patrio inchoatam crescentemque vidit Gallicani Conventus opera illam rerum conversionem, quam nobiscum ignorabant omnes per eum ipsum ministerii sui tempore designatam et paratam fuisse, nulla mora interposita se contulit ad Ecclesiam suam cathedralem Senonensem, ibique mense Martio anni 1790. veritus minime est sermonem coram omnibus habere et novam rerum immutationem plurima laude cumulare eousque, ut eidem condendae se aliis incitamento fuisse gloriatus sit, violatis uno eodemque tempore atque pessumdatis sacramentis fidelitatis, pluries per eum praestitis Ecclesiae et Ap. Sedi, ac etiam Regi erga ipsum beneficentissimo. Haud ita certe locutus est, cum die 25 Nov. 1790 tamquam AEppus et Cardinalis alias suas ad nos daret literas, quibus hoc vinculo Romanae Sedi, successori D. Petri, ac nobis singillatim devinctissimum se esse, ficte certe ac subdole, profitebatur. Praeterito enim per silentium sermone abs se habito post reditum ad suam ecclesiam non dissimulavit ‚per civilem cleri constitutionem ad schisma et ad presbyterianismum aditum patefieri.' Transgressus subinde est ad graphice describenda ‚haec acerbissima Ecclesiae Gallicanae tempora, declarans aperte patrum religionem a regno exulare' —, nec est veritus eorum, qui in Galliis degunt, conditionem cum illorum conditione comparare, qui apud infideles commorantur. *(Relato ulteriore tenore literarum Lomenii,* quas superius exhibuimus, *prosequitur Pontifex:)* — Erravit ergo deliberato animo Lomenius serviendo tempori, schismatique favendo, quod verbis evitare se velle effingebat. Noverat irritas esse novorum eppatuum erectiones, impias Epporum a suis sedibus expulsiones ob solam recusationem emittendi civicum iusiurandum, sacrilegas novorum Epporum consecrationes, sibique gloriandum esse videbatur ob reiectam institutionem parochi de Gomecourt electi eppi Versaliensis. Sed adhuc se dubium incertumque esse declaravit, si acrius urgere-

tur pro impetranda institutione, non obscure significans, se, ne sacram purpuram iniuriis obiiceret, tandem aliquando cessurum, etiamsi fateri coactus fuerit, sententiam suam a multis mollioris animi reputari. Dici vix potest, quanta Lomenius hoc exemplo intulerit damna dioecesi suae, ut constat ex literis procuratoris communitatis Senonensis, quibus ita certior fit Praeses Conventus Gallicani: haud latere te omnino debere puto, Dominica die Cardinalem Eppum Senonensem sacramentum dixisse a lege perscriptum, et in hac civitate esse omnino neminem, qui novae adversetur Constitutioni.' Exemplo voces adiunxit mollissimi animi sensus praeferentes: nam adveniente quadragesimali tempore pastoralem vulgavit epistolam, qua commentitiam quamdam caritatem praeseferens excusare conatus est praestitum a se iusiurandum, — eoque etiam devenit, ut populos hortaretur ad amplectendam exequendamque Constitutionem, quae pro fundamento habebat libertatem cogitandi in rebus etiam religiosis, aliosque continebat perniciosos errores socialis contractus, quos ipse Cardinalis ac Clerus fuerat execratus. Tot tantasque pravitatum eius accessiones cum conspiceremus, planeque existimaremus peccatum publicum esse publice a nobis corripiendum iuxta apostoli praeceptum, ut et pastor qui peccavit, et grex qui in errorem inductus est, revocaretur in viam, nulla interiecta mora non omisimus nostras perscribere et evulgare literas. — *(Eas superius exhibuimus.)* — Sed haec omnia exitu, quem spectabamus, plane caruerunt. Nam Lomenius obfirmato quo erat animo suos non iam detestandi sed propugnandi errores, suscipere non aliud consilium voluit, quam *ipsum ultro Cardinalatum dimittendi* eo plane modo, quo antea primarii ministri munus abiecerat, cum se ipse nimirum in eum coniecisset statum, ut illo amplius se fungi non posse cognosceret. Hinc per epistolam die 26 mensis Martii ad nos ex urbe Senonensi datam plenam commentis et simulationibus, clare tamen expresseque dimittit ac renunciat nobis cardinalitiam dignitatem. Ac eo se redactum fuisse scripsit, ut vel civili potestati deesse deberet, vel Cardinalatum deponere: quo ipso, quantum in se est, plurimam non dubitavit conflare invidiam illi iuriiurando, quo Cardinales S. R. E. obstringuntur. At non iam hic agebatur de expositis ab ipso confictisque dubitationis causis, sed quaenam praeferenda ipsi esset, Deine an hominum auctoritas, religione an apostasia? tamquam

e Collegio vestro egressus minus apostata ac refractarius esset, qui contemtis Dei et Ecclesiae legibus sequi non expavescit ac fovere Constitutionis errores. Notum vero est, sacramentum a Cardinalibus praestari solitum esse sacramento simillimum, quod ab omnibus praestatur Catholici orbis Eppis, quodque adigens iurantem ad fidem sancte religioseque servandam Ecclesiae et Apost. Sedi et ad religionem tuendam, eum insimul patriae et legitimae imperantium auctoritati fideliorem reddit, cum nullum religione sit firmius patriae et imperiorum columen ac fundamentum. Simulavit etiam se iniuria affectum esse, eo nimirum quod ex canonum instituto de publico errore publice fuisset admonitus, et eo, quod reprehensus esset ob iusiurandum, non animo, ut ait, sed voce tantummodo praestitum, quod tamen iusiurandum iis emissum est ab ipso tamque claris manifestisque verbis, quae interpretatione nulla indigerent. Simulavit quoque distinctionem inter obedientiam et approbationem, perinde ac si sacramento promisisset obedientiam, non autem approbationem praestitisset. Qua distinctione nil excogitari potest deterius; etenim ubi de religione agitur, in iis, quae probari non possunt, obedire non licet, quoniam oportet obedire magis Deo quam hominibus; nec satis est corde solum credere ad iustitiam, sed opus est, ut etiam ore confessio fiat ad salutem. Simulavit insuper nihil se in Constitutione universa deprehendere, quod fidei adversaretur, quodque cum sua conscientia pugnaret, idque ea praesertim de causa effinxit, ut contradictionem evitaret inter iurisdictionis ecclesiasticae principia ab se exposita in pluribus Conventibus Cleri Gallicani, et decreta Constitutionis suo iureiurando recepta. Sed qua ratione id simulare potuerit, nemo intelliget, postquam idem Lomenius in literis ad nos scriptis post eius defectionem fassus dilucide est, ex Constitutione schisma atque presbyterianismum induci, eiusque auctores esse Evangelii perduelles. Perlegat ipse nostras literas missas ad Galliae Eppos, et singulos deteget decretorum errores tam in fide quam in recepta ab universali Ecclesia disciplina. Simulavit denique dilationem nostrae responsionis ad suas priores literas in causa fuisse, cur ipse et sacramentum praestiterit, et plura decreta fuerit executus: quando idem Lomenius in suis prioribus literis nobis significaverat, se responsionem nostram nequaquam expectaturum. — Vix per-

venit ad nos epistola Lomenii de sua Cardinalatus abdicatione, potuissemus quidem sine ulla mora illam approbatione nostra roborare; sed a mansvetudinis semita adhuc non recedere rati sumus ut ad illum denuo cohortatio nostra pervenire posset, per quam ad saniores induceretur sensus, in iis scilicet literis, quas paulo post dedimus dil. fil. nostris S. R. E. Cardinalibus et ven. fr. AEppis et Eppis, ac dil. fil. Capitulis, Clero et populo Galliarum regni. At nunc iam elapsis mensibus sex non solum nullum tanto temporis intervallo a Lomenio accepimus indicium poenitentiae de Cardinalatus abdicatione, sed etiam per arrogantiam et contemtum comminatae privationis illum in proposito perstare luculenter intelligimus. Itaque cum ambigendi non sit locus de perseverante Lomenii voluntate in Cardinalatus dimissione, adeo perspicuis confirmata probationibus, ut omnibus sit clarior certiorque renunciationibus, quas adhuc ratas habuit haec Apost. Sedes, et probationes vincat a iure requisitas, diutius nobis expectandum non esse censuimus, ut abdicationem huiusmodi in hoc nostro consistorio admitteremus. Nova non sunt in ecclesiastica historia illorum exempla, qui dignitates suas dimiserunt, ut probrosam et inevitabilem damnationem praevenirent; imo ex sententia SS. Patrum, Conciliorum et Pontificum id in spiritu humilitatis et cum detestatione erroris erat faciendum, ut nempe iuxta monitum D. Chrysostomi quis antevertat sententiam dimissis honoribus et omnibus iurisdictionalibus officiis, cruentaeque conscientiae suae medelam afferat, et in humiliori statu salvetur, quam in alio splendenti periclitetur. Verum hic etiam considerandum est, quod Lomenius Cardinalatu dimisso AEppatum retinuit, et in ipsa Cardinalatus dimissione errorem non eiuravit; hinc si cum laude recipiuntur renunciationes omnium eccles. dignitatum ex spiritu poenitentiae atque humili animi impulsu emissae, *haec Lomenii renunciatio*, quae non omnes complectitur dignitates, quaeque a debita erroris detestatione et humilitatis spiritu longe recedit, *accipiatur*, *oportet*, *loco poenae privationisque dignitatis Cardinalitiae*, quam ei iam indixeramus, *nec minus salva sit suspensio ab exercitio ordinis, in quam certe incidit, cum monitus ipse, ut intra terminum 40 dierum civicum sacramentum retractaret, huic minime paruerit pontificio praecepto*, salvaeque etiam sint aliae canonicae poenae, quibus vel iam factus est vel futurus erit obnoxius, si suscepto

errori praevaricationis adhaeserit. Antequam vero quidquam statuamus, sententias vestras de more exposcimus. Quid vobis videtur? Auctoritate Omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac nostra *admittimus cessionem et abdicationem Cardinalatus a Carolo Stephano de Lomenie de Brienne in manibus nostris factam, postquam declaraveramus eum dignitate huiusmodi privatum iri, nisi civicum sacramentum retractasset*, una cum omnibus privilegiis etc. — Illum proinde ab hac die in posterum absolvimus a vinculo sacramenti praestiti occasione Cardinalatus, *salvis poenis*, quibus se subiecit secundum canones et constitutiones apostolicas ex quacunque causa et praesertim *ob transgressiones circa dicti iuramenti observantiam hactenus commissas, et salva poena suspensionis ab exercitio ordinis* ab eo pariter incursa ob non impletum praeceptum de praefato civico sacramento revocando intra 40 dies, ad formam nostrarum literarum diei 13 elapsi mensis Aprilis, et salvis aliis omnibus gravioribus poenis canonicis declarandis in casu ulterioris pertinaciae. — **Theiner** *Documents inedits relatifs aux Affaires religieuses de la France 1790 a 1800. Extraits des Archives Secretes du Vatican.* Paris. 1857. I. 28. 105. 300.

1052.

Pius VI PP. ad Rectorem de Pontivyi, qui per Conventum Nationalem in Eppum Venetensem designatus fuit, A. 1791.

MON. Haud moramur statim tuis rescribere literis die 12 huius mensis ad nos datis, tuaeque illico petitioni nostrum responsum dare, quod tanto animi studio expectare praetefers ab hac *Apost. Sede, a qua omnis legitima missio ecclesiastica dimanat.* Petis itaque a nobis significari tibi, quid te facere oporteat, si cives tui moleste ferentes nolle *Venetensi* Ecclesiae Eppum praefici, te etiam atque etiam urgeant, ut quem hactenus merito denegasti, tuum electioni praestes assensum. Responsio sane in promtu est. Quae enim canonicae causae tanta cum laude animum tuum induxerunt, ut honorem ultro oblatum sponte re-

cusares, eae satis superque sunt, ut tibi persvadeant, recedere te a proposito non debere, nec aliorum studio, nec iteratis contentionibus, nec ipsis quae tibi inferri fortasse possent vexationibus. Ubi enim hae quoque superaccederent, tanto maiori te gloria cumularent; nam catholico homini et ecclesiastico, praesertim parocho, nihil esse debet praeclarius, quam ut propter Dei causam adversas res toleret et sustineat. Te sane perspicue declaras numquam eo adductum iri, ut viventis adhuc Eppi locum sedemque audeas occupare, quem tu merito veneraris obsequio, quemque suo se munere minime abdicasse plane cognoscis ac fateris, *quidquid adversus canones et contra ius omne irrita et schismatica Nationalis Conventus decreta praecipiant.* Et re quidem vera nihil maiore canones horrore detestantur, nihil severioribus poenis vetant, quam ut Ecclesiae, quae suo gaudet Pastore, novus pastor praeficiatur, et ut quis huiusmet ecclesiae titulo consecretur ipsamque occupet; haec enim nonnisi sacrilege fieri certum est, et a schismate seiungi non possunt. Hinc apostolici muneris nostri partes esse arbitramur, non te hortari modo sed etiam serio monere, ut in proposito perstes, utque a nullo Epporum tibi manus imponi sinas; id enim sine horribili sacrilegii crimine nec peti nec praestari potest a quoquam metropolitano aut episcopo, nisi suo pastore rite careat ecclesia, nisi electio canonica, quae tibi omnino deest, antecedat, et nisi nostrum mandatum apostolicum adsit, ex quo canonica missio proficiscitur; haec stant ita, ut ubi aliter ordinatio fit, praeter sacrilegium, quo qui ordinatur inficitur, omnis ab eo absit potestas et iurisdictio, et quicunque ab eo perficiuntur actus, irriti sint nulliusque valoris. Hic porro defectus, qui ex ipsa rei natura se prodit, adimi profecto non posset, aut minui, si quis ecclesiam regendam atque administrandam acciperet ea mente ac voluntate, ut eandem legitimo pastori redderet statim, ac praesens decretorum auferretur obstaculum. Nil enim valet voluntas, quae ipso invasionis actu destruitur, *nec ullo modo leges a laica illegitima potestate profectae possunt Ecclesiae legibus anteferri, ad quam unice pertinet sublimiorum eccles. munerum divisio ac distributio.* Sua est Pastori per vim et iniuriam a propria sede deiecto integra iurisdictio, suumque ille sibi vindicat ius regendi pascendique gregis, quoad eius fieri potest. Ex quo fit, ut permittere nequeamus, ordinari quemquam in aliqua ec-

clesia, cui suus sit pastor, ne nomine quidem coadiutoris, eo vel magis, quod non solet Apost. Sedes huiusmodi coadiutorias concedere, nisi iusta accedente causa, quam canones probent, qualis esse nequit violenta omnium sacrorum iurium subversio, et nisi coadiuti etiam consensus accedat, qui plerumque peti solet atque expectari. Nil ergo tibi aliud est reliqui, nisi ut cuicunque obsistas conatui, utque praeterea omnes ingenii, eloquentiae, industriaeque tuae nervos contendas in civibus tuis commonendis hortandisque, ne unquam pastorem suum legitimum derelinquant, neque ullum alium suscipiant, qui isthuc auderet irruere. Te denique haec a nobis postulasse declaras, ut schisma vitares. *Verum id tibi certo persvadeas, ut, si* a communi bonorum plausu descisens, quem tibi hactenus comparasti, *electioni tuae contra nostram voluntatem et monitionem praeberes assensum, tum sane schismati nomen dares*, quemadmodum non sine immenso animi nostri dolore ii praestiterunt, qui aut huiusmodi electionibus assentiti sunt, aut huiusmodi electis sacrilegas manus imponere non dubitarunt. Tuos equidem cum gaudio excepimus sensus a refractariorum sensibus longe alienos, certique sumus fore, ut ab incepto numquam discedas, veluti a nostro dil. filio Thoumino des Vaupons Vicario Generali Dolensis Ecclesiae factum est, qui cum ad Ecclesiam Vallis-Guidonis nondum rite in Eppatum erectam electum se esse ad nos significasset, et a nobis, quid sibi facto opus esset, exquireret, antequam nostram reciperet responsionem, quam huic consonam transmisimus, agitatus ille conscientiae stimulis oblatam respuit electionem; quo exemplo usus est Eppus Rhedonensis, ut ad eius imitationem excitaret Le Coz Principalem Collegii Corisopitensis, qui eum certiorem reddiderat ambiguis usus verbis de sua electione in Eppum de l' Ille-et Vilaine, ut liquet ab egregia Rhedonensis responsione sub die 7 curr. m. typis evulgata. Praeterea quidquid ad electiones consecrationesque Epporum pertinet, sive Ecclesiae suos habeant Pastores, sive iisdem careant, cumulate actum est a nobis in literis in forma Brevis scriptis ad nostros ven. fr. AEppos et Eppos Galliarum datis die 10 huius mensis, et die mox insequenti cursori extraordinario traditis, quae proinde inpraesentiarum ishic vulgatae iam esse debent. Quapropter facile poteris ex illis etiam tuam agendi rationem, quam omnino inire debes, agnoscere.

Interim nos animi ardorem in religionem et studium in nos tuum in Domino plurimum commendantes, tibi apost. bened. ex animo impertimur. Datum Romae die 30 Mart. 1791. — **Theiner** Documents etc. *ut supra.* I. 72.

1053—1055.

Plura Rescripta Sedis Apostolicae ad Viros, qui per nationalem Conventum Gallicanum in Eppos nominati erant. A. 1791.

1053. MON. **Pius VI** *Vicario* **Dolensi** *in Eppum constitutionalem Vallis Guidonis electo.* Rapiunt animum nostrum mirifica religionis ac disciplinae argumenta, quibus praeditae sunt literae die 26 mensis Dec. proxime elapsi ad nos scriptae : sed prae ceteris spiritali nos delectatione affecit praeclarae docilitatis studium, quod multum a te egregie cultam doctrinam ornat ac reddit commendabiliorem. Omnes literarum tuarum partes, dil. fili, serio perpendimus, nullaque circumstantia nos fugit conditionis, quam tibi ne cogitanti quidem oblatam intelligimus. Sed nulla nobis occurrit causa, cur non confirmemus, maximaque laude prosequamur propositum, quod illico suscepisti, ut nullum praeberes assensum, sed omnino proclamationem abiiceres, ac respueres, uti peractam contra omnes iamdiu receptas probatasque Ecclesiae formas : dissensus enim tuus, uti animo statuisti atque declarasti, ubi eum firmum immotumque teneas ac promulges, egregium in modum reipsa comprobabit te sacrarum sanctionum esse memorem, simulque futuris molestiis praecludet aditum, quae vel religionis integritatem, vel animi tui fortitudinem in discrimen adducerent. Quod vero Antistitis tui promovebat animum, id nos quoque pro gravi ipsius Antistitis iudicio, quem fraterna caritate prosequimur, serio mente revolvimus; sed a primo recusationis proposito nullo modo te removendum in Domino arbitramur atque admonemus : omni enim huiusce generis commoditati anteponendum agnoscimus emolumentum, quod videtur expectandum ab constanti recusatione tua, cum quaelibet disciplinae relaxatio perniciosa evaderet in tanta opinionum licentia ac perversitate.

Imo id boni ab hac deliberatione tua in vulgus edita sperandum videtur, ut Divina adiuvante misericordia qui ad sanctas tuendas Ecclesiae disciplinas propensi iam sunt, tui nominis fama perculsi in recto proposito persistant, magis ac magis roborentur; qui vero misere ab officio deflecterent, ii exemplo recusationis tuae exanimati facilius ab incoeptis desistant. Haec dil. fili, ad literas tuas nulla interposita mora scribenda duximus. Certa nos spes tenet fore, ut ita etiam in posterum te praebeas, ut iustam habeamus a te commendationis ac laetitiae causam. Nos interim, quibus iucunda abs dubio fuit in hac Urbe praesentia tua, vehementer probamus ingenii tui curas ac studia, ad religionem tuendam iamdiu conversa, eaque dum contendis perficere, uti ferunt literae tuae, nobis tuoque Antistiti monstrabit Deus, quam in dominicae vineae cultu tibi daturus sit partem; tibique, dil. fili, apost. bened. intimo cordis affectu ac peramanter impertimur. Datum Romae 4 Non. Febr. 1791.

1054. *Rescriptum Card. Secr. Status ad Vicarios Eppi* **Augustodunensis.** Dici vix potest, quanto animi gaudio ac voluptate, me referente, audierit SSmus Dnus noster, quales vestri essent obsequii atque ardoris in Apostolicam Sedem et in Religionem sensus, quos vestrae literae die 23 elapsi mensis Februarii datae praeseferunt. Meritis ille iam laudibus affecerat tum vos tum integrum *Augustodunense* Capitulum in sua ad AEppos et Eppos Galliarum responsione, in qua commemoratis ac refutatis principiis civilis constitutionis Cleri non potuit etiam de vestri infelicis Eppi defectione non loqui. Sed modo nova gaudii facta est accessio, cum viderit planeque cognoverit ex responsione ad Officiales Municipales istius Civitatis super iuramento per vos data, et vestris iuncta literis, quae qualisque sit animorum vestrorum firmitas atque constantia. Eo vel magis, quia literae vestrae eximium studium praeseferunt petendi a Sanctitate Sua, *quid* vos *facere oporteat, ne Ecclesia ista suo legitimo Pastore careat*, verentes quam maxime, ne vicariae vestrae facultates perinde haberi debeant ac si revocatae fuissent, *eo, quod Eppus* vester *sese apud Regem ab Ecclesia sua abdicaverit, et eo, quod suae iurisdictionis exercitium arbitrio novi electi permiserit.* Hi enim actus tametsi suapte natura irriti, utpote quibus deest auctoritas Summi Pontificis, satis tamen esse posse videntur ad tacitam quamdam inducendam revo-

cationem earum facultatum, quibus hactenus usi estis ex sententia Theologorum et Canonistarum Parisiensium, quos exquisivistis. Hinc SS. Dnus noster mature perpensis iis, quae a vobis postulantur ac proponuntur, me iussit significare vobis, merito quidem dubitari posse, quin vestrae facultates vicariae cessaverint. *Eppatus* enim *renunciatio, quam apud Regem* Christian. *factam fuisse dicitis ab Eppo vestro, irrita quidem et vana est apud Ecclesiam, propterea, quod caret consensu atque auctoritate Pontificis,* qui solus ac legitimus superior est, *sed obest renuncianti.* Qui enim renunciat, si suae Ecclesiae ius non amittit, donec Pontifex aut renunciationem acceptet, aut propter crimen e suo illum iure excidisse declaret; amittit tamen possessionem suam, *ita, ut neque ipse per se, neque alii suo nomine possint amplius iurisdictionem semel abdicatam exercere.* Si Summus Pontifex accepisset per manus Regis istam Eppi vestri dimissionem, ne ullo quidem temporis momento de illa acceptanda dubitasset, veluti vos faciendum forte esse proponitis. Ipse enim ad reliquos errores, in quos prolapsus misere est, sacrilegum quoque ausum adiunxit, manus imponendi die 24 Febr. Lutetiae Parisiorum pseudoelectis Corisopitensis ac Suessionensis Ecclesiae, quo ex tempore iuris est non ambigui, ipsum in poenam incidisse suspensionis ab exercitio ordinis. Quamobrem nil accidere potest optatius, quam ut sponte sua ab Ecclesia se abdicet is, qui multis nominibus se dignum praebuit, ut eadem exueretur. Verum cum desit hactenus authenticum dimissionis huiusce licet satis vulgatae monumentum, in causa est, cur Summo Pontifici nec super dimissione nec super privatione iudicium ferre conveniat. Hic tamen prudens ac mitis agendi modus minime vetat, quin Ecclesiae regimini, uti opus est, consulatur; quae si proprio suo Pastore viduata dici nequit, eo tamen redacta est, ut perinde haberi possit ac si suo pastore careret, et deterioris etiam, si fieri potest, conditionis effecta. Praeterquam enim quod illa gubernio tum Eppi tum Vicariorum destituitur, quod omnibus accidit Ecclesiis, ubi suo pastore destituuntur, invasioni atque occupationi pseudo-electi cuiusdam obiicitur, qui quocunque sacrilego modo consecratus canonica semper missione carebit, quique proinde omni erit communione vitandus. Posset utique Pontifex Summus vestris rebus consulere, ea qua pollet per canones auctoritate, tum

praesertim cum casus incidunt impropriae vacantiae Ecclesiarum. Sed tanti ipse facit egregium istud Capitulum, tantoque fertur erga dignissimum AEppum Lugdunensem studio, quem vos Ecclesiae istius vacantis Administratorem natum appellatis, ut utrique liberam facultatem relinquat nominandi Vicarios eo prorsus modo, quo alias fieri Ecclesia ipsa vacante consvevit, tribuens interim vobis apostolica auctoritate facultatem ac veniam vestro munere defungendi, donec Capitulum et AEppus sollicite per vos de Pontificis mente certiores effecti eo quo par est modo necessariam opem non ferant. — Romae die 2. April. 1791. F. X. Card. de Zelada.

1055. *Rescriptum eiusdem Cardinalis ad Eppum pseudo-electum* **Ardennarum**, *Nicolaum Philibertium.* Quas obsequii et obedientiae significationes erga Visibile Caput Ecclesiae praeseferunt literae tuae ad ipsum datae die 10 Febr. huius anni, eas ipsius Pontificis iussu commonere te debeo nullius momenti esse futuras, nisi id simul agas, ut verbis facta respondeant. Nunc autem quis dubitet, egregias declarationes tuas factis elidi atque everti, semel atque eodem tempore affirmas nequivisse te populi votis obsistere, teque promtum ac paratum ostendis illius Ecclesiae regimini suscipiendo, quae adhuc rite non est in Cathedralem erecta, et iis pascendis ovibus, quae modo gubernantur atque reguntur ab AEppo Remensi et ab aliis Eppis, e quorum dioecesibus illas decerpi oportet, si illegitimae erectioni locus esset? Si verum est, Pontificis Summi decreta te habiturum ipsorum Iesu Christi oraculorum loco, scias oportet Ipsum in sua responsione ad AEppos et Eppos Galliarum data docuisse iam et declarasse, huiusmodi electiones, quae amoto Clero per populum fiunt, irritas esse et inanes inspecta cum veteri tum nova Ecclesiae disciplina, easque proinde acceptari a quoquam non posse, absque eo, quod canones violentur, neque earum intuitu peti aut obtineri posse a quocunque sive Metropolitano sive Eppo consecrationem. Istiusmodi enim consecratio sacrilega esset atque schismatica, nec ullam consecrato tribueret iurisdictionem sive canonicam missionem, quae ex mandato Apost. Sedis unice proficiscitur. Tu itaque extemplo debes et gradum sistere, et cum in hac tum in alia omni re decretis adhaerescere Ap. Sedis, quae veluti Iesu Christi oracula te suscipere affirmas. Hac animi tui declaratione fretus, quam tuae exhibent literae,

SSmus Dnus nòster plurimum in Domino confidit, te ad meliorem mentem reversurum, proindeque ipsius Sanctitatis Suae nomine te etiam atque etiam hortor atque obsecro, ut a paternis illius monitis ne latum quidem ungvem discedas. Id si praestabis, ut spero, ex ipso errore honoris plurimum capies, et Summi Pontificis dilectionem demerebere. Spero equidem fore, ut quam de te in Pontificis animo expectationem concitasti, hanc sustineas ac tueare. Romae 3 Cal. Apr. 1791. F. X. Card. de Zelada.— **Collectio Brevium** *Pii VI.* cit. I. 36. 117. ss.

1056—1061.

Acta praecipua, quae ad **Facultates extraordinarias Eppis Galliae** durante perturbatione a Sede Apostolica collatas pertinent. A. 1791. ss.

1056. MON. *Facultates tribus AEppis Lugdunensi, Parisiensi, et Viennensi, item antiquioribus Eppis cuiusque provinciae, 26. Sept. 1791. concessae.* Inter funestas multiplicesque vicissitudines, quae Gallicanis Ecclesiis nuperrime acciderunt, magni profecto faciendae sunt difficultates, quarum aliae enatae iam sunt, aliae enasci poterunt, ob legitimum nonnullarum sive Metropolitanarum sive Suffraganearum Ecclesiarum regimen, et ob molestias ac iniurias probis ecclesiasticis viris forte inferendas. Laudabili igitur consilio Gallicani Antistites eas omnes difficultates singillatim et accurate ad Romani Pontificis notitiam detulerunt, ut eius iudicio et auctoritate definiretur ac statueretur canonica agendi ratio, quae in illis ecclesiarum ecclesiasticorumque perturbationibus sive praesentibus sive futuris servari debeat. Difficultates autem ab Eppis expositae huiusmodi sunt: *Ex Conventus Nationalis decreto dioecesium antiqui limites ita sunt immutati, ut unaquaeque fere dioccesis aliqua sua parte fuerit exspoliata, et nova cuique dioecesi portio fuerit superaddita.* Verum quamvis in illegitima hac nova dioecesium divisione Eppi omnes, qui civico iuramento se polluere recusarunt, suas dioeceses pergant administrare iuxta antiquos limites, quos re-

ctissime illi putant nullo pacto immutari a Civili Potestate potuisse; non tamen eadem se gerunt ratione tres illi Praesules: *Senonensis*, *Aurelianensis*, et *Augustodunensis*, qui iuramentum civicum pure et simpliciter praestiterunt. Isti enim, cum illius iurisiurandi religione se putent obstrictos, (quamvis Sanctitas Sua in apost. Literis diei 13 April. vertentis anni iam declaraverit, illud esse venenatum errorum omnium fontem et originem, Catholicaeque Gallicanae Ecclesiae moeroris praecipuam causam) suarum dioecesium partes a Conventu Nationali aliis dioecesibus adiudicatas deserunt omnino, ut eiusdem Nationalis Conventus decreto obsequantur. Ex quo fit, ut illarum partium fideles nullum prorsus habeant, a quo regantur, Pastorem. A propriis enim Antistitibus deseruntur; invasores Eppos tamquam lupos iustissime abhorrent; demum legitimi Praesules, quibus illae dioecesium partes sunt attributae, nullam in eas habent iurisdictionem. Primum hoc, quod iam urget, incommodum aliud sequitur, eventurum si metropolitanus aliquis vel moriatur, vel praevaricetur (quod Deus avertat) civico iureiurando praestito. Cum enim Capitula omnia Cathedr. Ecclesiarum a Civili Potestate illegitime sint dissoluta, Canonicique in varias partes fuerint disperi, nullo sane pacto Capitulum metrop. Ecclesiae, cuius antistes vel moriatur vel praevaricetur, convenire simul poterit ad Vicarii Capitularis electionem faciendam. Ex quo continget, ut Metr. illa Ecclesia a nemine prorsus administretur. Ex eadem praeterea ratione, qua Capitula nequeunt modo Vicarios Capitulares eligere, verentur Eppi, ne Ecclesiae Senonensis, Aurelianensis, et Augustodunensis (quibus addi debet Ecclesia *Vivariensis*) neminem habeant a quo regantur, si earum Antistites fuerint a iurisdictione suspensi vel excommunicati. Postremum denique incommodum, cui opportunum afferri remedium quaerunt Eppi, est, si tres illi Antistites Senonensis, Aurelianensis, et Augustodunensis paulo ante commemorati, quibus addi debet, ut diximus, Vivariensis, (quem etiam constat iuramentum civicum pure et simpliciter emisisse) probos suarum dioecesium Ecclesiasticos inique suspendant, vel nolint eisdem clericalia officia committere, ideo quod civico iureiurando recusant se polluere. Hae sunt difficultates et incommoda, quae Gallicani Praesules distincte retulerunt, quaeque illos, ut paucis omnia comprehendantur, incertos suspensosque tenent circa modum ab iis-

dem servandum in regimine dioecesium metropol. et suffrag. quae a suis Eppis deseruntur, in regimine metrop. quae suorum praesulum morte aut praevaricatione sint vacaturae, in regimine dioecesium, quae ab Eppis forte suspendendis a iurisdictione vel excommunicandis administrantur, et circa modum tandem, quo providendum sit probis ecclesiasticis a civico iureiurando abhorrentibus, quos ea de causa Eppi iurati inique suspendent, vel ad clericalia officia non recipient.

Votis igitur Gallicanorum Antistitum, Sedis Apostolicae sententiam auctoritatemque super illis omnibus incommodis et difficultatibus expostulantium, satisfacturus SS. D. N. Pius PP. VI. selectae Cardinalium Congregationi gravissimi huius negotii examen commisit, eamque coram se haberi voluit die 18 Aug. 1791. ut eorum sententiis auditis rem omnem sedulo accurateque definiret, et opportuniori qua fieri ratione posset expositis illarum Ecclesiarum necessitatibus provideret. Re igitur diligentissime examinata, cum una fuisset omnium Cardinalium concors sententia, Romani Pontificis esse earumdem Ecclesiarum incommodis prospicere, necessarias et opportunas facultates iis elargiendo, qui in Domino magis idonei reputarentur, Sanctitas Sua eorumdem Cardinalium votum probavit, atque idcirco, ne quid detrimenti caperet salus aeterna fidelium, in praesentibus difficillimis Gallicarum Ecclesiarum circumstantiis providendum a se esse censuit enarratis Ecclesiarum incommodis opportuniori qua fieri ratione posset, absque praeiudicio iurium, si quae sunt, respectivarum eppalium Sedium. Quamvis autem multiplex Sanctitati Suae occurreret consulendi ratio, singularia nihilominus perpendens merita Gallicanorum Praesulum, qui ad religionis decus tuendum, Civilem Cleri Constitutionem improbarunt, non privatim modo, sed vulgatis etiam egregiis monumentis, dignis sane quae aeterna memoria recolantur; merita praeterea perpendens eorum inter Gallicanos Praesules, qui quaerentes non quae sua sunt sed quae sunt Iesu Christi, Nationalibus Comitiis non sine gravi discrimine usque ad exitum interesse voluerunt; demum rationem habens meritorum, quae sibi compararunt Gallicani Praesules, dum promtos paratosque se exhibuerunt Summo Pontifici Ecclesias suas dimittere, si id religionis bonum postularet, *Lugdunensi AEppo, AEppo Parisiensi, AEppo Viennensi, et antiquioribus cuiusqne Provinciae Regni Galliarum Eppis*

delegavit ad annum ab hac die incipientem *facultates*, quae in sequentibus Sanctitatis Suae decretis continentur: *Primo* igitur Sanctitas Sua concessit et concedit ad annum AEppo Parisiensi facultates omnes necessarias et opportunas pro immediato spirituali regimine portionis dismembratae a dioecesi Aurelianensi et ab eius Eppo repudiatae; AEppo autem Lugdunensi confirmat facultates iam ei tributas pro dioecesi Augustodunensi. — 2. Easdem facultates concessit et concedit ad annum AEppo Lugdunensi pro illa dioecesis Senonensis parte, quae Conventus Nationalis decreto divulsa est, et a Metropolita Senonensi repudiata. 3. Easdem facultates concessit et concedit ad annum Eppis antiquioribus cuiusque Provinciae, qui iuramentum civicum non praestiterunt, si Sedem Metropolitanam vacare contigerit, et Capitulum non possit Vicarium Capitularem eligere; si autem forte contigerit (quod Deus avertat) quemvis alium Metropolitanum, praeter Senonensem, praevaricatorem evadere ob iuramentum civicum pure et simpliciter emissum, eundemque vel suspendi ab exercitio iurisdictionis vel excommunicari, curabit eadem Sanctitas Sua opportunis et necessariis facultatibus instruere quem in Domino magis idoneum reputaverit. 4. Decrevit, a supradictis AEppis Lugdunensi et Parisiensi et antiquioribus Eppis cuiusque provinciae Regni Galliarum eligi debere Vicarios, qui in locis, de quibus agitur, personaliter resideant, non abdicata tamen ab iisdem Praesulibus deputantibus iurisdictione, quam idem SSmus modo eis delegat ad annum. 5. SSmus significavit, se provisurum necessaria Sedis Apost. delegatione, si quatuor illi Praesules, qui iuramentum civicum pure et simpliciter emiserunt, iurisdictionem, quam in suis dioecesibus modo exercent, in posterum amittant propter suspensionem etiam a iurisdictione vel excommunicationem. 6. Idem SSmus praedictis AEppis et Eppis antiquioribus concessit et concedit ad annum facultates necessarias et opportunas ad consulendum Ecclesiasticis, qui civico iureiurando recusant se polluere, quique a Praesulibus Senonensi, etc. iuramento civico obstrictis inique suspendantur, vel a sacris ministeriis excludantur. Datum Romae die 26 Sept. 1791. F. X. Card. de Zelada.

1057. *Instructio pro Eppis quoad baptismum, matrimonium, et sepulturas, dd. 26. Sept. 1791.* Laudabilem maiorum suorum consvetudinem secuti Antistites, qui modo Gallicanas

regunt Ecclesias, ad Sedem Apostolicam detulerunt gravissimas quaestiones, pluresque quibus anguntur animi fluctuationes, dubitantes nimirum quid sibi agendum sit, cum *de fidelium baptismo, matrimonio et sepulturis* agitur, propterea quod nisi haec omnia a *parochis intrusis* vel eorum auctoritate exerceantur, a Conventu Nationali, qui parochos duntaxat intrusos agnoscit et sustinet, fideles vexatum iri prospiciunt. Has igitur quaestiones Sanctitas Sua in selecta Cardinalium Congregatione coram se habita die 18 Aug. 1791. diligentissime examinari voluit, atque auditis singulorum Cardinalium sententiis sequentem iussit exarari Instructionem, in qua descriptis quaestionibus ut erant ab Eppis propositae, praescriberetur ratio, qua fideles atque parochi uti deberent in baptismo, matrimonio, funeribus et sepulturis. Prima, quae proponitur, quaestio est de baptismi administratione, cuius quaestionis *difficultas inde oritur, quod si fideles a legitimis parochis intruso penitus omisso baptisentur, omnis ratio deficit, qua eorum natalia in foro civili probentur.* At quoniam haec eadem difficultas occurrit in aliis quaestionibus, quae sunt de Catholicorum matrimonio et funeribus, considerata primum diligentissime sunt Conventus Nationalis decreta. In illis porro observatum est, expressam deesse declarationem, qua fideles, si alium quemvis praeter parochum intrusum adeant baptismi, matrimonii vel funeris causa, civilis iuris beneficia debeant amittere. Verum etsi huiusmodi amissio in illis decretis statueretur expresse, non tamen idcirco posset catholicis facultas dari parochos intrusos ad baptismum recipiendum adeundi. Quapropter Sanctitas Sua declaravit, *non licere baptismum recipere a parochis intrusis excepto casu extremae necessitatis*, in quo non adesset alius valens baptisare, sed a parochis legitimis aliisque de eorum consensu aut licentia conferri debere. Cum enim parochus intrusus *schismaticus* profecto sit, eiusque schisma evidentissime constet, ex eo fit, ut actio catholici, baptismi recipiendi causa intrusum adeuntis, quacunque ex parte spectetur, vitiosa, mala, et prohibita esse deprehendatur. Nam id esset in divinis cum schismaticis communicare in ipso schismatis crimine, quod certe natura sua malum est, proindeque lege omni divina et naturali vetitum. Quid enim aliud est schismatis crimen ab intruso parocho admissum, quam ministerii parochialis usurpa-

tio suo libitu facta, nulla sui Eppi auctoritate, imo cum illius contemtu et repudiatione coniuncta? aut quid aliud catholicus efficit ab intruso baptismum accipiens, quam idem cum illo schismatis crimen admittere, cum alter baptismum administrando alter recipiendo, neuter absque alterius opera crimen animo conceptum possit patrare? itaque si catholicus hac sua actione cooperetur in schismate, fieri nequit, quin is schismatis crimen ipso suo facto approbet, intrusumque pro legitimo parocho agnoscat et colat. Vere igitur si catholici id sibi fas esse arbitrarentur, neque boni perstarent in proposito, neque ad officium revocarentur errantes, atque ita gliscenti schismati non obice sed fomite apposito religionis in nobilissimo Galliae regno servandae spes fere nulla reliqua esset. Quibus omnibus rite perpensis Sanctitas Sua in apostolicis literis datis die 13 April. vertentis anni catholicis omnibus, qui sunt in regno Galliae, ita praecipit: invasores omnes sive AEppi sive Eppi sive parochi appellentur, ita devitate, ut nihil cum illis sit vobis commune, praesertim in divinis. Is igitur, qui secum animo haec omnia reputet, facile intelliget, non licere catholicis ab intruso baptismum accipere, quamvis ob legitimae probationis defectum suorum natalium iure carere aut gravius quodlibet malum pati cogerentur. Nam huius praesertim schismatis qualitati maxime convenit aurea S. Dionysii Alex. sententia, qua is scribens ad Novatum schismaticum inquit apud Euseb. H. E. l. 8. c. 37: ‚oportuerat omnia incommoda pati potius quam Ecclesiae Dei discidisse concordiam; at illud martyrium, quod quis patitur, ne dirimatur Ecclesiae consensio, non minus certe meo quidem iudicio sed multo plus habet commendationis, quam illud, quod suscipitur, ne idolis immoletur.‘ His autem doctrinis positis haud difficile fuisset statim et breviter praescribere, quaenam agendi ratio in *Matrimonio* esset tenenda. Quamvis enim eadem hic difficultas possit occurrere, ut, si fideles a parocho legitimo coniungantur, intruso penitus omisso, eorum matrimonia omni iuris civilis beneficio destituantur, tamen illae eaedem rationes, quae supra explicatae sunt, cum de baptismo ageretur, hic etiam vim habent, et vetant, ne fideles a parocho intruso in matrimonium coniungantur. Verum quia ab Eppis consulentibus propositus fuit unus vel alter modus civiles effectus in matrimonio fidelium adiungendi, necesse fuit horum etiam peculiarem habere rationem. Modi

autem propositi huiusmodi sunt, ut catholicus vel veniam petat ab intruso matrimonium celebrandi coram sacerdote a se eligendo, vel ut eidem intruso aut magistratui civili matrimonium a se contractum declaret. Adversus tamen eos modos iidem consulentes plures et quidem graves afferunt difficultates. Aiunt enim incertum esse, an intrusus et civilis magistratus permissuri sint Catholicis illis uti modis, incertumque etiam, num ex uno vel altero modo matrimonia fidelium civiles effectus acquirent. Sed istis difficultatibus omissis hae, quae religionem tangunt, graviores visae sunt, ut iidem consulentes animadvertebant, proindeque ob oculos considerantius habendae. Si enim catholicus matrimonium a se contractum parocho intruso declaret, vel si matrimonium eiusdem impetrata venia coram sacerdote catholico celebret, videri posset intrusus pro legitimo parocho a fidelibus probari, quod sane fugiendum est. Sin matrimonium a se iam contractum civili magistratui declaret, videtur catholicus suam fidem eiurare, atque ad heterodoxorum partes transire, ut eorum privilegio frui possit. Nam Acatholicis duntaxat Edictum Regium mensis Nov. 1787. concessit, ut sua matrimonia civili magistratui si ipsi denunciarent, civilibus effectibus illa gauderent. Ut igitur ad haec omnia apta daretur norma in matrimonii celebratione servanda, idem Sanctissimus plures regulas ponendas hic iussit, quibus Catholicorum matrimoniis firmitas assereretur, nulla iidem schismatis contagione polluerentur, et exteriorem quamcunque haeresis professionem devitarent. Primo igitur *fideles in Galliis debent matrimonio coniungi a suo parocho legitimo vel alio sacerdote de eius vel Ordinarii licentia;* nam matr. aliter celebratum nullam vim haberet, ob celeberrimam Trid. Concilii legem de clandestinis matr. in illius regni parochiis iampridem promulgatam et constantissime observatam. 2. Quoniam *intrusus* minime est parochus legitimus, neque ullum habet titulum seu verum seu coloratum, *matrimonium coram eo contractum nullius certe roboris est;* qua etiam de causa fideles abstinere debent, ne parocho suo legitimo praetermisso adeant intrusum. 3. Caveant etiam fideles, qui matrimonio iuncti fuerint a parocho legitimo, ne intruso se sistant, ut ab eo ritu quovis sacro et religioso rursus matrimonio coniungantur, vel ab eo petant veniam, qua possint ab alio sacerdote matrimonii sacramento coniungi et sacro

ritu copulari. Ne id enim fiat, vetant omnino rationes iam explicatae, cum de baptismo ageretur. 4. *Numquam* etiam *licebit fidelibus declarationem edere matrimonii iam contracti Magistratui civili,* si forte adstringantur aliam iniquissimam sane declarationem facere, se scilicet haud esse catholicos, quod ne accidat, vereri se dicunt Eppi consulentes eo in loco, ubi de baptismo loquuntur. 5. Sed ne fidelibus quidem permittendum, ut matrimonii iam contracti declarationem coram civili magistratu faciant, si ob istam catholici pro acatholicis habeantur, tum quia Edicti verba heterodoxos tantum expresse comprehendunt, tum quia publica hominum opinione pro heterodoxis reputantur omnes, qui civili magistratui sua matrimonia declarant. 6. Denique idem SSmus super hac re commendavit Eppis regulas traditas a Benedicto XIV in Const. ‚Inter omnigenas' diei 2 Febr. 1744. §. 8—10. Bullarii eiusdem Pontificis; et ‚Redditae' diei 17 Sept. 1746. ad P. Simonem a S. Iosepho Carmelitam excalc. Missionarium in Belgio. Itemque regulas commendavit, quas iam pridem tradidit Catholicis Anglicanis Paulus 5 in literis in forma Brevis datis tam X Cal. Oct. a. 1606. quam X Cal. Sept. 1607. — De *funeribus* et *sepulturis* tertio loco actum est, ex quibus etiam aliqua necessitas nasci videbatur intrusum adeundi communicandique forte cum eo in divinis. Cum enim defunctorum corpora clam inhumare tam grave delictum sit, ut omnes eius participes severis poenis puniantur, omitti nullo modo potest secutae mortis denunciatio, qua semel facta non posse aiunt intrusum impediri, quominus cadaver domo extrahat, eiusque funus efficiat. Regulam igitur, qua fideles et maxime pastores hac in re sequi debent, hanc futuram esse praescripsit SSmus: *exequias* scilicet *defunctorum celebrandas esse a parochis legitimis,* si ob praesentes Catholicorum angustias aliter fieri non possit, *in domibus privatis iuxta Ecclesiae ritum. His vero expletis tolerandum esse, ut parochi intrusi cadavera a domo exportent et ad Ecclesiam etiam inhumanda deferant, ita tamen, ut fideles catholici nec funus comitentur, nec sacras preces recitent, aliosque ritus Ecclesiae cum illis socialiter agant.*

Quaestionum examine perfecto, Sanctitas Sua rationem etiam, ut par erat, haberi voluit causarum, ob quas Eppi postulant, ut a Sede Ap. amplioribus instruantur facultatibus, quae huic temporum acerbitati conveniant. Amplioribus enim instructi

dispensandi facultatibus facilius aiunt se posse obtinere, ne fideles ad eppos intrusos confugiant, qui ad schisma augendum alliciendosque Catholicos nullum servare solent modum in dispensationibus elargiendis. Cognovit sane idem SSmus, quam aequa esset ea Antistitum petitio. Sicut enim, aiente S. Leone M. in ep. ad Rust. Narbon., quaedam sunt, quae nulla possunt ratione convelli, cuiusmodi est communicationis prohibitio cum intrusis, ita multa sunt, quae pro necessitate temporum oporteat temperare, atque huiusmodi sunt priores latae leges, a quibus dispensandi facultas petitur. Facultates igitur etiam illis ampliores, quae Galliarum Eppis concedi solent, singulis Eppis petentibus libentissime se daturum dixit idem SSmus, posteaquam peculiares eorum preces perpenderit.

1058. *Breve ad Eppos Galliae de novis Facultatibus eisdem concessis.* 1792. In gravissimis et multiplicibus curis, quas pro commissa nobis a supremo Pastorum Principe Iesu Christo omnium Ecclesiarum sollicitudine assidue sustinemus periculosis hisce temporibus, quibus multi nimis ex eorum numero esse videntur, quos praenunciavit Apostolus, qui sanam doctrinam non sustinent, et ad sua desideria coacervantes sibi magistros a veritate auditum avertunt, non aliud profecto maius neque iucundius experimur solatium, quam cum ven. fratres Eppos, qui in eiusdem sollicitudinis nostrae partem vocati sunt, ad exequendum officii sui debitum alacri strenuoque animo incumbere novimus, ac diligentissime curare, ut gregis ipsis crediti saluti opportuniori qua fieri potest ratione consulant. Eiusmodi vero solatio nuper praeter modum affecti sumus, cum literas perlegimus omni officio refertas, quas die 16 Dec. anni superioris plures fraternitatum vestrarum Parisiis degentes, et quas die 8 Ianuarii currentis anni ii earumdem fratern. vestrarum, qui Romae commorantur, ad nos conscripserunt. Ex iis enim cognovimus, postulari a nobis, ut singulos Galliarum regni Antistites ac dioecesium administratores tempore, quo eppales sedes vacant, generali indulto amplioribus nonnullis instruamus facultatibus, quo facilius quisque possit gregem sibi creditum pascere et gubernare. Haud difficile fuit nobis agnoscere, quam aequa esset huiusmodi petitio, huic nimirum temporum acerbitati conveniens; quam digna Sacris Praesulibus, qui sui muneris partes et probe agnoscunt, et pro viribus implere contendunt, quique in prae-

fatarum literarum fine *testimonium reddunt obsequii, quod Gallicanae Ecclesiae profitentur erga Sedis Apostolicae auctoritatem* per eas declarationes, quarum duas hic exscribimus: Prima declaratio est, nullam ex facultatibus per Sedem Ap. concedendis a se vel a subdelegatis exercendam esse, absque praevia declaratione in ipso actus tenore inserenda, nimirum se virtute potestatis ab Ap. Sede delegatae procedere, notata ipsa concessionis die; altera vero: se stricte observaturos decreta et ordinationes Summorum Pontificum, Conciliorum, consvetudines Ecclesiae Romanae erga Gallicanam Ecclesiam in concedendis dispensationibus, censuris tollendis, et in aliis quibuscunque actibus indultorum virtute factis. Itaque de consilio selectae ven. fr. nostr. S. R. E. Cardinalium Congregationis coram nobis habitae die 19. Ianuarii proxime praeteriti, fraternitatibus vestris, vobisque dilecti filii dioecesium administratores, concedimus per praesentes literas facultates pro tempore et modo in adnexo indulto generali exprimendis, denuo declarantes, per novam hanc facultatum concessionem nullum praeiudicium irrogatum iri iuribus in praecedenti indulto reservatis, si quae sint, quibusque fruantur sedes aliquae eppales super alias. Ceteroquin confortamini, ven. fratres, in Domino, et in potentia virtutis eius, atque induti armaturam Dei adversus mundi rectores tenebrarum harum, certate, ut coepistis, tamquam strenui milites Christi. Neque enim alio magis, quam tribulationis tempore oportet sacros Antistites solidam illam christianam virtutem et sacerdotalem praeferre constantiam, qua iuxta monitum Apostoli instructi esse debent, ut potentes sint exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. A nobis autem cuncta tum pontificiae auctoritatis praesidia, tum paternae benevolentiae testimonia semper expectate, quorum interim pignus vobis — apost. benedictionem peramanter impertimur. Datum Romae die 19 Mart. 1792 *).

1059. *Instructio ad Eppum* **Lucionensem** *circa matrimonia.* Perlatae sunt SS. Dno nostro Amplitudinis tuae literae cum literis, quas *Lucionensis* dioecesis parochi ad te transmiserunt. Ex his incredibile dictu est quanto Sanctitas Sua superabundaverit gaudio in omni tribulatione fidelium Lucionensis

*) Facultates his literis adiectae concernunt absolutiones a casibus reservatis et irregularitatibus, item dispensationes matrimoniales, facta in prioribus expressa clausula de retractando civico iuramento.

dioecesis audiens eorum fidem ac studium in Catholica Religione tuenda, nec non patientiam in perferendis malis, quibus luctuosissimis hisce temporibus ipsi affliguntur. Hinc ut quantocitius fieri posset eisdem fidelibus opitularetur, atque petitionibus tuis satisfaceret, eas selectae Cardinalium Congregationi examinandas commisit; quae autem a praefata Congregatione decreta sunt, ac probata ab eadem Sanctitate Sua, Amplitudini tuae me significare mandavit. Exponis itaque non ita pridem a Nationali Conventu conditum decretum fuisse, quo praescribitur matrimonia in posterum in regno Galliarum celebrari debere coram Municipalitate, sive coram officiali a Municipalitate delecto; a Municipalitate vero seu a praememorato officiali recipi coram quatuor testibus debere declarationem a futuris coniugibus emittendam sub hac forma verborum: ‚declaro me sumere N. N. in matrimonium'; qua declaratione vicissim a duobus coniugibus facta ab officiali publico pronunciandum esse, eos in nomine legis coniunctos fore; praefato autem Nationalis Conventus decreto nihil cautum esse ais circa formam a Tridentino Concilio praescriptam, quae profecto, si nihil aliud obstaret, in vim tantummodo praememorati decreti observari ad amussim posset. At formam a praelaudato Trid. Concilio praescriptam pro coniugiis ineundis in ea parte, quae respicit parochi praesentiam, observari modo non posse a maiori parte fidelium dioecesis Lucionensis moleste fers, propter legitimorum parochorum deficientiam, qua ex re mala et incommoda gravissima oboritura praevides. Hinc ut praememorati fideles in circumstantiis adeo luctuosis constituti liberi declarentur ab observantia decreti Trid. Concilii pro coniugiorum celebratione, primum animadvertis non posse certo statui, notissimum C. Trid. decretum, quod legitur Sess. 24. de ref. Matr. c. 1. publicatum reapse fuisse in singulis Galliarum Ecclesiis, quam quidem publicationis formam expresse requirit Tridentinum, ut post 30 dies a publicatione facta incipiat obligare. Sed de hoc ne tu quidem nimis instas, quoniam non magni momenti esse probe agnoscis: illud potius urges, et conficere conaris, quod posito etiam, Trid. Concilii decretum fuisse in singulis Galliarum paroeciis publicatum, non idcirco nulla ac irrita censeri deberent matrimonia sine parochi praesentia contracta iis in locis, in quibus parochi praesentia haberi non possit. In cuius rei confirmationem et clarissimorum viro-

rum testimonia profers, et auctoritatem potissimum S. Congregationis Concilii. Ab ea enim pluries resolutum esse adnotas, satisfieri menti Trid. Concilii celebrando matrimonium coram testibus, ubi parochi praesentia haberi nequeat. Ex quo inferre te posse arbitraris, valida censeri debere matrimonia sine parochi praesentia celebrata ab iis fidelibus Lucionenis dioecesis, qui parocho carere coguntur, quoniam in vim praememorati decreti Nationalis Conventus matrimonia contrahi debent coram Municipalitate, seu officiali ab ipsa Municipalitate delecto, quodque multum interest ad id, de quo agitur, etiam coram quatuor testibus. Haec summa est eorum, quae in tua epistola continentur, atque ferme haec ipsa complectitur epistola, quam Lucion. dioecesis parochi ad te transmiserunt.

Ut igitur iis omnibus, quae proponuntur, opportunum daretur responsum, haec, quae sequuntur, a praefata Cardinalium Congregatione constituta fuerunt: 1. Frustra quaestionem modo moveri, num Trid. Conc. decretum publicatum in singulis Galliarum Ecclesiis fuerit. Cum enim certo certius constet in Ecclesiis Galliarum iam usu receptum esse, ut matrimonia celebrentur coram parocho et duobus vel tribus testibus tamquam in executionem decreti C. Tridentini, hoc profecto satis debet esse, ut praesumatur facta eiusdem decreti publicatio, sicut aperte legitur in resolutione edita a S. Congr. Concilii die 26 Sept. 1602: ‚publicationem praesumi, ubi id decretum fuerit aliquo tempore in parochia tamquam decretum Concilii observatum.‘ Idemque statutum legitur in alia resolutione die 30 Mart. A. 1669. — 2. Lucionensis dioecesis *fideles abstinere omnino debere a contrahendo matr. coram Municipalitate aut coram officiali a Municip. selecto;* cum enim tum ii, qui Municipalitatem componunt, tum officialis a Munic. electus sint publici functionarii, ut aiunt, iuramentum a Conventu Nationali praescriptum emiserint necessum est; quapropter tamquam *schismatici* aut adminus tamquam schismatis fautores iure merito reputantur. Ex his autem illud consequens est, abstinere omnino fideles debere a contrahendo matr. coram Munic. seu coram officiali a Municip. electo, ne ulla schismatis contagione polluantur. 3. Curare idcirco fideles debere *contrahere matr. coram testibus, et quidem, quoad fieri, possit, catholicis, priusquam Municipalitati se praesentes sistant,* ut praescriptam a Nat. Conventu declara-

tionem faciant. Et quoniam complures ex istis fidelibus non possunt omnino legitimum parochum habere, istorum profecto coniugia contracta coram testibus et sine parochi praesentia, si nihil aliud obstet, *et valida et licita* erunt, ut saepe saepius declaratum fuit a S. Congr. C. Trid. interprete. 4. *Nihil* tamen *impedimento esse, quominus fideles, ut civilibus potiantur effectibus, praescriptam a Nat. Conventu declarationem faciant, illud semper prae oculis habentes, nullum ab ipsis tunc contrahi matrimonium, sed actum mere civilem exerceri.* 5. Demum in praefata declaratione facienda prae oculis haberi debere saluberrimas regulas, quae ea de re leguntur in Instructione iussu Sanctitatis Suae exarata die 26. Sept. 1791. super quibusdam quaestionibus a Galliarum Eppis propositis. — Romae die 28. Maii 1792. F. X. Card. de Zelada.

1060. *Breve ad Eppos Gall. quoad* **intrusos Ecclesiasticos** *et illegitime ordinatos ad sinum Ecclesiae reverti cupientes. 1792.* Ubi Lutetiam Parisiorum pervenit apostolicum quarumdam extraord. facultatum Indultum, quas nos die 19 superioris Martii concessimus omnibus AEppis, Eppis, et administratoribus dioecesium regni Galliarum, confestim confratres vestri in ea urbe commorantes, qui nomine totius coetus Eppalis Indultum ipsum impetraverant, facile intellexerunt, inter facultates sibi concessas omissam fuisse *facultatem absolvendi ecclesiasticos intrusos;* et arbitrantes hoc ipsum nonnisi ex huiusmodi casus oblivione accidisse, nos iterum supplices adierunt etiam atque etiam postulantes, ut hanc quoque facultatem nova formula comprehenderemus. Subinde vestri item confratres dubitare se declararunt, utrum facultas primo eiusdem Indulti articulo comprehensa ‚absolvendi ab omnibus censuris quoscunque laicos et ecclesiasticos — qui schismati adhaeserunt et iuramentum civicum emiserunt' — adiunctam haberet potestatem absolvendi ecclesiasticos etiam intrusos, quorum crimen illorum crimen antecellit, qui civico se tantum sacramento obstrinxerunt, et de quibus in eo articulo specialis mentio facta fuerat. In hac rerum ambiguitate sancte religioseque iidem Eppi professi sunt, se quam maxime abhorrere a praetergrediendis limitibus facultatum sibi tributarum; adeoque iterum ad nos confugientes cuiuscunque dubietatis tollendae causa aperte nobis significarunt, se maxime optare, ut Eppis tribueretur facultas intrusis conci-

liandi Ecclesiae gratiam, eosque a censuris solvendi; cum haec facultas non solum nihil haberet periculi, sed magno etiam religioni esse posset emolumento. Vestra haec agendi ratio digna sane est, quam summis laudibus, sicut alias fecimus, extollamus. Nos itaque parati ac promti vestris petitionibus obsecundandis in iis omnibus, quae in Domino expedire nobis videntur, in animum nostrum inducimus novam vobis impertiri facultatem, quae latius pateat, et quae egregiis vestris sensibus respondeat, quaeque uno eodemque tempore et canonicis regulis, et Ecclesiae consvetudini satisfaciat. Illud tamen in antecessum animadvertamus oportet, quod sedulo perpensis iis, quae ad nos prima et altera vice detulistis, liquido patet, illas inter facultates, quae Indulto generali continentur, comprehensam per nos minime fuisse facultatem absolvendi ecclesiasticos intrusos. Cuius quidem facultatis omissio ex oblivione proficisci non potuit; dum enim nostris obversarentur oculis apostolicae nostrae literae diei 13 Apr. 1791, in quibus non tantum fiebat mentio de crimine praestiti civici sacramenti, sed de alio etiam crimine sermo habebatur, quo sese polluerant Ecclesiarum Eppalium et parochialium invasores, ea nos fugere minime poterant, quae tam ad primum quam secundum crimen pertinebant. Quodsi alterum ex illis a nobis fuit in cit. art. I conceptis verbis commemoratum, alterum silentio praeteritum, nil magis luculenter magisque dilucide argui potest, quam casum, de quo verba fecimus, per nos concessum fuisse, casum vero, de quo facta nulla mentio est, fuisse nobis unice reservatum. Cur autem minime concederemus aliis sed nobis duntaxat reservaremus hanc intrusos absolvendi facultatem, in causa profecto fuit maximum illud, quod unum inter alterumque flagitium intercedit discrimen, quod sane a vestris ipsis confratribus animadversum est, quodque in omnium oculos incurrit. Etenim quamvis gravi crimine ii teneantur, qui civico sacramento sese obstrinxerunt, vi cuius religione interposita unusquisque promittit servaturum se Constitutionem, quae iuxta sententiam totius Eppalis coetus Gallicani iuxtaque solemnem declarationem nostram est partim haeretica et partim schismatica: multo tamen maiori et graviori flagitio tenetur ille, qui prudens ac sciens ad exequendum progreditur id, quod iureiurando promiserat, quique sive sacrilege sive rite consecratus — illegitimam nactus missionem ac potestatem Ec-

clesias vel eppales vel parochiales invadit, quique demum segregatus ab hac Apost. Sede et ab legitimis Eppis, tot peccatis peccata quotidie inaudita celeritate cumulat, quot illegitimae iurisdictionis actus exercet, dum magis augusta sacramenta profanat, dum populos misere in errorem inducit, dum novam invehit in regnum constitutionalem ecclesiam, re, legibus et nomine a Iesu Christi Ecclesia diversam, dumque manu sua schismati latissimam sternit viam. Quod ut e medio tollatur, iure ac merito ad S. hanc Sedem confugiendum erat, utpote quae iniuria praesertim afficitur, quaeque opportunum etiam potest adhibere indulgentiae modum, non facile ordinateque servandum, ubi absolvendi facultas multorum permitteretur arbitrio.

Minime certe vos latet, ven. fratres, quanta severitate usa sit Ecclesia adversus huiusmodi reos. Animadvertens enim id, quod intercedit discrimen eos inter, qui suo infortunio parentes haereticos habuerunt, et inter eos, qui e parentibus catholicis progeniti sponte sua ad haereticorum partes transgrediuntur, aliter factos aliter natos haereticos atque schismaticos semper tractavit, in istos longe rigidior, utpote longe gravius reos. Hic agendi rigor multo etiam magis adhibitus est in ecclesiasticos viros, ita, ut sciamus adversus ipsos adhibitas fuisse minas, ut si quis studio ad haereticum ierit, et susceperit ordinationem, sine receptione sit. (Const. Cypr. Metrop. in Act. I Synodi 7 Gen.) Hunc Ecclesiae agendi rigorem commemorat S. Innocentius I. Scribens enim ad Rufum et alios Macedoniae Eppos docuit, Eppum aut Clericum in haeresi aut schismate ordinatum seu in illud postmodum lapsum laica tantum communione gaudere, iuxta veteres regulas, quas ab Apostolis vel apostolicis viris traditas Ecclesia Romana custodit. Et quamvis a Patribus Concilii Nicaeni I quidam adhibitus fuerit modus erga Novatianos, dum Can. 8 indulserunt, ut si quando venerint ad Ecclesiam, Clerici in Clero permaneant, et is, qui nominatur apud eos Eppus, honorem presbyterii possideat, nisi forte placuerit Eppo nominis eum honore censeri: voluerunt tamen, ut anteire deberent certiora argumenta ciurati erroris, adeoque nonnulla ab iis praestanda esse decreverunt, scilicet primo: haec autem prae omnibus eos scriptis convenit profiteri, quod Cath. et Apost. Ecclesiae dogmata suscipiant et sequantur; secundo, ut etiam in eos qui in persecutione prolapsi sunt, ad faciendum eorum

resipiscentiae periculum servarentur et spatia constituta et tempora definita, quatuor illi scilicet poenitentiae gradus, qui iuxta tunc vigentem disciplinam debebant reconciliationem sacramentorumque susceptionem antevertere; et decreverunt denique, ut ecclesias occupatas abdicarent, easque Eppis legitimis dimitterent. Etenim illud certum est, veluti memorati Patres dixerunt, quod Eppus Ecclesiae habebit Eppi dignitatem, ne in una civitate duo Eppi probentur existere. Cum Rufus Thessalonicensis Eppus huius Nicoeni Canonis vi Clericos a Photinianis Eppis ordinatos recipere vellet, eaque de re consuluisset S. Innocentium I, respondit Pontifex: ‚possum dicere, de solis hoc Novatianis esse praeceptum, nec ad aliarum haeresum Clericos pertinere; nam si utique de omnibus ita definirent, addidissent, a Novatianis aliisque haereticis revertentes debere in suum ordinem recipi.‘ Imo S. Pontifex hac occasione docuit, obiici non posse peculiarem indulgentiam aliquando adhibitam, eo, quod satis constaret actum fuisse quasi dispensatorie pro remedio ac necessitate temporis. Neque alia certe fuit S. Hieronymi sententia. Disserens enim de Eppis lapsis in Synodo Ariminensi, censuit eos de soliis eppalibus deiectos debuisse inter laicos redigi ad perpetuas de scelere lacrymas effundendas. Consideravit tamen S. Doctor posse nonnihil de huiusmodi rigore aliquando remitti, utque remissio huiusmodi certis esset regulis circumscripta, in Synodo Alexandrina, cui S. Athanasius, Hilarius Pictaviensis, et Eusebius Vercellensis interfuerunt, placuit statuere, quoad sceleris principes atque auctores, quos error excusare non poterat, servari illaesum antiquum Ecclesiae canonem, alios vero poenitentes Ecclesiae posse sociari; consensitque Romana et Occidentalis omnis Ecclesia, veluti idem S. Hieronymus testatur.

Hinc minime nos recedemus ab aequitate et indulgentia postmodum in Ecclesiam recepta, si, postulantibus vobis generatim intrusorum absolvendorum facultatem, *secernentur a nobis presbyteri aliique inferioris ordinis eccles. viri ab AEppis et ab Eppis ordinis superioris.* Ad *presbyteros* aliosque eccles. viros quod spectat, per nos in quarta et quinta classe comprehensos apostolicarum literarum diei 19 Martii, *concedimus ad annum unicuique vestrum facultatem absolvendi* per vos ipsos aut presbyteros delegandos a vobis eos omnes, qui sive illegitime sive legitime ordinati aut integras parochias aut earum

partem invaserint et actus exercuerint sibi ab Eppis intrusis delegatos, atque hos in gratiam Ecclesiae conciliandi, ita, ut ii iuxta indulgentiam memorati Canonis 8 Nicaeni Concilii permaneant in Clero. Et ne absolutiones huiusmodi inconsulto concedantur, aut sint inter se difformes, inhaerentes nos praedicto C. Nicaeno et benigniori Ecclesiae disciplinae, *iubemus intrusorum absolvi neminem, nisi prius scripto eiuraverit civicum sacramentum, illosque errores, qui civili Constitutione Cleri Gallicani continentur, et nisi declaraverit speciatim sacrilegas esse ordinationes ab intrusis sive receptas sive peractas, irritam esse collatam ab iis auctoritatem, iniustamque et nullam esse intrusionem una cum actibus inde consecutis, et nisi iureiurando promiserit, se Apost. huic Sedi legitimisque Eppis obtemperaturum, et nisi denique parochiam eiusve partem reapse abdicaverit;* eorumque eiuratio atque abdicatio publica fuerit, perinde ac crimen quoque publicum fuit iniunctis eorum singulis, quantum Spiritus et prudentia suggesserit, ut aiunt Tridentini Patres, pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutaribus et convenientibus satisfactionibus loco publicae poenitentiae graduum, quos vigentes Nicaeni Concilii tempore postmodum Ecclesiae pietas moderata est, *reservataque nobis facultate idoneos reddendi eos, qui absolventur, habendis retinendisque beneficiis atque parochiis,* per ipsos non rite occupatis et possessis. Dum vobis ampliorem hanc facultatem impertimur absolvendi etiam a nefario intrusionis sacrilegio Ecclesiasticos inferioris ordinis, non possumus equidem, quin vos simul et Ecclesiasticos huiusmodi paterne commoneamus. Vos, inquimus, ut caute utamini tributa facultate ad aedificationem, utque religiose eas servetis, quae vobis praescribuntur, conditiones; Ecclesiasticos autem poenitentes, ut grato in nostram indulgentiam animo nullam simulationem adhibeant, utpote quae non modo ipsis nulli esset adiumento, sed etiam eosdem in maius exitium coniiceret. Absoluti enim coram Ecclesia absoluti minime essent coram Deo, medicinamque ipsam in venenum converterent. Et si Spiritum S. non habent qui segregant semetipsos, certe nec ille cum percipit, qui fictus est in Ecclesia, quoniam et inde scriptum est : Spiritus enim S. disciplinae effugiet fictum. (Sap. 1, 5.) Qui vult ergo habere Spiritum S. caveat in Ecclesiam simulatus intrare, aut si iam talis intravit, caveat

in eadem simulatione persistere, ut veraciter coalescat arbori vitae. Insuper ad quamcumque ambiguitatem submovendam illud adiungimus, ut facultates memorato Indulto generali comprehensae, non secus atque illae facultates, quae hisce continentur literis, concessae intelligantur tam Gallis quam exteris AEppis et Eppis pro iis populis, iisque dioecesium partibus, quas habent in regno Galliarum. Ad *AEppos* vero et *Eppos superioris eccles. ordinis* quod attinet, *sive sint consecratores, et assistentes, sive intrusi, sive etiam iureiurando civico obstricti,* iuxta primam, secundam, tertiamque classem nostrarum literarum diei 19 Martii, *satis opportunum existimamus unice nobis nostrisque successoribus reservare illorum absolvendorum facultatem.* Quod enim super eorum defectione cadit iudicium, multo aliis gravius est iisque longe antecellit: nam eorum quidam sunt totius sceleris principes, omnes autem possunt vere dici auctores exitialis schismatis, quod per totum istud regnum misere debacchatur, adeoque digni sunt iuxta memoratos canones, ut cum iis aliquanto rigidius agatur. Hac autem reservatione nolumus sane, ut eorum animi frangantur ac deiiciantur, sed maxime cupimus, ut illorum tanto magis excitetur fiducia communem Matrem adeundi, et ad eam alacriter confugiendi; si enim sincera eorum erit poenitentia, velintque plenis satisfactionibus male gesta condemnare, et ecclesias occupatas dimittere, declaravimus iam cum S. Leone, idemque modo iterum declaramus, eos per nos apertis ulnis exceptum iri et pacis communionisque nostrae unitate fruituros. Nostra enim ac vestra consilia non alio spectant, quam eo, ut errantes ad ovile reducantur, utque schismati finis demum imponatur, veluti indesinenter fusis lacrimis Deum O. M. deprecamur.

Post haec vix opus esset, ut vos admoneremus cuiusdam scripti, nunc ad nos delati, quod schismatici, desperantes omnino tueri se amplius posse auctoritate sua apud omnes abiecta atque pessumdata, ausi sunt nostro nomine in vulgus edere praefixo titulo literarum in forma Brevis Gallica et Germanica lingva conscriptarum, perinde ac si illae datae fuissent ‚a Rome a Sainte Marie Majeure, sous l' anneau du Pécheur le 2 Avril 1792.' quatuordecim scilicet diebus post ultimas nostras literas, quibus adscripta est dies 19 praeteriti Martii. Hae falsae literae, quarum initium est ‚Notre coeur paternel,' inaudita teme-

ritate falsas declarant omnes apost. literas a nobis exaratas atque vulgatas adversus civilem Constitutionem Cleri Galliarum, eiusque auctores atque fautores, exuunt Sanctam hanc Sedem suo iurisdictionis primatu, plurimis laudibus prosequuntur universam Constitutionem, hortanturque populos, ut Eppis et Parochis constitutionalibus pareant. Oh infelix astutia! quasi unicuique non pateret harum literarum falsitas, atque calumnia, sive locus inspiciatur ubi datas fuisse confingitur, nos enim die 2 Aprilis morabamur quemadmodum moramur adhuc non apud S. Mariam Maiorem, sed apud S. Petrum; sive animadvertatur integer contextus et continuatio sermonis quo fuerunt conscriptae; ibi enim dum assveta ipsisque familiari circumventione utuntur, nullum afferunt argumentum, quod centies non fuerit refutatum atque reiectum, ita ut vere dici possit, tot in illis errores esse quot verba. Nihilominus ne simplices decipiantur, inhaerentes nos iis, quae adversus huiusmodi corrupta monumenta postremis literis nostris expressimus, hoc scriptum declaramus falsum, commentitium, calumniosum, haereticum, atque schismaticum, illudque reiicimus, reprobamus, atque damnamus. Quo maiores sunt adversariorum nostrorum fraudes, eo maior debet esse nostra ac vestra vigilantia. Hanc vobis commendamus etiam atque etiam, dum interea vobis vestraeque curae concreditis gregibus apost. bened. peramanter impertimur. Datum Romae die 13. Iunii 1792.

1061. *Rescriptum Card. Secr. Status ad quaestiones de intrusis per Eppos propositas. 1794.* Sollicitudo omnium Ecclesiarum, qua premitur SSmus Dnus noster Pius Divina providentia Papa VI, atque ardens studium iis omnibus opitulandi, qui difficilima nacti tempora Gallicanis praesunt Ecclesiis, quemadmodum in causa semper fuit, ita et nunc est, ut nihil omittat corum quae ostendant in tenebris lumen, ac praemonstrent viam planam in asperis et semitam bonam, per quam ambulent fideles, ne forte offendant ad lapidem pedes suos. Huius autem sollicitudinis et studii innumera iam et amplissima Galliarum Eppi habuere documenta. Notum enim iam est non in Galliis tantum, sed in omnibus etiam Catholicorum Principum ditionibus iudicium Apost. Sedis adversus Civilem Constitutionem Cleri R. Galliarum editum ac pervulgatum variis apost. literis, quae iussu Sanctitatis Suae typis editae et circumlatae sunt, ut fideles sibi caverent a perniciosis erroribus, qui in ea continebantur. Novum nunc ac-

cedit sollicitudinis documentum, cum Sanctitas Sua volens omnibus, quantum in se est, prodesse, in unum colligi et typis mandari curat ac publica fieri et communia omnibus Gallicanarum Ecclesiarum Eppis atque Administratoribus vacantium dioecesium communionem et gratiam Sedis Ap. habentibus nec non aliis fidelibus quibuscunque illa responsa illasque decisiones, quae etsi ab eadem Sanctitate Sua audito prius consilio selectae Cardinalium Congregationis nonnullis tantum petentibus traditae sunt non alia de causa, nisi propter peculiares aerumnosas singulorum circumstantias, adiumento tamen quam maximo praefatis Eppis atque Administratoribus esse possunt, qui si forte in eosdem inciderint casus, habent unde regulam desumant tutissimam, ut et promtius et accuratius gravissimis fidelium necessitatibus occurrant, nec non ut in Ecclesiarum statu quoquomodo interim componendo servetur ab omnibus una et fida consensio, verba sunt S. Cypriani ep. 32. Peculiaribus hisce responsis atque decisionibus subiungitur Indultum eiusdem Sanctitatis Suae pro fidelibus regni Galliarum, ut ii possint hoc teterrimae insectationis tempore indulgentias lucrari.

Quaestio I. ‚Num fidelibus liceat diebus ferialibus sacrificio Eucharistico assistere celebrato a parocho aut simplici presbytero, qui civicum iuramentum emiserint?‘ *Qu. II.* ‚Num fidelibus liceat Dominicis aliisque Festis de praecepto diebus Eucharistico Sacrificio assistere a praememoratis sacerdotibus celebrato?‘ *Qu. III.* ‚Num fidelibus liceat assistere Vesperis quae celebrantur, aliisque publicis precibus, quae recitantur sub directione parochi aut presbyteri iurati?‘ His tribus quaestionibus responsum fuit ut sequitur: *Non licere fidelibus sive diebus ferialibus sive dominicis aliisque festis de praecepto diebus Missae assistere celebratae a parocho vel simplici presbytero, qui civicum iuramentum emiserint, neque eisdem fidelibus licere Vesperis publicisque precibus assistere, quibus parochus vel simplex presbyter iuratus praeest.* Cum enim vetita expresse fuerit a SSmo Dno nostro per literas apostolicas in forma Brevis diei 19 Mart. sup. anni quaevis communicatio praesertim in divinis cum intrusis et refractariis quocunque nomine appellentur, evidens profecto est vetitam eo ipso fuisse communicationem in divinis cum parochis simplicibusque presbyteris iuratis, quos refractariorum nomine venire nemo prudens ambiget. Iam vero si

fideles assisterent —, cum ipsis profecto in divinis communicarent. Ex quo illud consequitur, abstinere fideles debere ab assistendo tum diebus ferialibus etc. — *Quaestio IV.* ‚Num *absolutionem* et *communionem* quovis anni tempore praesertim vero tempore paschali a parocho iurato petere fidelibus licebat? Responsum fuit eadem prorsus ratione ac ad praecedentes. *Quaestio V.* ‚Num *parochum iuratum* fideles adire licite possint pro sacramentis *baptismatis* et *matrimonii?*‘ Responsum fuit: *non licere,* excepto tamen, ubi res sit de baptismo, casu extremae necessitatis, in quo non adesset alius valens baptisare. *Quaestio VI.* ‚Num Catholicis licitum sit *patrini* munere fungi in baptismate administrato a parocho sive presbytero iurato?‘ Responsum fuit: *Non licere,* — ne cum ipso in divinis communicent. *Quaestio VII.* ‚Num fidelibus liceat patrini munere fungi in baptismate collato a *parocho intruso?*‘ Responsum fuit: *Non licere:* — cum enim parochus intrusus *schismaticus* profecto sit, eiusque schisma evidentissime constet, ex eo fit, ut actio catholici infantem de sacro fonte levantis in baptismate a parocho intruso administrato, quacunque ex parte spectetur, vitiosa, mala, et prohibita esse deprehendatur. Nam catholicus hac sua actione cooperatur in schismate, imo schismatis crimen ipso suo facto approbat, intrusumque pro legitimo parocho agnoscit et colit, ut fusius declaratur in Instructione Sanctitatis Suae iussu exarata die 26. Sept. 1791. super baptismo, matrimonio, et sepulturis. *Quaestio VIII.* ‚Num mulieribus post puerperium fas sit praesentes se sistere parocho aut presbytero iurato, ut benedictionem ab ipso accipiant, quae in Rituali Romano praescripta legitur: *pro benedictione mulieris post partum,* itemque Missae assistere a parocho aut presbytero iurato celebratae? ‚Responsum fuit: *Non licere* — quoniam id esset cum ipso in divinis communicare, eo vel magis, quod nullo adstringuntur praecepto mulieres, accipere post partum benedictionem, sed praestare id solent solummodo ex pia ac laudabili consuetudine, ut legitur in Rituali Romano; neque ferendum esse, mulieres ea occasione assistere Missae celebratae a parocho vel presbytero iurato ob rationem saepe saepius indicatam. *Quaestio IX.* ‚Num licite fideles *in articulo vel periculo mortis* possint *absolutionem* recipere a sacerdote iurato et a parocho intruso?‘ Responsum fuit: *non esse improbandam* rationem, quam inierunt nonnulli

Gallicani Praesules, qui in articulo vel periculo mortis Poenitentiae Sacramentum, quod est secunda post naufragium tabula, a sacerdotibus iuratis ac etiam a parochis intrusis recipi posse permiserunt, deficiente quovis alio catholico sacerdote. *Quaestio X.* ‚Num licitum sit sacerdotibus non ieiunis hostias consumere a sacerdotibus catholicis consecratas, ne in manus deveniant intrusorum?' Responsum fuit: *licere sacerdotibus non ieiunis hostias consumere a catholicis sacerdotibus consecratas, ne in manus intrusorum veniant*, quoties alius sacerdos ieiunus non adsit, nec alia ratione consuli possit reverentiae iisdem hostiis debitae. *Quaestio XI.* ‚Num fidelibus liceat genua flectere coram hostiis consecratis ab intrusis? Responsum fuit: *fideles genua flectere debere coram hostiis consecratis ab intrusis*, cum in iis contineatur vere, realiter, et substantialiter Corpus et Sanguis una cum anima et Divinitate D. N. I. C. Ne vero in eiusmodi cultu praestando immiscere se videantur catholici cum schismaticis, curabunt iidem catholici occasiones declinare occursus schismaticorum cum sacramentum deferunt. *Quaestio XII.* ‚Quibus poenis subiiciendi sint sive ecclesiastici sive laici, qui praestiterunt *iuramentum de libertate et aequalitate* servanda?' Responsum fuit: non esse locum pro nunc poenis canonicis nondum edito per SSmum D. N. iudicio super praefato iuramento, sed monendos esse et laicos et ecclesiasticos, qui idem iuramentum praestiterunt, ut consulant conscientiae suae, cum in dubio iurare non liceat. *Quaestio XIII.* ‚Postulata interdum fuit a SS. D. N. pro aliquo ex Vicariis Generalibus dioecesium regni Galliarum et pro aliis simplicibus sacerdotibus *facultas consecrandi oleum infirmorum, oleum catechumenorum,* et *S. Chrisma* extra tempora eo, quod deerat triplex oleum commemoratum et deerat pariter Eppus consecrator tum in dioecesi carente triplici oleo supra dicto, tum in vicinis dioecesibus legitimo Pastore orbatis?' Huic petitioni satisfactum est sequentem in modum: *Non expedire facultatem tribui simplicibus sacerdotibus consecrandi triplex oleum* praememoratum, cum deprehensum fuerit insvetum esse in Ecclesia Latina huiusmodi potestate simplices presbyteros ab Apost. Sede insigniri: a qua quidem regula eo minus recedi posse iudicatum est, quod impossibile non sit triplex oleum a Catholico Eppo benedictum si non ex proximis, ex remotis saltem dioecesibus habere. Ne autem pro-

pter deficientiam S. Chrismatis et olei infirmorum carere cogantur fideles sacramentis tum confirmationis, tum extremae unctionis opportunum visum est monere Vicarium Generalem proponentem huiusmodi petitionem, muneris sui esse luctuosissimis hisce temporibus curare, ut vel ex proximis vel saltem ex remotis regionibus in dioecesim, in qua ipse fungebatur munere Vicarii Generalis, transferretur citius ac fieri posset oleum infirmorum et S. Chrisma: quod profecto deprehensum fuit non esse difficile, si debita cum cautione oleorum transportatio perageretur. Iis autem habitis ne in posterum deficerent, insinuatum ei fuit, ut prae oculis haberet regulam, quae in Rituali Romano praescribitur Tit. 2. C. 1. §. 23: ‚Si deficere videantur vetera olea, et chrisma, aut oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, sed in minori quantitate;‘ neque praetermissum fuit eundem certiorem reddere, posse oleo benedicto adiungi non benedictum pluribus vicibus, ita, ut oleum adiunctum consideratum separatim et in unaquaque admixtione sit in minori quantitate, quam oleum benedictum, quamvis consideratis omnibus additionibus simul fiat quantitas maior non benedicti, quemadmodum resolutum fuit a S. Congr. Conc. die 23 Sept. 1682.

Indultum SSmi Dni nostri pro fidelibus regni Galliarum, ut possint hoc persecutionis tempore indulgentias lucrari: Sanctitas Sua de consilio selectae Cardinalium Congregationis benigne indulget fidelibus regni Galliarum ad annum, si tamdiu horum temporum calamitas perduraverit, ut deficientibus sacerdotibus, qui confessiones excipere valeant praefixo tempore, fideles utriusque sexus eiusdem regni indulgentias consequi possint, tum ab eadem Sanctitate Sua tum a Romanis Pontificibus praedecessoribus concessas, sacramentali confessione non praemissa, modo actum Contritionis eliciant, cum proposito confitendi quamprimum fieri poterit. Item eadem Sanctitas Sua benigne indulget, ut iidem fideles propter deficientiam Ecclesiarum indulgentias consequi valeant, preces a Sanctitate Sua aut a praedecessoribus suis praescriptas recitantes privatis in domibus adinstar Oratoriorum decenter redactis, in quibus catholici coguntur sacra facere. Romae die 1. April 1794. F. X. Card. de Zelada. — **Collectio Brevium** *Pii VI.* cit. I. 178. 184. 234. 256. 300. 330.

1062.

Pius VI PP. ad AEppum **Lugdunensem** de nonnullis dubiis, quae circa sensum facultatum quoad absolvendos **sacerdotes iuratos ac intrusos** emerserunt, A. 1792.

MON. Si eas inter angustias, quae misere Galliarum regnum divexant, atque obruunt, tibi tuisque confratribus solatio est ad Apstolicam hanc Sedem confugere, veluti postremae literae tuae die 10 proxime elapsi mensis Augusti ad nos datae egregie testantur, nos etiam, qui tuarum angustiarum participes sumus, maiori equidem afficimur consolatione, dum apostolico fungimur ministerio, quod Iesus Christus Petro primum, et omnibus deinde eius successoribus per haec divina verba contulit : Pasce oves, confirma fratres. Iure quidem ac merito tu suspicis ac demiraris ordinem divinae sapientiae, quae malum ipsum convertens in bonum, veram Eppis reddidit libertatem adeundi supremum Ecclesiae Caput, eiusque responsa postulandi atque amplectendi, arctius colligatis iis unionis vinculis, quibus Eppi adstricti teneri debent Petri Cathedrae, eique adhaerescere, quaeque antea sub quadam *Libertatum* specie non sine Epporum bonorum dolore nimium delapsa erant, atque remissa, veluti tu ven. frater tuis bene multis collegis adiunctus luculenter ostendis in tua pastorali epistola die 1 praet. mensis Maii perscripta, quam nos ingenti animi nostri laetitia perlegimus. Hinc commendantes nos tuum ardorem tuumque studium nihil optamus magis in re, quae tanti interest ad Religionem sartam tectamque tuendam, quam ut istiusmodi veritas mirabili providentiae beneficio cognita atque perspecta miserrimo aerumnarum tempore altius uniuscuiusque animo infigatur, et ut integra tunc etiam servetur, et maneat, cum Deus O. M. nostris vestrisque precibus exoratus regionibus istis pacem tranquillitatemque restituet. Quoadusque Eppi haerebunt Ecclesiae Capiti, delebuntur errores, ac veritas triumphabit. ‚Unitas enim, ut verbis utamur orationis habitae in C. Turonensi a. 1163. tempore Alexandri III,

concordiam parit, concordia mater est unitatis, unitas vero fidei tribuit libertatem; ex fide quidem vita nobis et victoria est, quae vincit mundum, regnum satanae, regnum mundi, si steterimus simul, Ecclesia Dei apparebit terribilis, ut castrorum acies ordinata.' —

— At par est, ut ad praecipuum veniamus tuarum literarum argumentum, ad dubium scilicet, quod tu nobis proponendum putas, absque eo tamen quod ea dissimules rationum momenta, quae contra facere videantur. Dubium huiusmodi ex diversis partibus constat, quae a nobis pro temporis et rerum varietate ita distingventur, ut nullus ambiguitati sit locus; aliae enim partes illud respiciunt, quomodo intelligenda sint ea facultatum indulta quae nos iuxta vota Epporum Galliarum eadem postulantium concessimus; aliae ad modum rationemque pertinent quibus adhibere illa optares.

Primum sibi vindicat locum ea postulatio, num articulo 11 nostri Apostolici indulti diei 19 Martii huius anni, quo facultatem tribuimus absolvendi Ecclesiasticos promovendos ab irregularitatibus, num, inquimus, mens nostra fuerit comprehendendi irregularitatem manantem ex delicto non iam occulto, sed publico, eo quod scilicet violata fuerit suspensio ab exercitio ordinis, quam nos apost. literis diei 13 Aprilis superioris anni adversus eos indixeramus, qui intra 40 dies suum civicum sacramentum non eiurassent. Primae huic petitioni tuae facilis est et promta responsio: ipse enim satis nosti, concessam per nos fuisse Eppis citato articulo 11 facultatem dispensandi promovendos super irregularitatibus quoquomodo incursis, et etiam ab illa, quam incurrerunt violatores suspensionis latae per easdem apost. literas diei 13 Aprilis. Cum itaque late pateat concessio absolvendi super irregularitatibus quoquomodo incursis, cumque praeterea eam ipsam irregularitatem comprehendat, quae manat ex publica violatione suspensionis inflictae per nostras literas die 13 Aprilis, nulla excitari potest de nostra voluntate disceptatio. Eo vel magis, quia idem articulus haec habet adiuncta verba: exceptis tamen irregularitatibus, quae proveniunt ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario. Iam vero ignorat nemo, talem esse exceptionis naturam ac vim, ut quidquid minime exceptione comprehenditur, concessum absque dubio fuisse intelligatur. Hinc liberum erit Eppis dispensandi ab

hac etiam irregularitate, quoties iisdem constiterit, eas adesse conditiones, quae hac de causa requiruntur, quaeque eodem articulo 11 praescribuntur.

Altera sequitur petitio tua, num reservantes nos alio indulto diei 13 Iunii facultatem nobismetipsis idoneos reddendi eos inferioris ordinis Ecclesiasticos intrusos, qui ab Eppis absolventur, ad habenda ac retinenda beneficia, atque parochias per ipsos non rite occupatas, num, inquimus, illa etiam comprehenderimus beneficia, easque parochias, quas iidem Ecclesiastici intrusi rite et canonice possidebant, antequam civilis Cleri constitutio ederetur, adeoque ante ipsam intrusionem et schisma? Aeque facilis secundae huic petitioni est atque expedita responsio; certo enim constat illud, quod modeste affirmas tibi ipsi videri, ut scilicet, cum reservatio conceptis verbis beneficia tantum et parochias respiciat per intrusos non rite occupatas, minime possit illa etiam beneficia easque parochias comprehendere, quae ab ipsis intrusis ante schisma iusto titulo possidebantur. His verbis, quae a te quoque iusta lance perpensa sunt, mirum in modum sensus etiam respondet; qui enim reservat sibi facultatem intrusos reddendi idoneos ad beneficia non rite occupata, satis liquido patet reservare sibi minime voluisse beneficia, quae canonice ab intrusis ante intrusionem possidebantur. Respondet quoque intrinsecum illud, quod inter utrumque beneficiorum genus intercedit discrimen: ad beneficia enim occupata quod attinet, deficit intruso canonicus titulus, quo nequaquam destituitur ad ea retinenda beneficia, quae ante intrusionem nactus legitime fuerat.

Hac cognita veritate postulas tertio, num beneficia legitime etiam quaesita amittantur, et vacent ob maximam delicti acerbitatem, tam ab instrusione quam ab irregularitate manantem? Haec porro quaestio tollitur ex iis ipsis rationibus e canonico iure depromtis, et a te ea, qua praestas, sacrae iurisprudentiae scientia commemoratis. Si enim sanctione canonici iuris, cui celebriorum theologorum doctrina est consentanea, intrusionis et irregularitatis rei non sunt ipso iure privati sed tantum privandi beneficiis, quae legitime antea possidebant, illud necessario sequitur, ut ad inducendam huiusmodi beneficiorum amissionem atque vacantiam praecedere omnino debeat latum de privatione iudicium; iudicium, quod semper intercedat oportet, ubi priva-

tio indicta non est per sacros canones ipso iure. Quapropter si iudicium huiusmodi nondum latum est, et rursus si eo deficiente beneficiatus licet atrociorum criminum reus, ut tu pergis, nec beneficio, quo canonice gaudet, nec eius fructibus privatur, nemo non videt, reservationem per nos factam nullo modo potuisse super ea beneficia cadere, quae legitime ab intruso acquisita minime vacabant, sive propter intrusionem, sive propter irregularitatem, quae postea est consecuta. Exclusa hac beneficiorum legitime quaesitorum vacatione ipso facto et ipso iure, exponendam nobis adgrederis absurditatem, et maximum scandali genus, quod non tuam dioecesim modo, sed alias etiam Galliarum regni diocceses pervaderet, si ad Capitula, et ad parochiarum regimen ii conspicerentur regredi Ecclesiastici viri, qui absoluti fuissent, propter poenitentiam fortasse minus veram, ac simulatam, qua necesse quidem est, ut Eppi contenti esse debeant; unus enim Deus intuetur cor; illi nempe Ecclesiastici, qui semper iisdem erunt suspicionibus obnoxii, qui semper promti erunt iisdem turbis ciendis, quamvis res omnes ad suum ordinem revertantur, et qui denique cunctis Ecclesiae censuris se subiecerint, et contumaci animo expectaverint, dum nos, quod minati iam fuimus, anathematis fulmine eos percelleremus.

Post haec quaeris ultimo loco, utrum expediat huiusmodi intrusos, qui ante intrusionem legitime beneficiis et parochiis fruebantur, ubi se Eppis sistent, ut a censuris solvantur, praedictis exui beneficiis, tunc cum in gratiam Ecclesiae conciliantur, et utrum privatio huiusmodi, quae potest cum absolutione esse coniuncta, ferri et pronunciari debeat peculiari quodam iudicio, secundum iuris censuram superius traditam: ‚non sunt ipso iure privati, sed tantum privandi.‘ Antequam de ratione iudicium feramus, quae ineunda esse proponitur, oportet sedula animadversione perpendi eam, quam affers, absurditatem, attente consideratis personis intrusorum, qui canonico titulo frui possunt beneficiis et etiam parochiis, et iusto discrimine habito inter dociles et pervicaces intrusos. Si de personis sermo instituatur, non alii intrusi iactare possunt canonicum titulum, super beneficiis generis cuiuscunque, quam qui legitime ordinati sunt, veluti tu ipse affirmas, antequam ederetur civilis Cleri constitutio, quique canonice aucti sunt ante schisma beneficiis iisdem per pastores legitimos praevio habito examine de illorum

doctrina, moribus, atque idoneitate. Hi porro, quibus favet legitimorum Epporum iudicium, toto genere differunt ab eorum foece atque colluvie, qui sacrilege a pseudo-Eppis ordinati et illegitime beneficiis ditati sunt, adeoque nullam merito edere possunt offensionem et scandalum, si sua culpa per sinceram numerisque omnibus absolutam satisfactionem expiata, ad ea beneficia, et ad eas parochias revertuntur, quibus olim digni iudicati fuerant, et in quarum possessionem fuerant legitime immissi. Cessat insuper magis ac magis ea, quae timetur, absurditas, si recte distingvantur intrusi in errore, et in schismate pertinaces, qui Ecclesiae benignitate abutentes non ante absolvi se petent, quam nos ad severitatem adhibendam adacti adversus ipsos anathematis sententiam ediderimus; et rursus si recte distingvantur intrusi dociles, atque obsequentes, qui ampliori temporis spatio proficientes, quod nos adhuc errantibus largiendum esse putamus, absolvi se postulabunt, antequam fuerint per nos severitati manus appositae. Ad intrusos reluctantes quod pertinet, nihil est, quod timeas tu aut alii Eppi Galliarum confratres tui illos aspicere ad sua munera revocari, et ad suas parochias reverti legitime quaesitas. Etenim nos de eorum pertinacia certiores effecti antequam anathematis fulmen eiaculemur, aut dum anathematis iudicium ipsum feremus, veluti nobis expedire magis videbitur, eos omnes quocunque beneficio edita sententia exuemus. Quae quidem sententia eorum pervicaciae debetur, et comitari merito solet excommunicationem ipsam maiorem, cum nihil absurdius sit, quam ut qui sunt extra Ecclesiam, ii Ecclesiae beneficiis potiantur. Ad intrusos vero quod spectat dociles, et obsequentes, multum profecto a canonum censura abhorreret, nimiumque Ecclesiae adversaretur benignitati, et a poenitentia revocaret errantes, si per nos ratio iniretur, quam nobis proponis, illos exuendi beneficiis legitime ante schisma quaesitis, et huiusmodi severitatem eo praesertim tempore adhibendi, quo iidem patratorum criminum absolutionem petunt, quae publice editis argumentis antea sunt detestati, cum privatio, quae est poena non iam in pervicaces inflicta, componi minime possit cum poenitentia ipsa et cum absolutione.

Utere tu, ven. frater, tecumque reliqui Galliarum Eppi utantur, veluti non dubitamus futurum, ea severitate, quam nos ante absolutionem iussimus adhiberi; sed si praescriptae con-

ditiones servabuntur, procul certe aberunt, quantum fieri potest, simulatae et commentitiae poenitentiae, nec ullus erit scandalo aut offensioni locus, si Ecclesiasticus quidam non poenae timore perterritus, sed paternis hortamentis illectus, et sincera animi poenitentia ductus, erit a privatione beneficiorum immunis, quae est poena obstinationis; et rursus si idem, postquam Ecclesiae cumulate satisfecerit, absolvitur, et iuxta canones possessionem repetit eorum beneficiorum, quae legitime antea possidebat. Humani est in errorem labi, sed publica et sincera erroris eiuratio ita maculas omnes eluit, ac delet, ut homini famam, nomenque conciliet, ac pariat, veluti alias per nos multis exemplis demonstratum est ab ecclesiasticae historiae fonte petitis. Apostolus ipse verba faciens de aliquibus ramis fractis dixit: ‚Sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur, potens est enim Deus iterum inserere illos;‘ (Rom. 11, 23.) et haec Apostolica Sedes quanta egit severitate cum obstinatis, qui omnem correctionem detrectant, atque aversantur, tanto se abstinuit a poenitentibus privationis poena plectendis; quinimo absque ullo offensionis metu et nimiae benignitatis reprehensione eosdem paterno amore semper excepit, ultro libenterque permittens, ut eisdem fungantur officiis, quae legitime nacti iam fuerant, et toties ad suam communionem illos recipiens, quoties plenis satisfactionibus male gesta condemnent, et accusare se magis eligant, quam tueri. Non enim in aliquo potest benignitas nostra reprehendi, cum satisfacientes recipimus, quos doluimus esse deceptos, iuxta auream S. Leonis sententiam, quam alias a nobis in medium allatam modo refert iterum commemorare. Hanc ipsam ob causam ducti nos spiritu caritatis, et lenitatis, tametsi praetergressi iam sint fines, quos ad poenitentiam praescripsimus, differendam tamen aliquanto amplius ultionem putamus, ut qui errantes a vitae semita recesserunt, convertantur et vivant. Verum si eorum pervicacia erit talis ac tanta, ut eam frangere nequeat ullus mansvetudinis modus, tunc sane se ipsos incusare debebunt, si ea severitate cum illis agemus, qua utendum omnino est, quaeque tuo tuorumque confratrum in religionem studio satis cumulate faciet. Haec habe ad omnes epistolae tuae partes, et interim tibi tuaeque curae concreditis gregibus apostolicam bene-

dictionem peramanter impertimur. Datum Romae die 12. Sept. 1792. — **Collectio Brevium** *Pii VI.* cit. II. 118.

1063.

Pius VI PP. damnat Acta et decreta **Synodi Pistoriensis** 1786 celebratae A. 1794.

INTR. Iam superius meminimus, Eppum Pistoriensem Scipionem Ricci multas proprio arbitratu suscepisse innovationes in rebus ecclesiasticis, celebrataque a. 1786. Synodo Dioecesana, ampliora adhuc reformatoria prodidisse molimina. Actis huius Synodi subin typo vulgatis, atque ad S. Sedem Apostolicam delatis, siquidem ex iis liquido patesceret, memoratum Praesulem, fictae reformationis aestu abreptum, in dicta Synodo sparsa iam antehac per multiplices libellos pravarum doctrinarum semina in unum quasi corpus compegisse, proscriptosve iam dudum errores resuscitasse : Pius VI Papa instituto curatiore actorum Synodi examine, memorabili dogmatica Bulla, quam hic integram exhibemus, complures doctrinas et assertiones dictae Synodi condemnavit, ac inter has et illam ‚de denominatione Capitis ministerialis Romano Pontifici attributa,' Bulla ipsa magno cum applausu orbis catholici excepta, et tamquam dogmatica constitutione universaliter recepta.

MON. Auctorem fidei et consummatorem Iesum adspicientes nos iubet Apostolus sedulo recogitare, qualem quantamque ille sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne laboribus et periculis defatigati deficiamus aliquando animis nostris, paeneque concidamus. Hac saluberrima cogitatione muniri nos ac refici tum maxime necessum est, quum adversus corpus ipsummet Christi, quod est ecclesia, dirae istius nec unquam desiturae coniurationis aestus acrius exardescit, ut a Domino confortati, et in potentia virtutis eius, scuto fidei protecti resistere possimus in die malo et omnia tela iniquissimi ignea exstinguere. In hoc sane motu temporum, in hac rerum perturbatissima conversione gravis est quidem bonis omnibus contra omnes cuiusque generis Christiani nominis hostes colluctа-

tio subeunda; gravior nobis, quibus pro credita pastorali nostrae sollicitudini gregis totius cura et moderatione maior cunctis Christianae religionis zelus incumbit. Verum in hac ipsa oneris gravitate, quae humeris nostris imposita est, portandi onera omnium, qui gravantur, quo magis conscii nobis sumus infirmitatis nostrae, eo firmiorem in spem erigit nos et sublevat apostolici huiusce muneris in persona B. Petri divinitus instituta ratio, ut, qui semel tradita sibi a Christo ecclesiae gubernacula nunquam derelicturus erat, ipse apostolicae gubernationis onera in illis portare non desineret, quos ei Deus protegendos perpetua successione ac tuendos heredes dedisset.

Et in hisce quidem aerumnis, quae undique circumstant, ad ceterarum molestiarum velut cumulum accessit, ut unde oportuerat nos gaudere, maiorem inde tristitiam hauriremus; quippe quum aliquis sacrosanctae ecclesiae Dei praepositus sub sacerdotis nomine ipsum Christi populum a tramite veritatis in praeceps deviae persuasionis avertit, et hoc in amplissima urbe, tum plane est geminanda lamentatio, et maior sollicitudo adhibenda.

Fuit sane non in ultimis terris, verum in media luce Italiae, sub oculis Urbis, et prope Apostolorum limina; fuit episcopus duplicis sedis honore insignis (Scipio de Riccis antea episcopus Pistorien. et Praten.), quem ad nos pro pastorali munere suscipiendo accedentem paterna caritate complexi sumus, qui vicissim nobis atque huic apostolicae sedi in ipso sacrae suae ordinationis ritu debitam fidem et obedientiam solennis iurisiurandi religione obstrinxit.

Atque is ipse, non longo intervallo postea, quam a complexu nostro cum osculo pacis dimissus ad commissas sibi plebes accessit, conservatorum perversae sapientiae magistrorum fraudibus circumventus eo coepit intendere, ut quam superiores antistites ex ecclesiastica regula laudabilem et pacatam Christianae institutionis formam iam pridem invexerant ac paene defixerant, non ille pro eo, ac debebat, tueretur, coleret, perficeret, sed contra per speciem fictae reformationis importunis inducendis novitatibus perturbaret, convelleret, funditus everteret.

Quin etiam quum et hortatu nostro ad synodum dioecesanam animum adiunxisset, praefracta eius in suo sensu pertinacia effectum est, ut unde remedium aliquod vulnerum petendum

erat, inde gravior pernicies enasceretur. Sane postquam synodus haec Pistoriensis e latebris erupit, in quibus aliquamdiu abdita delituit, nemo fuit de summa religione pie sapienterque sentiens, qui non continuo adverterit, hoc fuisse auctorum consilium, ut quae antea per multiplices libellos pravarum doctrinarum semina sparserant, ea in unum velut corpus compingerent, proscriptos dudum errores exsuscitarent, apostolicis, quibus proscripti sunt, decretis fidem auctoritatemque derogarent.

Quae quum cerneremus, quo graviora sunt per se, tanto impensius pastoralis nostrae sollicitudinis opem efflagitare, mentem convertere non distulimus ad ea capienda consilia, quae surgenti malo vel sanando, vel comprimendo accommodatiora viderentur.

Atque in primis sapientis moniti memores praedecessoris nostri B. Zosimi ea, quae magna sunt, magnum pondus examinis desiderare, synodum ab episcopo editam primum quatuor episcopis, aliisque adiunctis e clero seculari theologis examinandam commisimus; tum et plurium S. R. E. cardinalium, aliorumque episcoporum congregationem deputavimus, qui totam actorum seriem diligenter perpenderent, loca inter se dissita conferrent, excerptas sententias discuterent. Quorum suffragia coram nobis voce, et scripto edita excepimus; qui et synodum universe reprobandam, et plurimas inde collectas propositiones, alias quidem per sese, alias attenta sententiarum connexione plus minusve acribus censuris perstringendas censuerunt; quorum auditis perpensisque animadversionibus illud quoque nobis curae fuit, ut selecta ex tota synodo praecipua quaedam pravarum doctrinarum capita, ad quae potissimum fusae per synodum reprobandae sententiae directe vel indirecte referuntur, in certum deinceps ordinem redigerentur, eisdemque sua cuique peculiaris censura subiiceretur.

Ne vero ex hac ipsa tametsi accuratissime peracta sive locorum collatione, sive sententiarum disquisitione, pervicaces homines obtrectandi occasionem arriperent, ut huic forte iam paratae calumniae obviam iretur, sapienti consilio uti statuimus, quod in emergentibus huiusmodi periculosis noxiisque novitatibus reprimendis plures nostri sanctissimi praedecessores, tum et gravissimi antistites, ac generales etiam synodi rite cauteque

adhibitum, illustribus exemplis testatum commendatumque reliquissent.

Norant illi versutam novatorum fallendi artem, qui catholicarum aurium offensionem veriti, captionum suarum laqueos persaepe student subdolis verborum involucris obtegere, ut inter discrimina sensuum latens error lenius influat in animos, fiatque ut corrupta per brevissimam adiectionem aut commutationem veritate sententiae confessio, quae salutem operabatur, subtili quodam transitu vergat in mortem. Atque haec quidem involuta fallax disserendi ratio cum in omni orationis genere vitiosa est, tum in synodo minime ferenda, cuius est haec laus praecipua, eam in docendo dilucidam consectari dicendi rationem, quae nullum offensionis periculum relinquat. Quo in genere proinde si quid peccatum sit, hac nequeat, quae afferri solet, subdola excusatione defendi, quod quae alicubi durius dicta exciderint, ea locis aliis planius explicata aut etiam correcta reperiantur, quasi procax isthaec affirmandi et negandi, ac secum pro libito pugnandi licentia, quae fraudulenta semper fuit novatorum astutia ad circumventionem erroris, non potius ad prodendum, quam ad excusandum errorem valeret, aut quasi rudibus praesertim, qui in hanc vel illam forte inciderint partem synodi vulgari lingua omnibus expositae, praesto semper essent alia, quae inspicienda forent, dispersa loca, aut his etiam inspectis satis cuique facultatis suppeteret ad ea sic per se componenda, ut, quemadmodum perperam isti effutiunt, erroris omne periculum effugere valerent. Exitiosissimum profecto insinuandi erroris artificium, quod in Constantinopolitani antistitis Nestorii literis iam olim sapienter detectum gravissima reprehensione praedecessor noster Coelestinus coarguit; quibus nempe in literis vestigatus veterator ille, deprensus et tentus, suo se multiloquio labefaciens, dum vera involvens obscuris, rursus utraque confundens vel confiteretur negata, vel niteretur negare confessa. Ad quas depellendas insidias nimium saepe omni aetate renovatas non alia potior via inita est, quam ut iis exponendis sententiis, quae sub latibulo ambiguitatis periculosam suspiciosamque involvunt discrepantiam sensuum, perversa significatio notaretur, cui subesset error, quem catholica sententia reprobaret.

Quam et nos moderationis plenam rationem eo libentius

amplexi sumus, quo magis ad reconciliandos animos, et ad unitatem spiritus in vinculo pacis adducendos (quod favente Deo in pluribus gaudemus iure feliciter evenisse) magno fore adiumento prospeximus, providere primum, ne pertinacibus, si qui supererunt, quod Deus avertat, synodi sectatoribus integrum sit posthac ad novas turbas ciendas iustae suae damnationis consortes veluti ac socias sibi adsciscere scholas catholicas, quas invitas plane ac repugnantes per detortam quandam affinium vocabulorum similitudinem in expressa, quam illae testantur sententiarum dissimilitudinem, in partes suas pertrahere nituntur. Deinde si quos imprudentes aliqua fefellit adhuc praeconcepta mitior opinio de synodo, his etiam omnis conquerendi locus praecludatur, qui si recte sapiunt, ut videri volunt, aegre ferre nequeant doctrinas damnari sic denotatas, quae errores prae se ferant, a quibus ipsi profitentur se longissime abesse.

Necdum tamen satis ex animo lenitati nostrae factum putavimus, seu verius caritati, quae urget nos erga fratrem nostrum, cui omni ope volumus, si adhuc possumus, subvenire. Caritas nempe illa urget nos, qua inductus praedecessor noster Coelestinus etiam contra fas, seu maiori, quam fas esse videretur, patientia sacerdotes corrigendos exspectare non abnuebat. Magis enim cum Augustino Milevitanisque Patribus volumus et optamus homines prava docentes pastorali cura in ecclesia sanari, quam desperata salute ex illa resecari, si necessitas nulla compellat.

Quam ad rem, ne quod genus officii ad lucrandum fratrem praetermissum videretur, praefatum episcopum, antequam ad ulterioria progrederemur, amantissimis literis ad eum iussu nostro datis ad nos acciendum duximus, polliciti fore, ut benevolo animo a nobis exciperetur, nec vetaretur, quin quae in rem suam facere sibi viderentur libere aperteque expromeret. Nec vero spes nos omnis deseruerat fieri posse, ut, siquidem animum illum docibilem afferret, quem ex Apostoli sententia in episcopo maxime Augustinus requirebat, quum simpliciter et candide, omni remota concertatione et acerbitate, recognoscenda ei proponerentur praecipua doctrinarum capita, quae visa essent maiori animadversione digna, tum facile sese ipse colligens non dubitaret, quae ambigue posita essent in saniorem sensum exponere, quaeve manifestam pravitatem prae se ferrent aperte

repudiare, atque ita magna cum sui nominis existimatione tum laetissima bonorum omnium gratulatione, pacatissima, qua fieri posset, ratione orti in eccclesia strepitus optatissima correctione comprimerentur.

Nunc vero, quum ille oblato beneficio incommodae valetudinis nomine minus utendum sibi esse censuerit, differre iam non possumus, quin apostolico nostro muneri satisfaciamus. Non unius tantummodo alteriusve dioecesis periculum agitur: *universalis ecclesia quacunque novitate pulsatur.* Undique iam pridem non exspectatur modo, verum assiduis repetitis precibus efflagitatur supremae apostolicae sedis iudicium. Absit, ut vox Petri in illa unquam sede sua conticescat, in qua perpetuo vivens ille ac praesidens praestat quaerentibus fidei veritatem. Tuta non est in talibus longior conniventia, quia tantundem paene criminis est connivere in talibus, quanti est tam irreligiosa praedicare. Abscindendum igitur tale vulnus, quo non unum membrum laeditur, sed totum corpus ecclesiae sauciatur, atque divina opitulante pietate providendum, ut amputatis dissensionibus fides catholica inviolata servetur, et his, qui prava defendunt, ab errore revocatis, nostra auctoritate, quorum fides probata fuerit, muniantur.

Implorato itaque cum assiduis nostris tum et piorum Christifidelium privatis publicisque precibus Spiritus sancti lumine, omnibus plene et mature consideratis, complures ex actis et decretis memoratae synodi propositiones, doctrinas, sententias, sive expresse traditas, sive per ambiguitatem insinuatas, suis, ut praefatum est, cuique appositis notis, et censuris damnandas et reprobandas censuimus, prout hac nostra perpetuo valitura constitutione damnamus et reprobamus.

Sunt autem quae sequuntur.

De obscuratione veritatum in Ecclesia.

Ex Decr. de grat. §. 1.

I. Propositio, quae asserit: „Postremis hisce seculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quae sunt basis fidei, et moralis doctrinae Iesu Csristi“: — *Haeretica.*

De potestate communitati Ecclesiae attributa, ut per hanc pastoribus communicetur.

Epist. convoc.

II. Propositio, quae statuit: „Potestatem a Deo datam ec-

clesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum," — sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas: *Haeretica.*

De capitis ministerialis denominatione Romano Pontifici attributa.

Decret. de fide §. 8.

III. Insuper quae statuit: „Roman. Pontificem esse caput ministeriale," — sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona B. Petri, sed ab ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua velut Petri successor, verus Christi vicarius, ac totius ecclesiae caput pollet in universa ecclesia: *Haeretica.*

De potestate Ecclesiae quoad constituendam et sanciendam exteriorem disciplinam.

Decr. de fide §§. 13. 14.

IV. Propositio affirmans: „Abusum fore auctoritatis ecclesiae transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id, quod pendet a persuasione et corde, tum etiam multo minus ad eam pertinere, exigere per vim exteriorem subiectionem suis decretis," — quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis ecclesiae, usum eius potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda: *Haeretica.*

V. Qua parte insinuat, ecclesiam non habere auctoritatem subiectionis suis decretis exigendae aliter quam per media, quae pendent a persuasione, — quatenus intendat ecclesiam „non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam iubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore iudicio ac salubribus poenis coercendi atque cogendi," (ex Bened. XIV. in brevi *Ad assiduas,* anni 1755. Primati, archiepiscopis, et episcopis regni Polon.): *Inducens in systema alias damnatum ut haereticum.*

Iura Episcopis praeter fas attributa.

Decr. de ord. §. 25.

VI. Doctrina synodi, qua profitetur: „Persuasum sibi esse, episcopum accepisse a Christo omnia iura neccessaria pro bono

regimine suae dioecesis,“ — perinde ac si ad bonum regimen cuiusque dioecesis necessariae non sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum ius est penes summos Pontifices et concilia generalia pro universa ecclesia: *Schismatica, ad minus erronea.*

VII. Item in eo, quod hortatur episcopum „ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticae disciplinae constitutionem, idque, contra omnes contrarias consuetudines, exemtiones, reservationes, quae adversantur bono ordini dioecesis, maiori gloriae Dei et maiori aedificationi fidelium,“ — per id, quod supponit episcopo fas esse proprio suo iudicio, et arbitratu statuere et decernere contra consuetudines, exemtiones, reservationes, sive quae in universa ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchicae potestatis, a qua inductae sunt aut probatae, et vim legis obtinent: *Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.*

VIII. Item quod et sibi persuasum esse ait, „Iura Episcopi a Iesu Christo accepta pro gubernanda ecclesia nec alterari, nec impediri posse; et ubi contigerit horum iurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper episcopum ac debere in originaria sua iura regredi, quotiescunque id exigit maius bonum suae ecclesiae,“ — in eo, quod innuit iurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate praepediri aut coerceri posse, quandocunque episcopus proprio iudicio censuerit minus id expedire maiori bono suae ecclesiae: *Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.*

Ius perperam tributum inferioris ordinis sacerdotibus in decretis fidei et disciplinae.

Epist. convoc.

IX. Doctrina, quae statuit: „Reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in synodis dioecesanis ab episcopo et parochis aequaliter pendere ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subiectionem suggestionibus et iussionibus episcoporum:“ *Falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hierarchici subversiva, favens haeresi Arianae a Calvino innovatae.*

Ex ep. convoc. Ex. ep. ad vic. for. Ex orat. ad syn. §. 8. Ex sess. 3.

X. Item doctrina, qua parochi, aliive sacerdotes in synodo congregati pronunciantur una cum episcopo iudices fidei, et simul innuitur iudicium in causis fidei ipsis competere iure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto: *Falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum iudiciorumve dogmaticorum ecclesiae, ad minus erronea.*

Orat. synod. §. 8.

XI. Sententia enuncians, veteri maiorum instituto ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora ecclesiae secula servato, receptum fuisse, „ut decreta, aut definitiones, aut sententiae etiam maiorum sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent et approbatae ab synodo dioecesana:“ *Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiae debitae constitutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et haeresim.*

Calumniae adversus aliquas decisiones in materia fidei ab aliquot Seculis emanatas.

De fide §. 12.

XII. Assertiones synodi complexive acceptae circa decisiones in materia fidei ab aliquot seculis emanatas, quas perhibet velut decreta ab una particulari ecclesia vel paucis pastoribus profecta, nulla sufficienti auctoritate suffulta, nata corrumpendae puritati fidei, ac turbis excitandis, intrusa per vim, e quibus inflicta sunt vulnera nimium adhuc recentia: *Falsae, captiosae, temerariae, scandalosae, in Romanos Pontifices et ecclesiam iniuriosae, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogantes, schismaticae, perniciosae, ad minus erroneae.*

De pace dicta Clementis IX.

Or. synod. §. 2. in nota.

XIII. Propositio relata inter acta synodi, quae innuit Clementem IX. pacem ecclesiae reddidisse per approbationem distinctionis iuris et facti in subscriptione formulari ab Alexandro VII. praescripti: *Falsa, temeraria, Clementi IX. iniuriosa.*

XIV. Quatenus vero ei distinctioni suffragatur, eiusdem

fautores laudibus extollendo, et eorum adversarios vituperando: *Temeraria, perniciosa, summis pontificibus iniuriosa, schisma fovens et haeresim.*

De coagmentatione Corporis Ecclesiae.

Append. n. 28.

XV. Doctrina, quae proponit: „ecclesiam considerandam velut unum corpus mysticum coagmentatum ex Christo capite et fidelibus, qui sunt eius membra per unionem infallibilem, qua mirabiliter evadimus cum ipso unus solus sacerdos, una sola victima, unus solus adorator perfectus Dei Patris in Spiritu et veritate," — intellecta hoc sensu, ut ad corpus ecclesiae non pertineant nisi fideles, qui sunt perfecti adoratores in spiritu et veritate: *Haeretica.*

De statu innocentiae.

De grat. §§. 4. 7. de sacr. in gen. §. 1. de poenit. §. 4.

XVI. Doctrina synodi de statu felicis innocentiae, qualem eum repraesentat in Adamo ante peccatum, complectente non modo integritatem, sed et iustitiam interiorem cum impulsu in Deum per amorem caritatis, atque primaevam sanctitatem aliqua ratione post lapsum restitutam, — quatenus complexive accepta innuit statum illum sequelam fuisse creationis, debitum ex naturali exigentia et conditione humanae naturae, non gratuitum Dei beneficium: *Falsa alias damnata in Baio et Quesnellio, erronea, favens haeresi Pelagianae.*

De immortalitate spectata ut naturali conditione hominis.

De bapt. §. 2.

XVII. Propositio his verbis enunciata: „Edocti ab Apostolo spectamus mortem non iam ut naturalem conditionem hominis, sed revera ut iustam poenam culpae originalis," — quatenus sub nomine Apostoli subdole allegato insinuat, mortem, quae in praesenti statu inflicta est velut iusta poena peccati per iustam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis conditio: *Captiosa, temeraria, apostolo iniuriosa, alias damnata.*

De conditione hominis in statu naturae.

De grat. §. 10.

XVIII. Doctrina synodi enuncians: „Post lapsum Adami Deum annunciasse promissionem futuri liberatoris, et voluisse consolari genus humanum per spem salutis, quam Iesus Christus allaturus erat, tamen Deum voluisse ut genus humanum transiret per varios status, antequam veniret plenitudo temporum, ac primum, ut in statu naturae homo relictus propriis luminibus disceret de sua caeca ratione diffidere, et ex suis aberrationibus moveret se ad desiderandum auxilium superioris luminis," doctrina, ut iacet captiosa, atque intellecta de desiderio adiutorii superioris luminis in ordine ad salutem promissam per Christum, ad quod concipiendum homo relictus suis propriis luminibus supponatur sese potuisse movere: *Suspecta, favens haeresi semipelagianae.*

Do conditione hominis sub lege.

Ibid.

XIX. Item quae subiungit, hominem sub lege, „quum esset impotens ad eam observandam, praevaricatorem evasisse, non quidem culpa legis, quae sanctissima erat, sed culpa hominis, qui sub lege sine gratia magis magisque praevaricator evasit," superadditque: „legem, si non sanavit cor hominis, effecisse, ut sua mala cognosceret, et de sua infirmitate convictus desideraret gratiam mediatoris:" — qua parte generaliter innuit hominem praevaricatorem evasisse per inobservantiam legis, quam impotens esset observare, quasi impossibile aliquid potuerit imperare qui iustus est, aut damnaturus sit hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius est, (ex S. Caesario serm. 73. in append. S. Augustini. Serm. 273. edit. Maur. — ex S. Aug. de nat. et gr. c. 43. — De grat. et lib. arb. c. 16. — Enar. in psal. 56. n. 1.): *Falsa, scandalosa, impia, in Baio damnata.*

XX. Qua parte datur intelligi, hominem sub lege sine gratia potuisse concipere desiderium gratiae mediatoris ordinatum ad salutem promissam per Christum, quasi non ipsa gratia faciat ut invocetur a nobis, (ex concil. Araus. II. can. 3.): *Propositio, ut iacet, captiosa, suspecta, favens haeresi semipelagianae.*

De gratia illuminante et excitante.

De grat. §. 11.

XXI. Propositio, quae asserit: „Lumen gratiae, quando sit solum, non praestare, nisi ut cognoscamus infelicitatem nostri status et gravitatem nostri mali; gratiam in tali casu producere eundem effectum, quem lex producebat; ideo necesse esse, ut Deus creet in corde nostro sanctum amorem, et inspiret sanctam delectationem contrariam amori in nobis dominanti, hunc amorem sanctum, hanc sanctam delectationem esse proprie gratiam Iesu Christi, inspirationem caritatis, qua cognita sancto amore faciamus; hanc esse illam radicem, e qua germinantur bona opera, hanc esse gratiam novi testamenti, quae nos liberat a servitute peccati, et constituit filios Dei," — quatenus intendat, eam solam esse proprie gratiam Iesu Christi, quae creet in corde sanctum amorem, et quae facit ut faciamus, sive etiam qua homo liberatus a servitute peccati constituitur filius Dei, et non sit etiam proprie gratia Christi ea gratia, qua cor hominis tangitur per illuminationem Spiritus sancti (Trid. sess. VI. cap. 5.), nec vera detur interior gratia Christi, cui resistitur: *Falsa, captiosa, inducens in errorem in secunda propositione Iansenii damnatum ut haereticum, eumque renovans.*

De fide velut prima gratia.

De fide. §. 1.

XXII. Propositio, quae innuit: „fidem, a qua incipit series gratiarum, et per quam velut primam vocem vocamur ad salutem et ecclesiam, esse ipsammet excellentem virtutem fidei qua homines fideles nominantur, et sunt," — perinde ac prior non esset gratia illa, quae ut praevenit voluntatem, sic praevenit et fidem (ex S. Aug. de dono persev. c. 16. n. 41.): *Suspecta de haeresi, eamque sapiens, alias in Quesnellio damnata, erronea.*

De duplici amore.

De grat. §. 8.

XXIII. Doctrina synodi de duplici amore dominantis cupiditatis et caritatis dominantis, enuncians hominem sine gratia esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere, — quatenus insinuat in homine, dum est sub ser-

vitute sive in statu peccati, destitutus gratia illa, qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem huius influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur, aut opera omnia, quae ante iustificationem fiunt, quacunque ratione fiant, sint peccata, quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati: *Falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut haereticum, iterum in Baio damnatum art.* 40.

§. 12.

XXIV. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et caritatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti, suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis naturalique propensione ad bonum remanserunt velut extrema lineamenta, et reliquiae imaginis Dei, — (ex S. Aug. de spir. et lit. c. 28.) perinde ac si inter dilectionem divinam, quae nos perducit ad regnum, et dilectionem humanam illicitam, quae damnatur, non daretur dilectio humana licita, quae non reprehenditur, (ex S. Aug. serm. 349. de carit. edit. Maur.): *Falsa, alias damnata.*

De timore servili.

De poenit. §. 3.

XXV. Doctrina, quae timorem poenarum generatim perhibet duntaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum, — quasi timor ipse gehennae, quam fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale, ac motus a Deo inspiratus praeparans ad amorem iustitiae: *Falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis iniuriosa, alias damnata, contraria doctrinae concilii Tridentini, tum et communi patrum sententiae, opus esse iuxta consuetum ordinem praeparationis ad iustitiam, ut intret timor primo, per quem veniat caritas, timor medicamentum, caritas sanitas,* (ex S. Aug. in epist. Ioan. c. 4. tract. 9. n. 4. 5. — In Ioan. evang. tract. 41. n. 10. — Enarratione in psal. 127. n. 7. — Sermone 157. de verbis Apostoli c. 13. — Sermone 161. de verbis Apostoli n. 8. — Sermone 349. de caritate n. 7.)

De poena decedentium cum solo originali.

De bapt. §. 3.

XXVI. Doctrinam, quae velut fabulam Pelagianam explodit

locum illum inferorum, (quem limbi puerorum nomine fideles passim designant,) in quo animae decedentium cum sola originali culpa poena damni citra poenam ignis puniantur, — perinde ac si hoc ipso, quod qui poenam ignis removent inducerent locum illum et statum medium expertem culpae et poenae inter regnum Dei et damnationem aeternam, qualem fabulabantur Pelagiani: *Falsa, temeraria in scholas catholicas iniuriosa.*

De Sacramentis, ac primum de forma sacramentali cum adiuncta conditione.

De bapt. §. 12.

XXVII. Deliberatio synodi, qua praetextu adhaesionis ad antiquos canones in casu dubii baptismatis propositum suum declarat de omittenda formae conditionalis mentione: *Temeraria, praxi, legi, auctoritati ecclesiae contraria.*

De participatione Victimae in Sacrificio Missae.

De euch. §. 6.

XXVIII. Propositio synodi, qua postquam statuit victimae participationem esse partem sacrificio essentialem, subiungit: „non tamen se damnare ut illicitas missas illas, in quibus adstantes sacramentaliter non communicant, ideo, quia isti participant, licet minus perfecte, de ipsa victima, spiritu illam recipiendo," — quatenus insinuat ad sacrificii essentiam deesse aliquid in eo sacrificio, quod peragatur sive nullo adstante, sive adstantibus qui nec sacramentaliter, nec spiritualiter de victima participant; et quasi damnandae essent ut illicitae missae illae, in quibus solo sacerdote communicante nemo adsit, qui sive sacramentaliter, sive spiritualiter communicet: *Falsa, erronea, de haeresi suspecta, eamque sapiens.*

De Ritus Consecrationis efficacia.

De euch. §. 2.

XXIX. Doctrina synodi, qua parte tradere instituens fidei doctrinam de ritu consecrationis, remotis quaestionibus scholasticis circa modum, quo Christus est in eucharistia, a quibus parochos docendi munere fungentes abstinere hortatur, duobus his tantum propositis: 1. Christum post consecrationem vere, realiter, substantialiter esse sub speciebus, 2. tunc omnem panis et vini substantiam cessare solis remanentibus speciebus,

prorsus omittit ullam mentionem facere transsubstantiationis, seu conversionis totius substantiae panis in corpus, et totius substantiae vini in sanguinem, quam velut articulum fidei Tridentinum concilium definivit, et quae in solenni fidei professione continetur, — quatenus per inconsultam istiusmodi suspiciosamque omissionem notitia subtrahitur tum articuli ad fidem pertinentis, tum etiam vocis ab ecclesia consecratae ad illius tuendam professionem adversus haereses, tenditque adeo ad eius oblivionem inducendam, quasi ageretur de quaestione mere scholastica : *Perniciosa, derogans expositioni veritatis catholicae circa dogma transsubstantiationis, favens haereticis.*

De applicatione fructus Sacrificii.

De euch. §. 8.

XXX. Doctrina synodi, qua dum profitetur : „credere sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen, ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis," dein continuo subiicit : „non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus sacrificii cui vult; imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem iura Dei, qui solus distribuit fructus sacrificii cui vult, et secundum mensuram, quae ipsi placet:" unde et consequenter traducit velut „falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione, quod celebret unam missam, specialem fructum ex ea percipiant," — sic intellecta, ut praeter peculiarem commemorationem, et orationem specialis ipsa oblatio seu applicatio sacrificii, quae fit a sacerdote, non magis prosit, ceteris paribus, illis, pro quibus applicatur, quam aliis quibusque, quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis, aut personarum ordinibus faciendam commendat ac praecipit ecclesia speciatim a pastoribus pro suis ovibus : quod velut ex divino praecepto descendens a sacra Tridentina synodo diserte est expressum, (Sess. 23. cap. 1. de reform. — Bened. XIV. constit. *Quum semper oblatas. §. 2.) : Falsa, temeraria, perniciosa, ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.*

De conveniente ordine in cultu servando.

De euch. §. 5.

XXXI. Propositio synodi, enuncians convenientes esse pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere: *Temeraria, perantiquo, pio, multis abhinc seculis in ecclesia praesertim latina vigenti et probato mori iniuriosa.*

Ibid.

XXXII. Item praescriptio vetans, ne super altaria sacrarum reliquiarum thecae floresve adponantur: *Temeraria, pio ac probato ecclesiae mori iniuriosa.*

Ibid. §. 6.

XXXIII. Propositio synodi, qua cupere se ostendit, ut causae tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiae ordinem spectantium, revocando illam ad maiorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingva exponendo, et elata voce proferendo, — quasi vigens ordo liturgiae ab ecclesia receptus, et probatus aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet: *Temeraria, piarum aurium offensiva, in ecclesiam contumeliosa, favens haereticorum in eam conviciis.*

De ordine Poenitentiae.

De poenit. §. 7.

XXXIV. Declaratio synodi, qua, postquam praemisit ordinem poenitentiae canonicae sic ad Apostolorum exemplum ab ecclesia statutum fuisse, ut esset communis omnibus, nec tantum pro punitione culpae, sed praecipue pro dispositione ad gratiam, subdit: „se in ordine illo mirabili et augusto totam agnoscere dignitatem sacramenti adeo necessarii, liberam a subtilitatibus, quae ipsi decursu temporis adiunctae sunt," — quasi per ordinem, quo sine peracto canonicae poenitentiae cursu hoc sacramentum per totam ecclesiam administrari consuevit, illius fuisset dignitas imminuta: *Temeraria, scandalosa, inducens in contemtum dignitatis sacramenti, prout per ecclesiam totam consuevit administrari, ecclesiae ipsi iniuriosa.*

De poenit. §. 10. *n.* 4.

XXXV. Propositio his verbis concepta: „Si caritas in

principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum huius caritatis oportet, ut sacerdos praecedere faciat eos actus humiliationis et poenitentiae, qui fuerunt omni aetate ab ecclesia commendati; redigere hos actus ad paucas orationes, aut ad aliquod ieiunium post iam collatam absolutionem videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen poenitentiae, quam medium illuminatum et aptum ad augendum illum fervorem caritatis, qui debet praecedere absolutionem; longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi poenitentias etiam post absolutionem adimplendas; si omnia nostra bona opera semper adiunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus, ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostrae reconciliationis," — quatenus innuit poenitentias, quae imponuntur adimplendae post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostrae reconciliationis, quam ut poenitentias vere sacramentales, et satisfactorias pro peccatis confessis: quasi, ut vera ratio sacramenti, non nudum nomen servetur oporteat de via ordinaria, ut actus humiliationis et poenitentiae, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, praecedere debeant absolutionem: *Falsa, temeraria, communi praxi ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum.*

De praevia necessaria dispositione pro admittendis poenitentibus ad reconciliationem.

De grat. §. 15.

XXXVI. Doctrina synodi, qua postquam praemisit: „Quando habebuntur signa non aequivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito iudicari dignum, qui admittatur ad participationem sangvinis Iesu Christi, quae fit in sacramentis," subdit: „Suppositicias conversiones, quae fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere, nec durabiles:" consequenter „pastorem animarum debere insistere signis non aequivocis caritatis dominantis, antequam admittat suos poenitentes ad sacramenta," quae signa, ut deinde tradit (§. 17.), „pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato et fervore in operibus bonis," quem insuper fervorem caritatis perhibet (de poenit. §. 10.) velut dispositionem, quae debet praecedere absolutionem, — sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta

quae passim attritionis nomine donatur, etiam quae iuncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tamquam omnis iustitiae fontem, nec modo contritio caritate formata, sed et fervor caritatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur, ut homo ad sacramenta, et speciatim poenitentes ad absolutionis beneficium admittantur: *Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutae ac probatae in ecclesia praxi contraria, sacramenti efficaciae detrahens et iniuriosa.*

De auctoritate absolvendi.
De poenit. §. 10. *n.* 6.

XXXVII. Doctrina synodi, quae de auctoritate absolvendi accepta per ordinationem enunciat: „Post institutionem dioecesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque iudicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii, sive iure quodam personali, propterea quod aliter confusio induceretur et perturbatio," — quatenus post institutas dioeceses et parochias enunciat tantummodo conveniens esse ad praecavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos sic intellecta, tamquam ad validum usum huius potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa iurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam: *Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et iniuriosa, erronea.*

Ibid. §. 11.

XXXVIII. Item doctrina, qua postquam synodus professa est, „se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae," ut ait, „ad poenitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam," subiungit, „per timorem perpetuae exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis magnum fraenum illis iniectum iri, qui parum considerant malum peccati, et minus illud timent:" *Contraria can. 13. concilii Nicaeni I., decretali Innocentii I. ad Exuperium Tolos., tum et decretali Coelestini I. ad episcopos Viennen. et Narbonen. provinciae, redolens pravitatem, quam in ea decretali sanctus Pontifex exhorret.*

De peccatorum venialium confessione.

De poenit. §. 12.

XXXIX. Declaratio synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemtibiles reddantur eiusmodi confessiones: *Temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a S. conc. Trid. probatae contraria.*

De indulgentiis.

De poenit. §. 16.

XL. Propositio asserens: „Indulgentiam secundum suam praecisam notionem aliud non esse quam remissionem partis eius poenitentiae, quae per canones statuta erat peccanti," — quasi indulgentia praeter nudam remissionem poenae canonicae non etiam valeat ad remissionem poenae temporalis pro peccatis actualibus debitae apud divinam iustitiam: *Falsa, temeraria, Christi meritis iniuriosa, dudum in art. 19. Lutheri damnata.*

Ibid.

XLI. Item in eo, quod subditur: „Scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et sanctorum, et clarae notioni absolutionis a poena canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum," — quasi thesauri ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et sanctorum: *Falsa, temeraria, Christi, et sanctorum meritis iniuriosa, dudum in art. 17. Lutheri damnata.*

Ibid.

XLII. Item in eo, quod superaddit: „Luctuosius adhuc esse quod chimerica isthaec applicatio transferri volita sit in defunctos": *Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices, et in praxin et sensum universalis ecclesiae iniuriosa, inducens in errorem haereticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 12 Lutheri.*

Ibid.

XLIII. In eo demum, quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata etc.: *Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in summos Pontifices atque in praxin tota ecclesia frequentatam contumeliosa.*

De Reservatione Casuum.

De poenit. §. 19.

XLIV. Propositio synodi assumens: „Reservationem ca-

suum nunc temporis aliud non esse quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro poenitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem“: *Falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicae potestatis laesiva.*

Ibid.

XLV. Item de spe, quam ostendit, fore: „ut reformato rituali et ordine poenitentiae nullum amplius locum habiturae sint huiusmodi reservationes,“ — prout attenta generalitate verborum innuit, per reformationem ritualis et ordinis poenitentiae factam ab episcopo vel synodo aboleri posse casus, quos Tridentina synodus (Sess. XIV. c. 7.) declarat Pontifices maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa ecclesia tradita peculiari suo iudicio reservare: *Propositio falsa, temeraria, concilio Tridentino et summorum Pontificum auctoritati derogans, et iniuriosa.*

De Censuris.

De poenit. §. 20. 22.

XLVI. Propositio asserens: Effectum excommunicationis exteriorem duntaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione ecclesiae,“ — quasi excommunicatio non sit poena spiritualis, ligans in coelo, animas obligans, (ex S. Aug. ep. 250. Auxilio episcopo, Tract. 50. in Ioan. n. 12.): *Falsa, perniciosa, in art. 23. Lutheri damnata ad minus erronea.*

§§. 21. 23.

XLVII. Item, quae tradit, necessarium esse iuxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem sive ad suspensionem praecedere debeat examen personale, atque adeo sententias dictas ipso facto non aliam vim habere, nisi seriae comminationis sine ullo actuali effectu: *Falsa, temeraria, perniciosa, ecclesiae potestati iniuriosa, erronea.*

§. 22.

XLVIII. Item, quae pronunciat: „Inutilem ac vanam esse formulam nonnullis abhinc seculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset“: *Falsa, temeraria, praxi ecclesiae iniuriosa.*

§. 24.

XLIX. Item, quae damnat ut nullas et invalidas suspensiones ex informata conscientia: *Falsa, perniciosa, in Trid. iniuriosa.*

Ibid.

L. Item in eo, quod insinuat, soli episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (sess. XIV. c. 1. de ref.), suspensionis ex informata conscientia legitime infligendae: *Iurisdictionis praelatorum ecclesiae laesiva.*

De ordine.

De ordine. §. 4.

LI. Doctrina synodi, quae perhibet, in promovendis ad ordines hanc more et instituto veteris disciplinae rationem servari consuevisse, ,,ut, si quis clericorum distinguebatur sanctitate vitae, et dignus aestimabatur, qui ad ordines sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad diaconatum vel sacerdotium, etiamsi inferiores ordines non suscepisset, neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est".

§. 5.

LII. Item, quae innuit, non alium titulum ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis praescripta est in concilio Chalcedonensi, subiungens (§. 6.), quamdiu ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum conformavit, ecclesiasticum ordinem floruisse, verum beatos illos dies transiisse, novaque principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii.

§. 7.

LIII. Item, quod inter haec ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait, (§. 5.), ecclesia insistens Apostoli vestigiis neminem ad sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem, — quatenus innuit corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta, 1) sive quibus ordinationes per saltum vetitae sunt, 2) sive quibus pro ecclesiarum necessitate et commoditate probatae sunt ordinationes sine titulo specialis officii; velut speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii, salva obedientia, qua sic ordinati ecclesiarum necessitatibus de-

servire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva ecclesia fieri consuevit, 3) sive quibus iure canonico facta est criminum distinctio, quae delinquentes reddunt irregulares, quasi per hanc distinctionem ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscunque, qui baptismalem innocentiam non conservassent: *Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, ordinis pro ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones et speciatim per Trid. decreta probatam iniuriosa.*

§. 13.

LIV. Item, quae velut turpem abusum notat unquam praetendere eleemosynam pro celebrandis missis et sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum stolae, et generatim quodcunque stipendium et honorarium, quod suffragiorum aut cuiuslibet parochialis functionis occasione offerretur, — quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri ecclesiae, dum secundum receptum et probatum ecclesiae morem et institutum utuntur iure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur: *Falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis iuris laesiva, in ecclesiam eiusque ministros iniuriosa.*

§. 14.

LV. Item, qua vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) a cathedralibus et collegiatis submovendi, providendo aliter, nempe per probos et provectioris aetatis laicos, congruo assignato stipendio, ministerio inserviendi missis et aliis officiis, velut acolythi etc., ut olim, inquit, fieri solebat, quando eius generis officia non ad meram speciem pro maioribus ordinibus suscipiendis redacta erant, — quatenus reprehendit institutum, quo cavetur, ut minorum ordinum functiones per eos tantum praestentur exerceanturve, qui in illis constituti adscriptive sunt (concil. prov. IV. Mediol.) idque ad mentem Tridentini (Sess. XXIII. c. 17.), ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones ab apostolicis temporibus in ecclesia

laudabiliter receptae, et in pluribus locis aliquamdiu intermissae iuxta sacros canones revocentur, nec ab haereticis tamquam otiosae traducantur: *Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandae, quoad fieri potest, in celebrandis mysteriis decentiae imminutiva, in minorum ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones et speciatim per Trid. probatam iniuriosa, favens haereticorum in eam conviciis et calumniis.*

§. 18.

LVI. Doctrina, quae statuit conveniens videri in impedimentis canonicis, quae proveniunt ex delictis in iure expressis, ullam unquam nec concedendam, nec admittendam esse dispensationem: *Aequitatis et moderationis canonicae a sacro concilio Tridentino probatae laesiva, auctoritati et iuribus ecclesiae derogans.*

Ibid. 22.

LVII. Praescriptio synodi, quae generaliter et indiscriminatim velut abusum reiicit quamcunque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni eidemque conferatur; item in eo, quod subiungit, certum sibi esse iuxta ecclesiae spiritum plus quam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse: *Pro sua generalitate derogans moderationi Tridentini sess. VII. c. 5. et sess. XXIV. c. 17.*

De sponsalibus et matrimonio.

Libell. memor. circa sponsalia etc. §. 2.

LVIII. Propositio, quae statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subiacere, — quasi actus disponens ad sacramentum non subiaceat sub hac ratione iuri ecclesiae: *Falsa, iuris ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab ecclesia constitutae derogans.*

De matrim. §§. 7. 11. 12.

LIX. Doctrina synodi, asserens: „Ad supremam civilem potestatem duntaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta eius generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia," quod ius originarium praeterea dicitur cum iure dispensandi essentialiter connexum, subiun-

gens : „supposito assensu vel conniventia principum potuisse ecclesiam iuste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii," — quasi ecclesia non semper potuerit ac possit in Christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus Christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare : *Canonum* 3. 4. 9. 12. *sess. XXIV. concil. Trid. eversiva, haeretica.*

Cit lib. et memor. circa sponsal. §. 10.

LX. Item rogatio synodi ad potestatem civilem, ut „e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud, quod dicitur publicae honestatis, quorum origo reperitur in collectione Iustiniani," tum, ut „restringat impedimentum affinitatis et cognationis ex quacunque licita aut illicita coniunctione provenientis ad quartum gradum iuxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam, ita tamen, ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendae," — quatenus civili potestati ius attribuit sive abolendi sive restringendi impedimenta ecclesiae auctoritate constituta vel comprobata; item qua parte supponit ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse iure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis : *Libertatis, ac potestatis ecclesiae subversiva, Tridentino contraria, ex haereticali supra damnato principio profecta.*

De officiis, exercitationibus, institutionibus ad religiosum Cultum pertinentibus, et primum de adoranda humanitate Christi.

De fide §. 3.

LXI. Propositio, quae asserit : „Adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam eius partem, fore semper honorem divinum datum creaturae," — quatenus per hoc verbum directe intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se et tamquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturae, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur, (ex concil. CP. V. gen. can. 9.) : *Falsa, captio-*

sa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus praestito ac praestando detrahens et iniuriosa.

De orat. §. 17.

LXII. Doctrina, quae devotionem erga sacratissimum cor Iesu reiicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas, — intellecta de hac devotione, qualis est ab apostolica sede probata: *Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in apostolicam sedem iniuriosa.*

De orat. §. 10. *Et append. n.* 32.

LXIII. Item in eo, quod cultores cordis Iesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant, sanctissimam carnem Christi, aut eius partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione aut praecisione a divinitate adorari non posse cultu latriae, — quasi fideles cor Iesu adorarent cum separatione vel praecisione a divinitate, dum illud adorant, ut est cor Iesu, cor nempe personae Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut praecisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro: *Captiosa, in fideles cordis Christi cultores iniuriosa.*

De ordine praescripto in piis Exercitationibus obeundis.

De orat. §. 14. *Append. n.* 34.

LXIV. Doctrina, quae velut superstitiosam universe notat „quamcunque efficaciam, quae ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum," — tamquam superstitiosa censenda esset efficacia, quae sumitur non ex numero in se spectato, sed ex praescripto ecclesiae, certum numerum precum vel externarum actionum praefinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis poenitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo: *Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium iniuriosa, ecclesiae auctoritati derogans, erronea.*

De poenit. §. 10.

LXV. Propositio enuncians, „Irregularem strepitum novarum institutionum, quae dictae sunt exercitia vel missiones, forte nunquam aut saltem perraro eo pertingere, ut absolutam conversionem operentur, et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse, quam transeuntia naturalis con-

cussionis fulgura“: *Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie, salutariter per ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato iniuriosa.*

De modo iungendae vocis populi cum voce Ecclesiae in precibus publicis.

De orat. §. 24.

LXVI. Propositio asserens: „Fore contra apostolicam praxin et Dei consilia, nisi populo faciliores viae pararentur vocem suam iungendi cum voce totius ecclesiae,“ — intellecta de usu vulgaris linguae in liturgicas preces inducendae: *Falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione praescripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.*

De lectione sacrae scripturae.

Ex nota in fine decr. de gratia.

LXVII. Doctrina perhibens a lectione sacrarum scripturarum nonnisi veram impotentiam excusare, subiungens ultro se prodere obscurationem, quae ex huiusce praecepti neglectu orta est super primarias veritates religionis: *Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnellio damnata.*

De proscriptis libris in Ecclesia publice legendis.

De orat. §. 29.

LXVIII. Laudatio, qua summopere synodus commendat Quesnellii commentationes in novum testamentum, aliaque aliorum Quesnellianis erroribus faventium opera, licet proscripta, eademque parochis proponit, ut ea tanquam solidis religionis principiis referta in suis quisque parochiis populo post reliquas functiones perlegant: *Falsa, scandalosa, temeraria, seditiosa, ecclesiae iniuriosa, schisma fovens et haeresin.*

De sacris imaginibus.

De orat. §. 17.

LXIX. Praescriptio, quae generaliter et indistincte inter imagines ab ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem praebentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis: *Propter sui generalitatem temeraria, ac pio per ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullae exstent imagines sanctissimae Trinitatis communiter approbatae, ac tuto permittendae.* (Ex brevi *Sollicitudini nostrae*, Benedicti. XIV. an. 1745.)

LXX. Item doctrina et praescriptio, generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere: *Temeraria, perniciosa, pio per ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiae ordini iniuriosa, quo ita Deus nec in omnibus memoriis sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.* (Ex S. Aug. ep. 78. clero, senioribus et universae plebi ecclesiae Hipponen.)

LXXI. Item, quae vetat, ne imagines praesertim B. Virginis ullis titulis distinguantur, praeterquam denominationibus, quae sint analogae mysteriis, de quibus in sacra scriptura expressa fit mentio, — quasi nec adscribi possent imaginibus piae aliae denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus ecclesiae probat et commendat: *Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi B. praesertim Virgini debitae iniuriosa.*

LXXII. Item, quae velut abusum exstirpari vult morem, quo velatae asservantur certae imagines: *Temeraria, frequentato in ecclesia et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.*

De festis.

Libell. memor. pro fest. reform. §. 3.

LXXIII. Propositio enuncians novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturae et finis earundem solennitatum originem duxisse: *Falsa, temeraria, scandalosa, ecclesiae iniuriosa, favens haereticorum in dies festos per ecclesiam celebratos conviciis.*

Ibid. §. 8.

LXXIV. Deliberatio synodi de transferendis in diem dominicum festis per annum institutis, idque pro iure, quod persuasum sibi esse ait episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales, ideoque et praeceptum missae audiendae abrogandi diebus, in quibus ex pristina ecclesiae lege viget etiamnum id praeceptum: tum etiam in eo, quod superaddit de transferendis in Adventum episcopali auctoritate ieiuniis per annum ex ecclesiae praecepto servandis, — quatenus adstruit episcopo fas esse iuro proprio transferre dies ab ecclesia praescriptos pro festis ieiuniisve celebrandis, aut inductum missae audiendae praeceptum abrogare: *Propositio falsa, iuris conciliorum generalium et summorum Pontificum laesiva, scandalosa, schismati fovens.*

De iuramentis.

Libell. memor. pro iuram. reform. §. 4.

LXXV. Doctrina, quae perhibet, beatis temporibus nascentis ecclesiae iuramenta visa esse a documentis divini praeceptoris atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut ipsummet iurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine Christiano indignus; insuper continuatam patrum seriem demonstrare iuramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse; indeque progreditur ad improbanda iuramenta, quae curia ecclesiastica, iurisprudentiae feudalis, ut ait, normam secuta in investituris et in sacris ipsis episcoporum ordinationibus adoptavit, statuitque adeo implorandam a seculari potestate legem pro abolendis iuramentis, quae in curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali: *Falsa, ecclesiae iniuriosa, iuris ecclesiastici laesiva, disciplinae per canones inductae et probatae subversiva.*

De collationibus ecclesiasticis.

De collat. ecclesiast. §. 1.

LXXVI. Insectatio, qua synodus scholasticam exagitat, velut eam, „quae vitam aperuit inveniendis novis, et inter se discordantibus systematibus, quoad veritates maioris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum,“ — quatenus in scholasticam reiicit privatorum vitia, qui abuti ea poterunt, aut abusi sunt: *Falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicae religionis bono scholasticam excoluere, iniuriosa, favens infestis in eam haereticorum conviciis.*

Ibid.

LXXVII. Item in eo, quod subdit: „Mutationem formae regiminis ecclesiastici, qua factum est, ut ministri ecclesiae in oblivionem venirent suorum iurium, quae simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret primitivas notiones ministerii ecclesiastici et sollicitudinis pastoralis,“ — quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinae in ecclesia constitutae et probatae obliterari unquam potuerit et amitti primitiva notio ecclesiastici ministerii, pastoralisve sollicitudinis: *Propositio falsa, temeraria, erronea.*

§. 4.

LXXVIII. Praescriptio synodi de ordine rerum tractandarum in collationibus, qua, posteaquam praemisit, „In quolibet articulo distinguendum id, quod pertinet ad fidem et ad essentiam religionis ab eo, quod est proprium disciplinae“ subiungit: „In hac ipsa (disciplina) distinguendum, quod est necessarium aut utile ad retinendos in spiritu fideles, ab eo, quod est inutile aut onerosius, quam libertas filiorum novi foederis patiatur, magis vero ab eo, quod est periculosum aut noxium, utpote inducens ad superstitionem et materialismum“ — quatenus pro generalitate verborum comprehendat et praescripto examini subiiciat etiam disciplinam ab ecclesia constitutam et probatam, quasi ecclesia, quae spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem, quam libertas Christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum: *Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, ecclesiae ac spiritui Dei, quo ipsa regitur, iniuriosa, ad minus erronea.*

Convicia adversus aliquas sententias in scholis catholicis usque adhuc agitatas.

Orat. ad synod. §. 1.

LXXIX. Assertio, quae conviciis et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas, et de quibus apostolica sedes nihil adhuc definiendum aut pronunciandum censuit: *Falsa, temeraria, in scholas catholicas iniuriosa, debitae apostolicis constitutionibus obedientiae derogans.*

De tribus regulis fundamenti loco a synodo positis pro reform. regularium.

Libell. memorial. pro reform. regular. §. 9.

LXXX. Regula 1., quae statuit universe et indiscriminatim: „Statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura, cumque vitae pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticae hierarchiae, quin ex adverso pugnet ipsiusmet vitae monasticae principiis“: *Falsa, perniciosa, in sanctissimos ecclesiae Patres et praesules, qui regularis vitae instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, iniuriosa, pio, vetusto, probato ecclesiae mori summorumque Pontificum sanctionibus contraria, quasi monachi,*

quos morum gravitas, et vitae ac fidei institutio sancta commendat, non rite, nec modo sine religionis offensione, sed et cum multa utilitate ecclesiae clericorum officiis aggregentur. (Ex S. Siricio epist. decret. ad Himerium Tarracon. c. 13.)

LXXXI. Item in eo, quod subiungit, sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor aestus, accuratio maior desideranda fuisset: *Scandalosa, in sanctissimos doctores iniuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.*

LXXXII. Regula 2.: „Multiplicationem ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem," item in eo, quod praemittit §. 4.: Regularium fundatores, qui post monastica instituta prodierunt, ordines superaddentes ordinibus, reformationes reformationibus, nihil aliud effecisse, quam primariam mali causam magis magisque dilatare," — intellecta de ordinibus et institutis a sancta sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem parere debeat: *Falsa, calumniosa in sanctos fundatores eorumque fideles alumnos, tum et in ipsos summos Pontifices iniuriosa.*

LXXXIII. Regula 3., qua, postquam praemisit: Parvum corpus degens intra civilem societatem, quin fere sit pars eiusdem, parvamque monarchiam figit in statu, semper esse periculosum," subinde hoc nomine criminatur privata monasteria, communis instituti vinculo sub uno praesertim capite consociata, velut speciales totidem monarchias civili reipublicae periculosas et noxias: *Falsa, temeraria, regularibus institutis a sancta sede ad religionis profectum approbatis iniuriosa, favens haereticorum in eadem instituta insectationibus et calumniis.*

De systemate seu ordinationum complexione ducta ex allatis regulis, et octo sequentibus articulis comprehensa pro reformatione regularium.

§. 10.

LXXXIV. Art 1.: „De uno duntaxat ordine in ecclesia retinendo, ac de seligenda prae ceteris regula sancti Benedicti, cum ob sui praestantiam, tum ob praeclara illius ordinis merita, sic tamen, ut in his, quae forte occurrent temporum conditioni minus congrua, instituta vitae ratio apud Portum regium lucem

praeferat ad explorandum, quid addere, quid detrahere conveniat.“

2. „Ne compotes fiant ecclesiasticae hierarchiae, qui se huic ordini adiunxerint, nec ad sacros ordines promoveantur, praeterquam ad summum unus vel duo, initiandi tamquam curati vel capellani monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus.“

3. „Unum tantum in unaquaque civitate admittendum monasterium, idque extra moenia civitatis in locis abditioribus et remotioribus collocandum.“

4. „Inter occupationes vitae monasticae pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore psalmodiae impendendo, aut etiam, si cui libuerit, literarum studio. Psalmodia deberet esse moderata, quia nimia eius prolixitas parit praecipitantiam, molestiam, evagationem. Quo plus auctae sunt psalmodiae, orationes, preces, tantundem peraequa proportione omni tempore imminutus fervor est sanctitasque regularium.“

5. „Nulla forte admittenda distinctio monachos inter sive choro sive ministeriis addictos; inaequalitas isthaec gravissimas omni tempore lites excitavit ac discordias, et a communitatibus regularium spiritum caritatis expulit.“

6. „Votum perpetuae stabilitatis numquam tolerandum. Non illud norant veteres monachi, qui tamen ecclesiae consolatio et Christianismi ornamentum exstiterunt. Vota castitatis, paupertatis et obedientiae non admittenda instar communis et stabilis regulae. Si quis ea vota, aut omnia aut aliqua facere voluerit, consilium et veniam ab episcopo postulabit, qui tamen nunquam permittet, ut perpetua sint, nec anni fines excedent. Tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus.“

7. „Omnem episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate; ad ipsum pertinebit monachos admittere et expellere, semper tamen accepto contubernalium consilio.“

8. „Regulares ordinum, qui adhuc remanent, licet sacerdotes in hoc monasterium admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine propriae sanctificationi vacare cuperent, quo casu dispensationi locus fieret in generali regula num. 2. statuta, sic tamen, ne vitae institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo, ut non plus quam una aut ad summum duae in diem

missae celebrentur, satisque ceteris sacerdotibus esse debeat una cum communitate concelebrare."

Item pro reformatione monialium.

§. 11.

„Vota perpetua usque ad annum 40. aut 45. non admittenda. Moniales solidis exercitationibus, speciatim labori addicendae; a carnali spiritualitate, qua pleraeque distinentur, avocandae: expendendum, utrum, quod ad ipsas attinet, satius foret monasterium in civitate relinqui": *Systema vigentis atque iam antiquitus probatae ac receptae disciplinae subversivum, perniciosum, constitutionibus apostolicis et plurium conciliorum etiam generalium, tum speciatim Tridentini sanctionibus oppositum et iniuriosum, favens haereticorum in monastica vota et regularia instituta stabiliori consiliorum evangelicorum professioni addicta conviciis et calumniis.*

De nationali concilio convocando.

Libell. memor. pro convoc. concil. nation. §. 1.

LXXXV. Propositio enuncians, qualemcunque cognitionem ecclesiasticaae historiae sufficere, ut fateri quisque debeat convocationem concilii nationalis unam esse ex viis canonicis, qua finiantur in ecclesia respectivarum nationum controversiae spectantes ad religionem, — sic intellecta, ut controversiae ad fidem et mores spectantes, in ecclesia quacunque subortae, per nationale concilium irrefragabili iudicio finiri valeant, quasi inerrantia in fidei et morum quaestionibus nationali concilio competeret: *Schismatica, haeretica.*

Mandamus igitur omnibus utriusque sexus Christifidelibus, ne de dictis propositionibus, et doctrinis sentire, docere, praedicare praesumant contra, quam in hac nostra constitutione declaratur, ita ut quicunque illas vel earum aliquam coniunctim vel divisim docuerit, defenderit, ediderit aut de eis etiam disputando publice vel privatim tractaverit, nisi forsitan impugnando, ecclesiasticis censuris aliisque contra similia perpetrantes a iure statutis poenis ipso facto absque alia declaratione subiaceat.

Ceterum per hanc expressam praefatarum propositionum et doctrinarum reprobationem alia in eodem libro contenta nullatenus approbare intendimus, quum praesertim in eo complures deprehensae fuerint propositiones et doctrinae, sive illis, quae

supra damnatae sunt, affines, sive quae communis ac probatae cum doctrinae et disciplinae temerarium contemtum, tum maxime infensum in Romanos Pontifices et apostolicam sedem animum prae se ferunt.

Duo vero speciatim notanda censemus, quae de augustissimo sanctissimae Trinitatis mysterio §. 2. Decreti de fide, si non pravo animo, imprudentius certe synodo exciderunt, quae facile rudes praesertim et incautos in fraudem impellere valeant. Primum, dum, posteaquam rite praemisit Deum in suo esse unum, et simplicissimum permanere, continuo subiungens, ipsum Deum in tribus personis distinguī, perperam discedit a communi et probata in Christianae doctrinae institutionibus formula, qua Deus unus quidem in tribus personis distinctis dicitur, non in tribus personis distinctus: cuius formulae commutatione hoc vi verborum subrepit erroris periculum, ut essentia divina distincta in personis putetur, quam fides catholica sic unam in personis distinctis confitetur, ut eam simul profiteatur in se prorsus indistinctam.

Alterum, quod de ipsismet tribus divinis personis tradit, eas secundum earum proprietates personales et incommunicabiles exactius loquendo exprimi seu appellari Patrem, Verbum et Spiritum sanctum, quasi minus propria et exacta foret appellatio Filii tot scripturae locis consecrata, voce ipsa Patris e coelis et a nube delapsa, tum formula baptismi a Christo praescripta, tum et praeclara illa confessione, qua beatus ab ipsomet Christo Petrus est pronunciatus; ac non potius retinendum esset quod edoctus ab Augustino angelicus praeceptor vicissim ipse docuit, „*in nomine Verbi eandem proprietatem importari, quae in nomine Filii*,“ dicente nimirum Augustino: *eo dicitur Verbum, quo Filius.*“

Neque silentio praetereunda insignis ea fraudis plena synodi temeritas, quae pridem inprobatam ab apostolica sede conventus Gallicani declarationem an. 1682. ausa sit non amplissimis modo laudibus exornare, sed, quo maiorem illi auctoritatem conciliaret, eam in decretum de *fide* inscriptum insidiose includere, articulos in illa contentos palam adoptare, et quae sparsim per hoc ipsum decretum tradita sunt, horum articulorum publica et solenni professione obsignare. Quo sane non solum gravior longe se nobis offert de synodo, quam praedecessoribus

nostris fuerit de comitiis illis expostulandi ratio, sed et ipsimet Gallicanae ecclesiae non levis iniuria irrogatur, quam dignam synodus existimaverit, cuius auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est contaminatum decretum.

Quamobrem quae acta conventus Gallicani, mox ut prodierunt praedecessor noster ven. Innocentius XI. per literas in forma brevis die 11. Aprilis an. 1682., post autem expressius Alexander VIII. constit. *Inter multiplices* die 4. Aug. an. 1699. pro apostolici sui muneris ratione improbarunt, resciderunt, nulla et irrita declararunt: multo fortius exigit a nobis pastoralis sollicitudo recentem horum factam in synodo tot vitiis affectam adoptionem, velut temerariam, scandalosam, ac praesertim post edita praedecessorum nostrorum decreta huic apostolicae sedi summopere iniuriosam reprobare ac damnare, prout eam praesenti hac nostra constitutione reprobamus et damnamus, ac pro reprobata et damnata haberi volumus. Ad id genus fraudis pertinet, quod synodus in hoc ipso decreto de fide quamplures articulos complexa, quos Lovaniensis facultatis theologi ad Innocentii XI. iudicium detulerunt, tum et alios duodecim a card. de Noailles Benedicto XIII. oblatos, non dubitaverit ex reprobato secundo Ultraiectensi concilio vanum vetusque commentum exsuscitare, temereque his verbis iactare in vulgus, nempe universae Europae notissimum esse, eos articulos Romae severissimo examini subiectos fuisse, et non solum a qualicunque censura immunes exiisse, sed etiam a laudatis Romanis Pontificibus fuisse commendatos; cuius tamen assertae commendationis non modo nullum exstat authenticum documentum, quin potius eidem refragantur acta examinis, quae in nostrae supremae inquisitionis tabulis asservantur, e quibus id tantum apparet, nullum super iis prolatum fuisse iudicium.

Hisce propterea de causis librum hunc ipsum, cui titulus: „*Atti e decreti del concilio dioecesano di Pistoia dell'a. 1786.*“ *In Pistoia, per Atto Bracali stampatore vescovile. Con approvazione,*“ sive praemisso sive quovis alio titulo inscriptum, ubicunque, et quocunque idiomate, quavis editione aut versione hactenus impressum aut imprimendum, auctoritate apostolica tenore praesentium prohibemus et damnamus, quemadmodum etiam alios omnes libros in eius sive eius doctrinae defensionem, tam scripto quam typis forsan iam editos, seu, quod Deus aver-

tat, edendos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem et usum omnibus et singulis Christi fidelibus sub poena excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrendae prohibemus pariter et interdicimus.

Praecipimus insuper venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et episcopis aliisque locorum ordinariis, nec non haereticae pravitatis inquisitoribus, ut contradictores et rebelles quoscunque per censuras et poenas praefatas, aliaque iuris et facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii secularis auxilio, omnino coerceant et compellant.

Volumus autem, ut earumdem praesentium transsumtis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quae ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis et interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem anno Incarnationis dominicae millesimo septingentesimo nonagesimo quarto quinto Kalendas Septemb., Pontificatus nostri anno vigesimo. — **Bullarii Rom.** *continuatio.* Tom. IX. Romae 1845. p. 395.

1064.

Hiacynthus Sigismundus Cardinalis Gerdilius qua Ordinarius Abbatiae S. Michaelis de Clusia suum promtum obsequium erga Constitutionem dogmaticam ‚Auctorem fidei,' signanter ea, quae supremam S. Sedis Ap. potestatem concernunt, profitetur literis ad S. Congreg. Conc. directis, A. 1794.

MON. Acceptam gratissimo vestro munere, Patres Eminentissimi, dogmaticam SS. D. N. constitutionem, cuius est prin-

cipium ‚Auctorem fidei,' qua *Pistoriensis pseudo-Synodi* acta et decreta damnantur, profiteor me non obedienter modo, sed et omni eo mentis et cordis obsequio complexum esse, quod Petro debetur loquenti per Pium. Non mei ingenii, non facultatis est, meritis laudibus eam prosequi singularem ac prope divinam in eo edendo decreto pontificii consilii sapientiam: quae (quo maius dici nil potest) vicit expectationem, quam commoverat. Vehementer nimirum nec immerito damnatio iamdudum expetebatur Synodi eius, quam vel primo aspectu prudens quisque deterrimam diceret hoc ipso, quod ceterarum, quae hactenus laudatissimae habitae sunt, synodorum dissimillima prodiret. Nec omen fefellit eventus. Statim enim ut vagari ea libere coepit, bonis omnibus, qui de summa religione pie sapienterque sentirent, dolendum fuit, ab infelicis eius operis machinatoribus nil minus videri susceptum, quam ut claritati praedicationis evangelicae tenebras offunderent, hierarchici regiminis universi ordinem iura libertatem auctoritatem subverterent, atque importuno restituendae antiquitatis assimulato studio, quam nec ipsi sperarent hac temporum conditione restitui posse, vigentis interea disciplinae statum convellerent; qua dilapsa nil iam ratum firmumque consisteret, atque aperta vaniloquis et seductoribus effrenata pateret licentia ad subvertendum. Nec reapse, si verum fateri volumus, defuere illis antiquitatis exempla, qui vias inire ex omni memoria temporum a novatoribus tentatas, horumque collectas undique artes et fallacias, etsi iampridem ab aetatis cuiusque Patribus detectas et profligatas subsidio sibi comparare non dubitaverint. —

Quo magis optandum erat, ut per damnationem propositionis synodi, quae prima est inter proscriptas; claritas vindicaretur ad finem usque seculi permansura praedicationis evangelicae *in Catholica Unitate sub visibili ministerio pastorum Petri Cathedrae adhaerentium, atque ita irrevocabili tandem iudicio fixa et immota consisteret vetusta iam inde ab incunabulis Ecclesiae profecta auctoritas,* quam apostolici aevi aequalis prope ac probatissimus auctor Irenaeus hisce verbis testatam reddidit: ‚Et Ecclesiae quidem praedicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutaris via in universo mundo ostenditur.' — (Lib. 5. c. haer. c. 20.) Et quidem cum *in visibili pastorum ministerio per orbem diffuso, atque una fidei communione sub uno Supremo*

Capite devincto conspicua cernatur Cathedra unitatis, in qua profitetur Augustinus Deum posuisse doctrinam veritatis, idque ad securitatem plebis, ne unquam salubris doctrinae veritate desereretur: profecto liquet, generaliter obscuratam nec esse nec dici posse partem ullam salubris huiusce doctrinae, quae ad securitatem plebis praedicatur sub visibili ministerio, quo Cathedra Unitatis continetur; aut si quid affertur a communi ea praedicatione dissentiens, convincatur aberrare a doctrina veritatis hoc ipso, quod recedit a Cathedra Unitatis. —

— Atque in ipsa quidem pro arbitratu innovandi licentia eo gravior est culpa novatorum, quo se illi veterum canonum studiosiores profitentur, quibus proinde ignorare non liceat, minus vero auctoritatem negligere *vetustissimi canonis inter Apostolicos* relati, cuius haec est praescriptio tot postmodum conciliorum sanctionibus perpetuoque more Ecclesiae confirmata: *Eppos uniuscuiusque gentis nosse oportere eum qui in eis est primus, et existimare ut Caput, et nihil facere, quod sit arduum aut magni momenti, praeter illius sententiam.* (Can. 33.) An vero Canonis huiusce auctoritatem sequuta synodus est, dum nulla aut Sedis Ap. aut sui etiam Metropolitae habita ratione verita non est *Parisiensis Conventus a. 1682 articulos* non duntaxat adoptare, verum et in decretis ad fidem pertinentibus eo expresso consilio adiicere, ut publica horum solemnique adoptione, quae passim et sparse per totum illud decretum perperam tradita sunt, concluderet ac velut obsignatis tabulis communiret? Quo sane synodus ab ipsorummet Parisiensis declarationis auctorum sententia et verecundia longe recessit: qui primum, ne suspicari quis posset eos quidquam velut ad fidem pertinens in ea declaratione statuere voluisse, non dubitarunt in acta referre Cameracensis AEppi responsum, quo testatum erat, non eam Conventus mentem fuisse, ut ex illa sententia decretum fidei faceret, sed tantum ut eam opinionem adpotaret. Quod et aliis actis plane confirmat Bossuetius vel quisquis est auctor opusculi, cuius titulus ‚Gallia orthodoxa art. 6. in opere Defensionis.' Deinde nec et istud praetereundum erat, Gallicanos illos praesules ad exponendos suae declarationis articulos non ante devenisse, quam praefati essent sese ab illis longissime abhorrere, qui ‚primatum beati Petri eiusque successorum RR. PP. a. Christo institutum, iisque debitam ab omnibus obedi-

entiam, Sedisque Apostolicae, in qua fides praedicatur et unitas servatur Ecclesiae, reverendam omnibus gentibus maiestatem imminuere non vereantur.' Contra synodus nil detestandum hoc imminutae pontificiae potestatis crimen verita, non modo expressam illam, quam declaratio praesefert, debitae ab omnibus Primatus maiestati obedientiae professionem turpiter omittit, sed quam prorsus praeterire non potuit primatus mentionem ieiune adeo strictimque attigit, ut dum Romanum Pontificem primum duntaxat memorat inter Pastores Christi Vicarios, caput ministeriale, cui velut centro unitatis ceteri iuncti sunt, cavere inprimis voluisse videatur, ne paulo plus quidquam Romano Pontifici concederet, quam quod ei deferre primarii etiam inter protestantes viri ultro se paratos ostenderint. Nec vero quemquam fugit in illis adoptandis articulis callido consilio synodum in spem intendisse magni cuiusdam ad opportunitatem parandi sibi subsidii: verum et hic etiam astutam seculi prudentiam vicit religionis plena sapientia Pontificis, qui nempe cum de una synodo iudicium instituendum suscepisset, declaratione ipsa, utpote a synodo aliena, eodem loco et statu relicta, quem ex superiorum Pontificum decretis obtinebat, peculiarem, quae synodi propria est, tot capitibus vitiosam adoptionem peculiari damnationi subiiciendam censuit velut temerariam, scandalosam, Apost. Sedi iniuriosam, quia et ipsimet gallicanae Ecclesiae, quam dignam synodus existimaverit, cuius auctoritas in patrocinium vocaretur errorum, quibus illud est totum contaminatum decretum. Atque interea dum haec scriberem peropportune accidit, ut unius ex praestantissimis Galliarum Eppis literae mihi venirent in manus, quibus Amplissimus Antistes cum egregium suum in amplectenda SS. D. N. Pii VI dogmatica constitutione plenum pietatis obsequium, suamque communem cum aliis de profligatis pseudosynodi Pistoriensis erroribus gratulationem ad S. Congregationem Epporum et Regularium deferret, tum etiam tamquam Gallicanus Eppus praecipuo nomine de synodi temeritate gravissime conqueritur, quae verita non sit insigni plane iniuria gallicanam ecclesiam afficere, dum huiusce declarationis a. 1682 adoptionem decreto de fide insidiose adiunxit, quo et ei declarationi maioris auctoritatis pondus adiiceret, et huius dein ac totius Ecclesiae auctoritate ad suos errores tuendos per summam fraudem abuteretur. Iure sane et merito, quod

facile quivis intelliget, qui modo ad pauca illa paulo diligentius attenderit, quae sunt ea de re notata, quaeque pro rei gravitate haud piguerit denuo hic strictimque perstringere. Ac primum cum in summa expositionis fidei quam proponit synodus, (idque praeter sententiam praesulum gallicanorum, qui, ut dictum est, nihil se de fide statuere voluisse testati sunt) profitendos decernit memoratae declarationis articulos, quid aliud innuit, nisi se peculiarem quamdam et suam profitendae fidei normam ex ea declaratione voluisse arcessere; quasi gallicana ipsa ecclesia fidem aliam catholicam agnosceret, quam quae fides est aeternae Cathedrae? quae ut praeclare Bossuetius, praestantissimum eius ecclesiae decus et ornamentum, a Petro Petrique successoribus edocta nullam novit haeresim; aut sacrum illud effatum oblita esset, quod a maioribus perpetua successione traditum eodem loco idem Bossuetius luculentis hisce verbis extulit: *Romanam fidem semper esse fidem Ecclesiae.* Altera iniuria eademque gravissima extat proditque sese in conviciis, quibus omni contumeliarum genere synodus decisiones vexat, quas vocat indeterminatas, aitque nonnullis abhinc seculis prodiisse. Quae convicia nemo dubitat quin potissimum coniecta sint in venerabilem constitutionem ‚Unigenitus,' quam nec Pistorienses negare ausuri sunt designatam ab illis fuisse iis notis, quibus decisiones huiusmodi perstringit, veluti: „decreta profecta ab una particulari ecclesia aut a paucis pastoribus minus pura mente promota, ad veterem subvertendam doctrinam directa, modis irregularibus et violentis intrusa, — quibus vulnera Ecclesiae inflicta sunt recenti adhuc sangvine madentia." Nec mirum, quibus mirifice Quesnellius placeat, tanto iis odio Constitutionem esse, qua sunt eius errores damnati. At profecto quis ignorat, quanto studio fuerit ea Constitutio a gallicanis praesulibus expetita, non quidem a particulari ecclesia, sed ab Apost. Sede omnium ecclesiarum matre ac magistra, quanto sapientissimorum Antistitum consensu, obsequio, plausu suscepta? ut haec etiam praecipua laus fuerit, sic flagranti eorum studio defensam eam vindicatamque fuisse, ut iamdudum prope sileant in Gallia ora obtrectantium, nec inter abiectissimas, quae illic supersunt, quesnellianae factionis reliquias quisquam fere extet, qui non se ultro in schismaticae Ultraiectinae sectae castra coniiciat. — —

— Nunc, ut ad illa, quae ante diximus, antistitum responsa

redeamus, quis in tam brevi intervallo, quo tam multa tamque insignia undique allata sunt, quis, inquam, non divinum plane miretur aut suspiciat praesentis in ecclesia providentissimi Numinis immortale beneficium, ut *ad vocem Petri* tam promta et parata responderit clarissimorum undique Antistitum in apostolica suscipienda constitutione plena debitae venerationis et obsequii consensio? qua nempe illi suarum successionum consanguinitatem doctrinae testati sunt cum *principe illa, omnium maxima, omnibus cognita, in Sede Petri a Deo constituta Ecclesia*, per cuius Pontificum successiones praeconium veritatis in omnes gentes ad omnem futuri temporis memoriam propagaretur, ut nullus iam vel pertinacissimis obtrectatoribus obloquendi locus relinquatur, nisi si qui spreta successionum per orbem diffusarum et cum principali successione convenientium auctoritate vocem ipsam contemnere non vereatur unitatis catholicae, quae illa successionum cum prima Sede consensione et nexu coalescit, continetur, et efflorescit. His ego salutaris orthodoxae doctrinae praesidiis miserante Deo munitus, dictumque memoria repetens beati Caesarii Arelatensis Eppi: ‚Sicut a persona beati Petri Apostoli Eppatus sumit initium, ita necesse esse, ut disciplinis competentibus ab Ap. Sede singulae Ecclesiae, quid observare debeant, erudiantur,' spondeo, quoad vires ferent, daturum me operam, ut ab iis, qui pastorali meae curae subiecti sunt, praefatae dogmaticae SS. D. N. Constitutioni debita obedientia tribuatur. — Romae, die 24. Dec. 1794. — **Gerdilii** *operum edit. Neapol.* a. 1853. V. 147.

1065—1067.

Pii VI PP. literae ad Eppum Eichstettensem de opere, Benedicti Stattleri: Demonstratio Catholica' iuribus Primatus R. P. adverso, A. 1795. s.

1065. MON. *Literae primi ordinis, penes quas communicantur reflexiones contra praedictum opus Stattleri, dd. 9. Mai 1795.* In literis tuis, ven. frater, quas ad nos dedisti die 1. Apri-

lis, magnopere commendas nobis librum Benedicti Stattleri, cui titulus: ‚Demonstratio Catholica,' ac de auctoris fama sollicitus petis, ut huius operis proscriptionem, iam ad nostram Indicis Congregationem decretam, prodire in publicum ne sinamus. His a te interpositis officiis permoti suspensum teneri voluimus decretum illud, ne prius evulgaretur, quam hae nostrae ad te literae pervenirent, ex iisque intelligeres, quid nos a te fieri cupiamus, ac audire quamprimum expectemus. Interim affirmamus tibi, nihil hic non rite ac servata iuris regula in iudicando actum fuisse, quod ut per te ipse cognoscas, includimus hisce nostris aliqua folia, excerptas ex libro nonnullas magis conspicuas propositiones continentia, omissis nunc plurimis aliis, quae censura dignae sunt, quae acatholicum plane sensum praeseferunt. Quod eo animo nos facere tibi velimus persvadeas, ut, si Stattlerus paratissimus, ut scribis, fuerit ad easdem propositiones pure et simpliciter revocandas, ac revera retractaverit, ob suam retractationem concedi a nobis possit, ne publica evadat quae iam in promtu est operis eius proscriptio. Praeterea quod pertinet ad examen aliorum eiusdem auctoris operum ‚de locis theologicis, et theologia christiana theoretica, et epistola parenetica ad virum clarissimum doctorem Car. Frid Bardt,' illud nondum absolutum est; at cum accurate peractum fuerit, si constiterit ibidem etiam reperiri propositiones sanae doctrinae contrarias, easdem pariter ad te perscripturi sumus, quo possis auctorem ipsum admonere, ac ad debitam retractationem inducere. Ex hoc responso nostro facile videbis, ven. frater, qua in existimatione apud nos sis, quantumque commendationi studiisque tuis deferamus, quamque etiam habendam rationem ducamus memoriae Raymundi Antonii Eppi praedecessoris et avunculi tui: sed una etiam perspicies, cum de fidei doctrina agitur, huius rationem anteponendam esse rebus aliis quibuscunque, omninoque cavendum, ne catholicorum mentes pervertantur librorum lectione, qui tanto magis lectores in fraudem ac perniciem inducere queant, quanto doctior, probior ac religiosior vulgo reputatur parochiae Ingolstadiensis ac universitatis ibidem erectae Procancellarius: quae omnia magnum ad populi seductionem momentum habent, his praesertim temporibus, quae exitialium novitatum sunt atque errorum tempora. Et quo haec, quam a te poscimus, eppalis opera tua divinae gratiae praesidio

adiuvetur, eiusdem benignitatis auspicem apost. bened. tibi, ven. frater, in paternae etiam benevolentiae nostrae testimonium peramanter impertimur. Datum Terracinae apud S. Caesareum die 9. Maii 1795.

1066. *Propositiones in literis Pontificiis provocatae, quae ex opere Stattleri tamquam erroneae excerptae fuerunt.* — Sect. 2. cap. 1. §. 282: „Iure divino constitutum est, *ut Ecclesiae particulares ab Eppis veris cum potestate ordinis et iurisdictionis propriae et ordinariae seu stabilis eiusdemque immediatae vulgo regantur.* Apostolis enim omnibus a Christo collata est potestas iurisdictionis iuxta ac ordinis cum successione perpetua per illa verba: sicut misit me Pater etc. Et licet ea omnis Apostolorum potestas ab eodem Christo Domino ob curam totius ovilis Petro commissam subordinata fuerit potestati et iurisdictioni superiori S. Petri eiusque successorum, nihilominus eo ipso, quod Christus a toto Ecclesiae suae regimine excluserit omnem dominatum, *non dedit profecto S. Petro moralem potestatem omnia immediata iurisdictione disponendi in Ecclesia*, sed potestatem superiorem quidem, quae tamen in ordine se exercendi regeretur non ambitione ostentationis aut dominatus sed lege generali, quam finis ultimus societatis ecclesiasticae a Christo institutae determinat, videlicet, ut quamdiu nullus abusus inferioris potestatis vel officii negligentia superioris potestatis exercitium provocat, non ut maiorem sed potius ut minorem gerat, *concedendo liberum omnem legitimum immediatae potestatis usum inferioribus rectoribus cuiusque Ecclesiae.*“ — Et §. 182. N. IV: ‚*Eppi iurisdictionem propriam et immediatam in suas Ecclesias accipiunt non a Summo Pontifice, sed immediate a Deo,* supposita legitima electione et aliis requisitis.‘ — Et in subiecta nota eadem: ‚Exemplum habes in republica libera, in qua etc.‘ Hic comparata Ecclesia seu institutione Ecclesiae liberae, in qua potestate residente in populo ea Regi et subinde aliis Praefectis committitur, seu a populo ipso transmittitur, sic auctor concludit: Itaque etiamsi Christus, supremus ille Princeps Ecclesiae, Vicario suo supremo supremi imperii exercitium, limitatum tamen tota lege institutionis, qua inferiorum suorum potestatem perinde ipse in perpetuum firmavit, commiserit, esto coniunctum illud sit cum potestate designandi personas vel excludendi ab officiis inferioris cuiusque iurisdictionis, *inferiorum* tamen *omnium ministrorum*

ab ipsomet Christo Domino secundum speciem officii institutorum iurisdictio propria et immediata uti in sua continuatione non pendet a iure et arbitrio Summi Pontificis — sed solum a superiori morali potestate.‘ — Eadem Sect. 2. cap. 10. §. 286 : ‚Nullo vel S. Scripturae vel Traditionis eccles. antiquioris documento probari potest, S. Petro ut supremo Christi Vicario et totius Ecclesiae Primati, atque hoc ipso etiam eius in hoc munere successoribus a Christo Domino fuisse collatam ordinariam immediatam iurisdictionem in omnia membra Ecclesiae, aliis Eppis immediate subiecta. Imo *Scriptura S. et vetus traditio ipsaque ratio potius docet, solum mediatam iurisdictionem in aliorum Epporum subditos Supremo Christi Vicario concessam fuisse.*‘ — Et p. 398. in argumentorum solutionibus in Nota I : „Neque dicas 1. Summo Christi Vicario omnes Christianos fidei et sacramentorum communione coniunctos esse ac proinde immediate subiici. Nam respondeo, hoc aliud non esse, quam, si Eppus etiam proprius ab eo dissentiat haeresi vel inobedientia quacunque non legitima, cetera membra potius cum Capite *mediato* sentire eique obedire teneri, quam adhaerere pastori immediato, id est, Caput supremum omnes defectus inferioris pastoris corrigere posse, id quod mediatae solum est potestatis. Neque dicas 2. Papam etiam ante omne Eppi proprii iudicium posse iudicare de rebus fidei, eiusque iudicio stare debere omnes christianos; nam nisi id fiat ad supplendam negligentiam vel emendandum errorem pastoris inferioris et immediati, tunc per se loquendo id fiat necesse est ad praeveniendum istius errorem. Interim tamen ad officium immediatum Eppi pertinebit definitionem Capitis cum propria iudiciali sententia adhaesionis promulgare ac immediate sua potestate executionem urgere, id quod Summus Pontifex ubivis locorum non posset. Dicunt 3. ergone Pontifex Romanus non poterit christianos omnes a peccatis absolvere? atqui tamen S. Petro a Christo dictum est : Quidquid solveris etc. Respondeo, venientes ad se Romam, ut quivis alius Eppus in sua dioecesi, absolvere omnes ab omnibus potest; *in alienam dioecesim veniens Papa, si ex ordine a Christo constituto omnia agere velit, consensum Eppi eo modo, qui Caput Ecclesiae non dedeceat, requirere debet, si ipse immediate et in prima instantia huius subditos licite iudicare interno vel externo in foro velit.*“ —

1067. *Breve alterum ad eundem Eppum dd. 23. Ianuar.*

1796. Dum inter maximas gravissimasque versaremur huiusce temporis sollicitudines, tuae ad nos allatae sunt literae die 11 Iulii proxime praeteriti anni. Statim ac potuimus ad eas etiam convertimus curam nostram, causam nempe, quam in iisdem exposuisti Benedicti Stattler, ut muneri nostro et tuis satisfaceremus postulatis, accurate considerare suscepimus. Iam in eo sumus, ut in quos tandem devenerimus sensus, tibi per hasce nostras explicare planissime possimus. Recordari ipse potes, quid tibi iuratus spoponderit Stattlerus circa ea, quae ex opere, cui titulus ‚Demonstratio Catholica,' excerpta sunt, eique obiecta, se scilicet declarationibus suis operam daturum, ut rata omnia habeantur, quodsi id consequi non poterit, se eadem esse retractaturum. Cum in huiusmodi verba illum asseveranter esse tecum locutum intelligeremus, minime sane dubitavimus, quin idem esset a quacunque doctrinae novitate resiliturus ac ex animo ad bonam frugem rediturus. At ex foliis, quae tuis inclusisti literis, atque ille ‚declarationum ac retractationum' titulis inscripsit, haud obscure deprehendimus, susceptas in se partes ipsum nequaquam explevisse, ut proinde nostrae Congregationis Indicis latum iam de praedicto opere prohibitionis iudicium adhuc perseverare debeat, reveraque perseveret, nullo omnino pacto per earumdem declarationum retractationumque vim imminutum. Itaque quod reliquum nunc est, iam ad publicandum eiusdem prohibitionis decretum, quod nondum promulgatum est, animum convertimus, ad quod magis adhuc nos impellunt ac cogunt nonnulla, quae Stattlerus in suis ipsis declarationibus protulit. Id nos praestituros esse tibi pro certo esse volumus, nisi intra 3 menses, quod clementiae nostrae tribuendum est, opus illud suum plene et absolute, ut dicitur, retractaverit Stattlerus ipse ac damnaverit. De tua vero in hanc S. Sedem observantiae fideique constantia nihil profecto nobis ne in suspicionem quidem venire potest. De praedecessoris item ac avunculi tui Raymundi Antonii existimatione, quae nobis, prout cupis, est commendatissima, haud quidquam detractum iri verearis, cum satis compertum nobis sit, ea, quae detestamur, mala ab eo fonte non emanasse. Cuius animi nostri testem in amplius etiam paternae benevolentiae pignus apost. bened. tibi, ven. frater, tuaeque fidei commissis ovibus peramanter impertimur. Datum Romae die 23. Ianuar. 1796. — *Authentische Aktenstücke wegen*

dem zu Rom theils betriebenen, theils abzuwenden getrachteten Verdammungsurtheil über das Stattlerische Buch. Frankfurt und Leipzig. 1796.

1068. 1069.

Declaratio et retractatio **Eppi Constitutionalis Montis Albi,** seu totius Sabaudiae, A. 1796.

INTR. Plures ex sic dictis Praesulibus Constitutionalibus, qui nimirum acceptata Civili Constitutione Gallicana nominationes Conventus Nationalis pro Sedibus Eppalibus factas nequaquam reiecerunt, imo et emisso civico iuramento fidem suam eidem Constitutioni publice ac solemniter obstringere haud dubitarunt, poenitudine facti istius, decisionibus Sedis Apostolicae oppido adversi, ducti retractationem ad eandem S. Sedem subin mittebant, reiectaque praevia Constitutione obedientiam S. Sedi debitam laudabiliter renovarunt. Eminebat inter eiusmodi Praesules Eppus Montis Albi, cuius proin rectractationem una cum Brevi Apostolico Summi Pontificis vulgamus.

1068. MON. Aliquo abhinc tempore recedens a terra, in qua spiritus mendacii suas circum me praestigias renovare non desinebat, in qua iam timores et spes, iam passiones et remorsus per vices premendo agitatam animam meam, ne in se rediret, impediebant, tandem in malatia secessus et passionum silentio adverti animum ad infelix stadium, quod percurri. Quaelibet reflexio auxit meam confusionem, et scisso denso, quod meimet cognitionem mihi occulebat, velamine, vulnera animae meae et conscientiae chaos revelavit. Ad hunc obtutum pudore correptus tentabar, ut importuni luminis radios effugerem; pene me temporis mearum fluctuationum poenitebat. Sed Deus misericordiarum sit benedictus in aeternum! Bonitas eius sustentavit meam infirmitatem, gratia eius vicit repugnantem voluntatem meam, et luce sua recondita cordis mei collustrans edocuit me, quam procul me superbia in devium abstulerit, et qua mentis excoecatione eidem officia mea sortemque beatae aeternitatis

immolarim. Eheu! quam profunda est abyssus, quam sub pedibus meis excavavi! Quomodo reparabo tanta scandala, profanationes et sacrilegia? O Domine! revelabo forti animo, confitebor perfidiam meam; palam faciam eo candore, qui solus mederi quodammodo potest malis, quorum auctor aut occasio extiti, et misericordia tua sacrificium hoc gratum habens delebit iniquitatem meam.

Ego decennio Parochus fui S. Petri loci Albigny dioecesis Chamberiensis; ibi vixi, ausim dicere, cum opinione virtutis, quam homines moribus austeris passim tribuunt: sed tu, Deus meus, qui scrutaris corda et renes, vidisti, quod opera mea vacua fuerint, quod occultus amor proprius ea produxerit, et quod meorum cogitatione meritorum turgidus non satis honoris iis haberi aegre tulerim. In hoc animi habitu mens prona est in censuram, cor in obedientiae impatientiam; libenter audiuntur querimoniae contra auctoritatem, et mox eisdem suffragium adiungitur. Ita cum necessitudo mihi cum Iansenianis esset, illico laudavi, quod vocabam eorum virtutem; subinde coepi reprehendere auctoritatem, quae eos condemnabat, demum egomet parere, nisi prudentiae nomine desii. Funestam superbiae progressionem! in quos non errores me ipsa coniecit! infelix epocha! quae in Sabaudiam regnum licentiae et impietatis invexit, debuisset me initimo sensu doloris afficere, et zelum in me excitare: ipsa contra in me perversae spei et aberrationum occasio evasit. *Libertatem* Gallicanam, foecundum hoc vitiorum germen, sub specie boni mihi proposui, et *aequalitatem*, fastus delirantis fructum, seculi felicis auroram reputavi. In quam spissas tenebras mersus erat spiritus meus! Francia funditus eversa, convulsionibus indesinenter renascentibus agitata; religio in dogmatibus suis, sua morali doctrina, sua disciplina oppugnata; clerus fidelis secures impiorum, qui fines obsidebant, aegre elapsus, nihil horum oculos mentis meae aperire potuit. Seductus illecebris regiminis, quod instituebatur, conabar meum enthusiasmum cum parochianis meis communicare; annunciavi eis commoda regni *fraternitatis;* acceptavi denique cum voluptate titulum deputati ad Comitia dicta ‚Allobrogum,' et scandalosarum, quae ibi actae sunt, scenarum testis, spem de novo regimine conceptam non conservari modo, verum etiam augeri sensi. Huiusmodi erant animi mei motus, dum Conventus Nationalis Commissarii publice

in Sabaudia proclamationem adeo desideratam ab impiis, adeo formidatam a fidelibus, quae cum auctoribus suis ad evertendum aut opprobrio cummulandum sacrum ministerium destinata esset, huic potius pulcherrimi triumphi occasionem subministravit. Suppressio Eppatuum Sabaudiae, eorum unio sub titulo Eppatus Montis Albi, obligatio parendi decretis comitiorum Nationalium, praeceptum omnibus Ecclesiasticis servitio cultus addictis impositum emittendi iusiurandum libertatis et aequalitatis, sine explicatione, sine restrictione, haec fuit summa eius funestae proclamationis.

Iam errores, quos eadem in Sabaudiam intulit, Brevi Summi Pontificis 10. Mart. 1791. contra Civilem Constitutionem Cleri edito damnati erant; iam altero Brevi 13. April. edito omnibus, qui eam Constitutionem se observaturos iuraverant, praescriptum fuit, ut iusiurandum a se praestitum retractarent. Eppi Ecclesiae Gallicanae se ei iudicio adhaerere palam fecerant, atque una cum Cleri sui maxima parte sua agendi ratione eam commonstravere constantiam, quam nec exilium, nec spoliationes, neque supplicia vincere possent. Tandem Eppus meus, mei superiores, ipsi simplices fideles, hi omnes ad me in officio continendum conspirabant; ego tamen haec omnia insuperhabui, meque impiis factiosis, qui Ecclesiam et Rempublicam pervertebant, coniungens praescriptum iusiurandum emisi. Actu hoc funesto turbam errorum adoptavi. Ecclesiam, divinum hoc institutum, cuius auctor est Iesus Christus, cuius media sunt infinitorum Christi meritorum applicatio, cuius finis est aeterna hominum salus, tradidi, quantum per me stabat, potestati humanae, et speculationum politicarum delirio. Vidi absque horrore, potestatem civilem decidere, quod Eppi per Spiritum S. ad regendam Ecclesiam positi, auctoritatem suam amiserint; vidi ab eadem potestate Epporum iurisdictionem extendi aut restringi ad modum gubernatorum provinciae; et inaudita ea attentata, quae auctoritatem Ecclesiae suique regiminis independentiam in nihilum redigebant, destruebant ideam spiritualis potestatis et sacri ministerii, quae proinde involabant in fundamenta fidei, me insensibilem repererunt; applaudebam illimitatae submissioni, praestitae auctoritati, quae Sabaudiam gubernabat. Spiritui illusionis deditus, ex eo mihi magis placebam; superbus in coecitate me ad magis adhuc funestos lapsus praeparabam. Ad

id luculentam occasionem praebuerunt mihi Comitia, quibus ego ad praetensum Montis Albi Eppatum sum evectus. Electionis huius irregularitas, novitas tituli, sedium quatuor viventium Epporum usurpatio merito percellere me atque ad refugiendum inducere debuissent; sed o fascinationem incomprehensibilem! Acceptavi nihil haesitans; et sub oculis Eppi mei, venerabilis senis illius, qui tunc longum suum ingressus est martyrium, et qui clero suo eo medio clarissima et efficacia praecepta dabat, ausus sum accedere ad exhibendas electoribus meis in ipsa Cathedrali Ecclesia gratiarum actiones. Et nihilominus sola eius electionis adiuncta debuissent aperire oculos meos; electores nempe a cunctis communitatibus Ducatus diserta receperant mandata, ne ulli in ordine religionis innovationi consentirent. Idcirco dum ad electionem meam procedi viderunt, plerique abscesserunt. Electio itaque facta est a populo, qua de re saepe gloriari non erubui; ea nonnisi aliquot hominum irreligiosorum votum continebat; ego tamen illud mihi tam ignominiosum votum ‚electionem disciplinae Ecclesiae primitivae conformem' appellavi. Quantum vero discrimen inter vetus Concilium Epporum, populum alicuius civitatis de electione in consilium vocans, et inter comitia electiva, ubi diversarum communitatum nuntii pro maiori suffragiorum numero decidunt! Verum in rem meam praecipue conducebat vano eo spectro illudi, et in adoptandis adminiculis haud esse difficilem.

Post eiusmodi praevaricationes nihil me amplius cohibere poterat; scripsi Summo Pontifici de electione mea; explevi vanam hanc et Capiti Ecclesiae iniuriosam ceremoniam; et quin vel expectarem, vel sperare possem responsum, Lugduni a tribus Eppis Constitutionalibus consecrationem sacrilegam suscepi. Assumsi titulum Eppi Montis Albi, eius novitate nominis palam declarans meam ab omnibus Ecclesiae Cath. Eppis separationem, inobedientiam erga Summum Pontificem, et mei schismatis complementum. Sub talibus auspiciis me Annecium contuli, quo loco Genevenses Eppi residere consveverunt; civitas haec designata ut theatrum esset, in quo ego sterile ministerium meum exercerem, in consternatione fuit; incolae conspectum meum refugiebant, eorumque triste silentium meum mihi crimen exprobabat; attamen Ecclesiam Cathedralem ingressus sum in corona Districtus et Municipalitatis, atque ibi praestito libertatis

et aequalitatis sacramento intrusionis meae perfectum atque indubium edidi documentum. Quale sacramentum! qualis inauguratio! omnia originem novitatemque ministerii mei annunciabant, muri ipsi eius venerabilis Ecclesiae videbantur meam reprehendere audaciam, ego tamen inde magis modo excoecatus, magis obstinatus excessi. — — Mea praetensa *pastoralis epistola* — nihil aliud erat, quam apologia mei schismatis, defensio omnium religiosarum et civilium innovationum, quae in patriam meam invectae fuerunt. ‚Suscipietis, in ea dicebam populo, novum Pastorem, qui venit in nomine Domini ad vos illuminandos'; ego tamen ceu a potestate seculari missus, secundum C. Tridentini expressionem fur tantum et latro eram; et ab Ecclesia, quae columna est veritatis, extorris tenebris immersus eram densissimis, neque iam aliud sequebar institutum, nisi errorem praedicandi, et gravissimorum facinorum vindicias adornandi. ‚Suscipietis eum, qui vos sanctificabit;' et ministerium meum sterile, in impura scaturigine sua aridum, haud connexum successioni apostolicae, quae sola illud animare poterat, nil exhibebat aliud, nisi simulacrum inane Eppatus, imbecillorum scandalum, terrorem fidelium animarum. ‚Suscipietis eum, prosequebar, tamquam purae fidei, sacrorum quae proponit Ecclesia dogmatum depositarium, et sincera unione Capiti suo coniunctum'; et mea agendi ratio ac mea doctrina fidei perpetuaeque Ecclesiae disciplinae repugnans, decisionum eius infallibilitatem, regiminis auctoritatem, eam, quam universi fideles Summo Pontifici debent, obedientiam evertebat. Qua ego deploranda temeritate asseverare audebam, quod electio mea, mea consecratio, meaque in Sedem Eppalem a longo iam tempore vacantem evectio fuerint canonicae et conformes Ecclesiae primorum seculorum disciplinae? Quam faustus mihi et populo eventus, quod tam multi errores tam paucos invenerint in praetensa dioecesi mea sectatores! Sane ipsi simplices fideles senserunt ecclesiastici regiminis rationem adeo palam constare, ut nemo eam sibi fingere diversam possit, quin suam prodat conscientiam. Ipsi agnoverunt secundum praxim Ecclesiae, quod omnes ordinationes eppales post obtentas a Summo Pontifice Bullas factae sint, quod Summus Pontifex sit solus, cui Ecclesia potestatem permisit, ut iurisdictionem Eppis conferret; quod ipsa ea ratione veterem usum, iuxta quem Metropolitani missionem et confirmationem imper-

tiebant Eppis, abrogarit; quod Eppi canonice missi et ordinati auctoritatem suam, nisi iudicio Ecclesiae, aut per resignationem a Summo Pontifice acceptatam, amittere non possint; et cum viderent meam agendi rationem Ecclesiae auctoritate neutiquam fulciri, verum potius Ecclesiam omnes, quae tum acciderunt, novitates aperte aversari, recte concluserunt me et eos, qui mihi adhaerebant, eius auctoritati rebelles esse. — Conscripsi ‚Catechismum momentosum christiane politicum'; debuissem dicere: ‚politice christianum'; nam scopus eius scripti erat, Religionem Iesu Christi ad Constitutionem Gallicanam accomodare, et magnum revolutionis amorem inspirare. In eo conabar praesertim ostendere, quod ‚Constitutio Civilis Cleri' Religioni prorsus nihil adversetur, imo Ecclesiae primitivum decorem restituat. Quilibet Constitutionis articulus horrorem excitare in me debuisset, ego tamen eam universim conformem esse fidei Ecclesiae contendebam. Novae leges Gallicanae proscribebant vota solemnia, reprehendebant exercitium consiliorum evangelicorum, ego vero temerariorum istorum decretorum executionem pronunciabam esse opus ipsius Dei, tamquam disciplinae eccles. instaurationem.

Civili Constitutione Cleri novis Eppis praescriptum fuerat, ut nihil determinarent, nisi post deliberationem Consilii, quod ipsis ea assignatum fuerat. Hoc decretum laedebat Eppalem auctoritatem, et regimen ab ipso Christo institutum in Ecclesia. At ex usu sacris canonibus commendato, quem et sanctissimi sequuti sunt Eppi, ut consilium suum consultarent, praesto mihi adfuit praetextus, unde innovationem hanc comprobarem. Eam confundere affectavi cum usu veteri, qui ad hoc unum introductus fuerat, ut auctoritati lux praeferretur, eaque magis amabilis evaderet, atque ita Eppum exclusivo Ecclesiae suae gubernandae iure exuens, verum docui Presbyterianismum. Sub eo praetextu, quod iuxta antiquae disciplinae leges Eppi canonice potuerint ordinari, sine Bullis Summi Pontificis, conclusi eos eodem modo posse institui, ex quo Ecclesia statuerat, ut absente mandato apostolico nulla posset haberi canonica Epporum ordinatio. Oh! quam ignota mihi fuerunt tum vera Ecclesiae constitutio, tum sacratissima visibilis ipsius Capitis iura! Successori S. Petri denegabam Primatum hunc iurisdictionis, quem ab ipso Christo obtinet, quemque tota semper agnovit Ecclesia. Primatum eundem ad

simplicem prae ceteris Eppis praesidentiam, indispensabilemque cum Sede Apostolica communionem ad vanam epistolae mittendae formalitatem redigebam. Brevia ac decisiones Summi Pontificis censorio calamo impugnabam. Eas a ceteris Eppis nonnisi ex defectu examinis ac libertatis, nonnisi cupiditate aut politica arte impellente, nonnisi tyrannide aularum cogente acceptatas fuisse asserebam. Denique sic Ecclesiae dispersae auctoritatem destruere attentabam. — E calamo meo fel malignitatis distillavit; satyram argumentis, ironiam ponderi auctoritatis opposui; clero fideli colorem ridiculum illinere conatus sum; imo calumnia ipsa armatus incessi, dum pastores zelosos, qui vitam exposuerant suam, ut fidei depositum ovibus suis conservarent, velut supina ignorantia laborantes et fanatismo impulsos traduxi. Et nihilominus post tot ac tanta scandala minime reparata fere singulis diebus hucusque non exhorrui sacra celebrare mysteria. — O Deus misericors! Deus benigne! Tu illusiones meas dissipasti; — perfice dona gratiae, quibus me cumulasti; — et pro tui nominis gloria acceptam gratamque habeas ac salutarem efficias publicam professionem, qua me tuae legibus Ecclesiae obsequentem constituo. — Credo et confiteor omnes veritates, quas Ecclesia Catholica, Apostolica, et Romana tradit. Ego credo speciatim existere sacrum ministerium a Iesu Christo in Ecclesia sua institutum; auctoritatem et infallibilitatem, quam Ipse communicavit corpori primorum pastorum, cuius Caput est Papa, ad docendum, regendum et gubernandum in ordine salutis; et absolutam independentiam spiritualis potestatis, quam concredidit pastoribus Ecclesiae ad sanctificationem animarum. — Post professionem s. veritatum, retracto et ex convictione et ex obedientia erga Summum Pontificem, infaustum iuramentum libertatis et aequalitatis. — Convictus simul et Summo Pontifici obediens, — omnes Constitutionis civilis Cleri errores expressis verbis abiuro, totoque corde me subiicio iudicio, quod ipse adversus hanc Constitutionem emisit, sicut et aliis omnibus iudiciis a Sede Apostolica prolatis et ab Ecclesia receptis, praesertimque Baii, Iansenii, et Quesnelli errorum damnationi. Agnosco praetensam Sabaudiae Ecclesiam, cuius Caput constitutus sum, fuisse novam, et schismaticam ecclesiam; — me, utpote nullatenus missum a Summo Pontifice, cui soli hodie competit ius instituendi Eppos, in consecratione mea nihil accepisse,

praeter characterem mortis, sacrilegii fructum, — omnes dispensationes a me concessas fuisse invalidas; extra parochiam, quae mihi canonice concredita fuerat, non fuisse me legitimum earum partium sacerdotem, quae coram me matrimonium inierunt; absolutiones a me concessas, excepto mortis articulo, esse nullas; eosque, quibus manus imposui, nonnisi characterem sibi aeque ac mihi funestissimum recepisse. — Praetenso Montis Albi Eppatu me abdico, — meque ad statum poenitentis abiiciens, veniam precor — a Summo Pontifice, cuius contemsi auctoritatem; ab Eppis Sabaudiae, quorum usurpavi iurisdictionem; a presbyteris, quos seduxi aut ordinavi; a fidelibus, quibus fui scandalo; denique ab ipsissimis patriotis, quos ad perseverandum in suo delirio atque erroribus pro meis viribus induxi. —

Ecclesia sancta! cuius violavi unitatem, doctrinam contemsi, auctoritati insultavi; *Ecclesia Apostolica!* sola sacri ministerii depositaria, et a qua nemo se potest seiungere, nisi suae renunciet saluti; *Ecclesia Catholica!* cuius nudum vocabulum Ecclesiam constitutionalem Galliae proscribit; *Ecclesia Romana!* sedes S. Petri, quae possides in eius successoribus Primatum honoris et iurisdictionis; Ecclesia aliarum Ecclesiarum magistra, custos fidei, indefectibile centrum unitatis; Ecclesia Iesu Christi, visibile et semper subsistens potentiae et amoris sui miraculum; Ecclesia depositaria eius coelestis doctrinae, quae vicit infernum, confudit sapientiam humanam, et mundum subiugavit! suscipe infelicem, qui tam longe, tantoque impetu a te resessit. Utinam, si possibile foret, poenitentia, quae me in sinum tuum reducit, notior sit, quam errores, qui me e tuo sinu excluserunt, ut fideles de mea conversione edocti, et dolore meo tacti, efficacibus orationibus suis indignitatem meam operiant, impetrentque a Patre misericordiarum, ut ratam in coelo habere dignetur sententiam reconciliationis, quam sollicito in terra, et quam expecto absoluta cum submissione erga leges et decisiones eius Ecclesiae, in qua volo vivere et mori. E loco mei secessus 22. Febr. 1796. *Franciscus Theresia Panisset.*

1069. *Breve* **Pii VI PP.** *ad constitutionalem Eppum Montis Albi post eiusdem retractationem, a. 1796.* Plurimum sane paterno dolori nostro solatium cepimus, cum perlegissemus retractationem tuam a te subscriptam, atque ad nos transmissam, una cum literis die 22. Febr. proxime praeteriti datis, in quibus

clara praebes indicia, te ab erroris semita ad matris Ecclesiae gremium rediisse, omnesque accurate conditiones expresse, quae in nostris praescribuntur Brevibus, atque illo praecipue diei 13. Iunii 1792, in quo expresse mandantur ea, quae intrusi in viam salutis remigrantes exequi debent, antequam ad percipiendam absolutionis gratiam admittantur; praetereaque animum hunc tuum re ipsa nobis confirmasti, dimissa nempe cura S. Petri de Albigny, in qua legitime fueras institutus. Maxime in hoc tuum approbamus consilium, quod publice constare, lateque per typos diffundi volueris eam retractationem, cum hunc in modum par erat gravissima reparari scandala, quae illata in publicum erant ex tot tamque enormibus delictis, quorum te ipse in eodem folio accusare ad maiorem poenitentiae nunc tuae declarationem non dubitasti: ut hoc scilicet exemplo alios aut iniquo obstrictos iureiurando, aut intrusos, aut quomodolibet fautores asseclasque hodierni schismatis, ad similes eiurandos errores, ad ecclesias, in quarum se curam intruserunt, abdicandas, ac tandem ad revertendum in fidelium coetum, unde perfide abscesserant, excitares. Cum haec a te sincere, atque ex animo non solum declarata, sed etiam peracta videamus, libenter ad tuas accedimus sublevandas necessitates, proptereaque sacerdoti ad excipiendas fidelium confessiones approbato, a teque ipso eligendo facultates necessarias ac opportunas concedimus, te ab excommunicatione ac gravibus a culpis, quarum te ipse reum agnoscis, atque accusas, ac doles, absolvendi. Nihilo tamen minus, postquam eas absolutiones obtinueris, adhuc suspensus remanere debes ab exercitio cuiuscunque ordinis, nec non et irregularis, teque nonnisi in communione laica tantummodo constitutum esse censere. Nobis vero, cum perspexerimus, quam constanter te geras in tuo sentiendi vivendique proposito, postmodum statuendum erit, conveniatne novam tibi indulgere gratiam exercendi aliquem ordinem legitime antea a te susceptum. Atque hic, dilecte fili, praetermittere nos paterna caritas non sinit, ut te etiam ex intimo corde hortemur, in eo, in quem regressus es, fidelis vitae cursu sedulo ac perseveranter insistere, neque illis unquam aures praebere, qui te summo conantur studio revocare ac retrahere ad perditionis viam, prout certe et hactenus contendisse et etiamnum intrusos Galliae Epos contendere non ignoramus. Quod superest, etsi valde com-

mendamus desiderium tuum ad nos Romam veniendi, ac ad haec SS. Apostolorum limina, tamen te omnino ab hoc ineundo itinere dehortamur, et tuae tam affectae valetudinis causa, et vitae discriminum, quae evitare hoc difficillimo ac periculosissimo, ut optime nosti, tempore non poteris. Deum O. M. precamur, ut sua te gratia, prout iam coepit, in Iesu Christo per S. Spiritum prosequatur, foveat, et custodiat, tibique apost. benedictionem, per quam illius in te misericordiae fructus semper uberiores existant, ex animo ac peramanter impertimur. Datum Romae die 1. Iun. 1796. — *Ex historia Revolutionis Gallicanae Monumenta quatuor.* Posonii. 1802. et : **Collectio Brevium** edit. anni 1800. II. 223.

1070.

Pius VI PP. datis ad Catholicos foederati Belgii literis electionem et consecrationem novi pseudo-AEppi **Ultraiectini** reiicit et damnat, A. 1797.

MON. Perlatus ad nos est infelix nuncius, dil. filii, pristina in ista *Ultraiectensi* ecclesia nuper renovata esse contumaciae ac audaciae exempla, electum nempe in Ultraiectensem AEppum fuisse die 10 Maii *Ioannem Iacobum Van Rhyn*, eundemque die 5 Iulii eppalem accepisse consecrationem ab Adriano Ioanne Brockmann Harlemensi inter suos nuncupato Eppo. Ista quandoquidem in conspectu pene vestro peracta sunt, minime dubitamus, quin vos statim praeteritorum non ignari omnino respuenda esse iudicaveritis, ac pro vestra cum Romana beati Petri cathedra coniunctione detestati maxime sitis, quod facile intelligatis, pluribus cumulatis eius pertinaciae ac temeritatis actibus graviores illos vel ex ipso temporis cursu magisque execrandos effici. Tamen nostri nos officii memores, nostrisque ac praedecessorum nostrorum vestigiis insistentes has ad vos dare literas non omittimus, ut nostros, quos antea in simili causa non semel cognovistis, nunc etiam pontificios vobis sensus confirmemus. Itaque *apostolici iudicii auctoritate declaramus, ac decerni-*

mus, tam electionem eiusdem Ioannis Iacobi Van Rhyn in AEppum Ultraiectensem illicitam, irritam ac nullam, quam eius consecrationem esse illegitimam ac sacrilegam, contraque sacrarum legum sanctionem factam; memoratumque Adrianum consecratorem et ipsum Ioannem electum consecratumque, omnesque eos, qui in nefaria electione partem habuerunt, quique tam electioni quam consecrationi opem, operam, consensum, consiliumque quomodolibet praestiterunt, *excommunicamus*, anathematisamus, atque ab Ecclesiae communione segregatos et prorsus schismaticos habendos et vitandos esse pronunciamus, constituimus et mandamus; praeterea dictum ‚Van Rhyn' declaramus ab omni exercitio eorum, quae iurisdictionis sunt, et quae ordinis, esse suspensum, eidemque idcirco interdicimus sub poena excomm. ipso facto sine ulla declaratione incurrendae, ne ullo pacto chrisma conficere, confirmationis sacramentum conferre, clericos ordinare, aut alia quaecunque sunt eppalis ordinis, exercere valeat, decernentes insuper vacuos, inanes, nulliusque prorsus roboris ac momenti omnes et singulos alios actus, quos attentare praesumserit. Qui vero ab ipso eccles. ordinibus initiati fuerint, noverint suspensionis vinculo se obstrictos, atque irregularitati propterea obnoxios, si susceptos ordines exercuerint.

Dum haec vobis, dil. filii, pro rei gravitate significanda duximus, illud etiam ne ignoretis volumus, ipsum ‚Van Rhyn' certiores nos eiusmodi actorum per suas literas die 10 Iul. datas facere voluisse, quodammodo illudere nobis sanctaeque huic Sedi insultare tentans, cum nequaquam inscius esset, quo sensu excepturi eius literas essemus, in quibus talem praeseferens inobedientiam pacis tamen et caritatis osculum a nobis petit, paternamque benedictionem efflagitat. Si id serio ac ex animo postulasset, maximum nobis ad eius status commiserationem praebuisset incitamentum. Verum praetermittit omnia, quae ipse optime novit praemitti oportere, ut nos ad porrigendam poenitenti ac supplicanti dexteram inclinaret. Quo ipso admonitos volumus vos, dil. filii, ut omnino ab illius fallacibus blandisque verbis caveatis. Illi enim, qui ab hac Petrae soliditate defecerunt, omnem dare operam non desinunt, ut alios ab eadem per fraudem, deceptionemque misere seducant, suaque perversitatis et contumaciae peste depravent. Sed ea est nostra de vestrae

fidei, pietatis et erga hanc Sedem observantiae studio, quod egregie semper probastis, existimatio, ut nihil a vobis aliud expectemus, quam quod pristinas laudes vestras ac in praeclaris meritis constantiam magis in dies augeat ac illustret. Proinde vobis, dil. filii, et in divinorum munerum auspicium et in paternae singularis benevolentiae testimonium apost. benedictionem ex intimo corde depromtam peramanter impertimur. Datum Romae die 26 Aug. 1797. — **Bullarii R.** *continuatio.* T. X. Romae. 1845. p. 116.

1071.

Pius VI. PP. in Captivitate positus Eppos Galliae in Anglia exulantes ob constantiam eorumdem in fide et unitate collaudat, atque ad hanc deinceps quoque non obstantibus aerumnis, quae Ecclesiae a seculo obveniunt, intrepide tuendam et conservandam excitat, 10. Nov. 1798.

MON. Constantiam vestram in Ecclesiae unitate tuenda, tantisque in laboribus ob catholicam fidem perferendis et universus terrarum orbis suspexit, et nos pro pastorali apostolatus nostri munere non uno sed pluribus paternae sollicitudinis nostrae testimoniis semper confirmandam curavimus. *) Nullae siquidem literae a vobis pervenerunt ad nos, quibus non ita

*) Epistola Epporum Galliae in Anglia exulantium ad Summum Pontificem, cuius in nexu Breve isthoc editum fuit, sequens erat: „Beatissime etc. Utprimum hoc nefando schismate, quod apud nos invexit illa recens eversionum lues tam altaribus ipsis, quam soliis regum et imperiis infensissima, dilaceratam se sensit Ecclesia Gallicana, non stetit in ambiguo, quin protinus ad eum, cui donatum est confirmare fratres suos, fidenter confugeret. In paterno Vestrae Sanctitatis sinu curas et angores deposuimus, cum indubitata spe, tot inter dolorum et difficultatum causas nobis inde non minus remedii quam solatii et levaminis adfuturum. Ab iis fundata S. Evangelii praeconibus, quos primi b. Petri successores in Galliam miserc, nostra illa Francorum Ecclesia per suam constantem cum Sede Apostolica communionem usque nunc inconcussa permansit, et eo felici nexu,

semper responderi iusserimus, ut intelligeretis simul et quo loco haberemus admirabilem virtutem vestram, et quanto dolore afficeremur ob gravissimas aerumnas, quibus iactabamini, et quam vehementer solari vos atque in virtute D. N. Iesu Christi confortare, atque erigere animos vestros studeremus. Quam significationem paternae caritatis, qua vos ceterosque invictos Dei confessores, ven. fratres nostros semper complexi sumus, si antea dedimus vobis, multo nunc magis ad consolandos et confirmandos animos vestros dandam censemus, cum videamus vos magnitudinem ac diuturnitatem aerumnarum vestrarum oblitos, tanto in moerore metuque versari propter eas, quibus Deus per summam misericordiam suam ad salutem nostram operandam in nobis dignos nos habuit. In quo tamen si de Ecclesiae periculo in periculo nostro timetis, laudamus nos quidem sollicitudinem vestram, sed simul tribulationis vim, qua pressi estis, agnoscimus, quae facit, ut, cum tot Dei promissis Ecclesiam numquam defecturam, semperque in tribulationibus florentiorem fore sciatis, vacui tamen metu de illius periculo in discrimine nostro esse non possitis. Si vero quae nos ipsi patimur, sollicitos habent vos, propter eam aegritudinem, qua animum nostrum in hoc exilio confectum arbitramini, grati nos quidem sumus caritati in nos vestrae, verumtamen vos cum apostolo obsecramus, ne angustiemini in nobis, nec deficiatis in tribulationibus nostris; fi-

---

qui quidem est genuinae catholicae unitatis tessera, fidei integritatem servavit illibatam. Unde autem suum robur, hinc etiam sibi recuperandae salutis non degener expectatio. Pro certo scilicet habebat, sedata semel hac ingenti tempestate gregibus aeque ac pastoribus calamitosa, ex eodem unitatis centro emersurum esse quemdam divinae faustitatis radium, qui non modo singula recrearet, sed etiam ampliori virtutum et honoris luce omnia quaeque collustraret. In spem tanti beneficii versabatur indesinenter ante oculos nostros immensa illa nec interrupta unquam antecessorum vestrorum series, cui mystici navigii clavum cum gloria tenuere. Alii quidem eloquentia et ingenio, alii eruditione, alii sanctitate et diverso virtutum genere pro varietate temporum claruerunt. Ac Romam iusto et leni imperio gubernasse, legibus temperasse, beneficiis devinxisse, tum veteribus tum novis artium monumentis decorasse, quod est magni principis; at Ecclesiam doctrina simul et pietate et prudentia et imperterrita animi magnitudine inter difficillimas rerum angustias fulcire, solari et regere, quod est optimi pastoris: haec, beatissime Pater, haec vestra laus est, hoc pontificatus vestri decus et ornamentum. Moestas solabamur his mentes cogitationibus, cum sceleratum illud fulmen, quod nos de sedibus disiecit praecipites,

eri enim non potest, ut, quamvis tot adversa feramus, ulla animi aegritudine conficiamur, scientes nulla alia in re tantam gloriam inesse, quantam his in laboribus, quibus Deo sic permittente iactati sumus. Neque vero cum gloriam dicimus, eam dicimus, quae est illis promissa a Deo, qui ab hominibus eiecti, spoliati, exprobrati, maledicti propter nomen Christi persecutionem patiuntur, qui ne capillo quidem capitis deperdito copiosam mercedem in coelis possidebunt; neque illam, quam eos manere scitis, quorum vita nunc reputatur insania et finis sine honore, qui tamen inter sanctos sortem habebunt, et inter filios Dei computabuntur; verum eam gloriam dicimus, qua hoc ipso tempore cumulamur a Deo, dum tot his aerumnis ac contumeliis perferendis spectaculum mundo, angelis et hominibus facti sumus pro Christo. Nam sive ad corripiendos et castigandos nos supra caput nostrum ita gravata sit manus Domini, quid hac tribulatione gloriosius nobis? qui etsi iuste pro peccatis nostris affligimur, per ea tamen, quibus affligimur, et amari a Deo, et licet peccatores simus, tamen a patre misericordiarum amantissimo tamquam filios haberi cognoscimus, cum dicat apostolus: quem diligit Deus, castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit; sive per tentationem hanc, qua sic exerceri permittit nos Deus, experiri velit fidem et perseverantiam nostram, quanta haec item gloria nostra est! cum per tentationem hanc etiam

---

capiti Vestro pariter impendens ictu repetito tonat, ardet, irruit, et ipsi Ecclesiae extrema minitatur, si fas esset ut portae inferi adversus eam praevalerent. Cum temporibus antiquis Italiam barbari devastarunt, et arcem christiani orbis Romam subegere, sacris saltem Pontificibus pepercit effera eorum barbaries. Quin ad aspectum magni illius divi Leonis, qui fuit unus ex antecessoribus Vestris et Vestrum exemplar, stetit Attila ipse venerabundus, et praesente tanti Praesulis annosa gravitate tota cecidit victoris ferocitas. Quid ergo nobis lugendum magis, quam quod de nostra Gallia, quae nuper Regem suum et christianissimum et Ecclesiae natu maiorem appellare gloriabatur, eruperint homines, qui per debacchantem impiae philosophiae dementiam subito evaserint Gothis et Vandalis ipsis immanitate crudeliores? Qui fieri potuit, ut homines longo religionis aut saltem innatae cuiusdam humanitatis usu informati citius quam incultae et hispidae naturae nationes cum exuerint reverentiae sensum, quem vi blanda sibi attrahere videbatur venerabilis pastor, in quo senilis maiestas, augusta frons, dignitatis splendor, tot pacificae dotes, constans et elata mens in adversis, virtutum denique omnium sacer comitatus coeleste quoddam et divinum, spirabant? Inde luctus noster, inde moeror, inde cor nostrum anxie pavitans

vel in nostra hac indignitate sperare possimus non despectos, sed acceptos nos esse Deo, cum illud legimus: sicut in igne probatur aurum, sic homines accepti in fornace tentationis; neque id eo consilio, ut in tentatione deficiamus, sed ut probatio nostrae fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur. Hac cogitatione, ven. frater, ita mirifice et consolatur et corroborat infirmitatem hanc nostram Deus, ut non eas solum, quas ferimus, sed multo etiam maiores tribulationes perferre desideremus, dummodo et propter iustitiam et propter Christum eas perferre debeamus, et tot hisce laboribus, non ad animae nostrae interitum, sed ad emendationem et probationem nostram tamquam filii Deo non despecti exerceamur. Quodsi non peculiare nostrum tantummodo sed commune etiam Ecclesiae bonum consideremus, deestne nobis, quo ad eas calamitates non solum in omni patientia verum etiam in gaudio et gratiarum actione sustinendas animos nostros erigamus? Non ii vos estis, fratres venerabiles, qui docendi a nobis sitis, quam alienis atque adeo quam abhorrentibus ab humana ratione consiliis ad demonstrandam omnipotentiae suae vim, qui infirma mundi eligit, ut confundat fortia, Ecclesiam suam constituerit eamque ad hanc, quam miramur, amplitudinem auxerit. Scitis

---

et assidua ad Dominum deprecatio, ut mittat angelum suum bonum, qui te salvum facere, solari, comitari velit, ducere ac reducere. Sub hac tanta malorum congerie nobis tamen, Beatissime Pater, superest aliquid, quod mirum in modum sublevat animos. In Catholica doctrina ratum quippe est et divinitus statutum, fidem Petri numquam defecturam esse, imo usque ad finem seculorum permansuram. Sublimis illa Summorum Pontificum sedes et columna veritatis procellosis impiorum hominum affectibus et scelerum aestu poterit quidem interdum concuti, iactari, sed numquam funditus evelli. Ubicunque terrarum fuerit Pontifex, qui canonica lege ius et sedem teneat illius, cui a Christo Domino dictum est: ‚Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam,‘ et rursum: ‚Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua‘: ibi erit et idem centrum unitatis, quod assidue debeant ceterae ecclesiae consulere, venerari, eique radicitus adhaerere. Alta sane et incomprehensibilia sunt iudicia Dei, et veritas eius manet in aeternum. Stabit ergo, Beatissime Pater, tua indefectibilis cathedra, et tu ex altissimo illo gradu tot inter rerum humanarum vicissitudines eris universo orbi spectaculum ingens, forma gregis, apostolici vigoris norma, et cuilibet homini christiano fidei et constantiae memorabile simul et efficax oxemplum. Hac freti spe, hoc mentis affectu, tuis affusi genibus apost. benedictionem enixe rogamus.“

sane, ut a cruce atque a suppliciis initia, a contumelia gloriam, ab errorum tenebris lucem, ab oppugnatione incrementa, a iacturis ac cladibus stabilitatem eam voluerit habere, ut numquam magis gloriosa ea fuerit, quam cum minus gloriosam eam efficere homines sunt conati; numquam magis secura, quam cum vehementioribus persecutionum procellis periculosius fuit ab inimicis suis agitata. Quam ob causam Noemicae illi arcae a sanctis patribus comparatur, quae eo securius super naufragantis orbis undas assurgebat, quo furentioribus imbrium ac ventorum viribus obrui demergique videbatur. Nostis etiam quemadmodum ea continenter per trecentos annos vexata, facultatum rapinas, contumelias, carcerem, catenas, exilia, cruces, flammas, carnificinas perpessa, pontificum ferme omnium, episcoporum ac martyrum infinitorum sangvine cruentata, fide, patientia, mansvetudine sua tyrannorum crudelitatem delassaverit, superstitionem deleverit, et a mari usque ad mare crucis gloriam victrix propagaverit, eosdemque religionis fines ac orbis terrarum fecerit. Fides ecclesiae, scribit S. Ambrosius, neque in gladio suo feras expulit nationes, neque certamine bellico turmas fugavit hostiles, sed mansvetudine et fide terras inimicorum possedit. Fides enim sola pugnavit, ideo triumphos meruit, quia persecutionibus non vincitur ecclesia sed augetur.

Quae primis temporibus ad ecclesiam auspicandam ac propagandam facta sunt, eadem ad ipsam ornandam atque amplificandam consequentibus subinde annis scitis accidisse. Nota omnibus sunt sacrilega illa contra Ecclesiam bella haereticorum, notae execrabiles immanitates, nota odia impetusque illi acerrimi, quibus eius unitatem dissolvere, integritatem violare, maiestatem minuere acerbissimi illi hostes conati sunt, a quibus profecto, si ullis hominum aut inferorum dolis ac viribus ecclesia posset excindi, omnia exitia ei fuissent metuenda. At vero quantanam parte suorum ornamentorum nunc careret ecclesia, si illa teterrima bella, illae acerrimae contentiones ad eam convellendam non exstitissent? Cum etiam ferro, flamma, vinculis, rapinis, proscriptionibus, suppliciis cum in catholicos universos, tum praecipue contra sacerdotium saevitum est, quid tum? quid proficere contra ecclesiam eiusque doctrinam acerbissimi hostes potuere? Quantum decus ex tot confessorum constantia! quanta lux ex tot doctorum sapientia accessit Ecclesiae! Tanta nimi-

rum, quanta numquam accessisset, nisi contentiones illae ad eam obscurandam fuissent excitatae. „Pugnarunt contra ecclesiam haeretici, verba nostis S. Augustini, et ecclesiam quaestionibus agitaverunt; et aperta sunt quae latebant, et intellecta est voluntas Dei. Multi, qui poterant scripturas dignoscere et pertractare, latebant in populo, nec afferebant solutiones quaestionum difficilium, cum calumniator nullus instaret. Numquid de Trinitate perfecte tractatum est, antequam obsisterent Novatiani? Sic non perfecte de baptismate tractatum est, antequam contradicerent foris positi rebaptisantes; nec de ipsa unitate Christi enucleate dicta erant quae dicta sunt, nisi postquam separatio illa urgere coepit fratres infirmos, ut iam illi qui noverant haec tractare ac dissolvere, ne perirent infirmi sollicitati sermonibus et disputationibus impiorum, sermonibus et disputationibus obscura legis in publicum deducerent.“ Quorsum, ven. fratres, haec ad vos scribimus? non certe ut doceamus vos, quorum cum constantiam et fidem, tum praecipue sapientiam singularem semper mirati sumus; sed ut rerum tam admirandarum recordatione cum vos, tum nosmetipsos consolemur, simulque ut omni moerore deposito ex tot adversis, quae patimur, ea nobis etiam bona polliceamur, quae in ecclesiam semper sunt ex adversis profecta; eaque tanto nobis ampliora atque uberiora polliceamur, quanto gravior acerbiorque tribulatio haec est, quam ceterae ullae fuerunt, a quibus novimus iactatam olim ecclesiam fuisse ac perturbatam. Quamquam vero quid de futuris ecclesiae bonis cogitamus, cum iam praesentibus perfruamur? anne vero adeo parva aut pauca isthaec bona sunt, ut ea iam cognoscere nequeamus? Profecto si nihil aliud ex hisce laboribus, quibus premimur, consecutam iam esse ecclesiam videremus, nisi quod in tanto hoc rei christianae motu evangelica illa — quae tamdiu ad eius securitatem a bonis omnibus desiderabatur — zizaniorum a tritico, palearum a frumento facta sit segregatio, nisi quod manifesti facti sint ii, qui cum intrinsecus essent lupi rapaces, induti pellibus ovium in ecclesia latebant, et quas insidias ei aperte non poterant, eas occulte machinabantur, quorum malitia et fraus, nisi haec ipsa mala accidissent, semper inter nos ad sanctitatem ecclesiae laedendam, moresque bonorum depravandos occulte latuissent; parvane ecclesiae utilitas haec esset putanda? Quid vero illud, quod ex funestissi-

mis fructibus eius, quibus ferme universus orbis interiit, cognitum est tandem aliquando, quod nequidquam vobis et nobis clamantibus adhuc ab hominibus cognosci noluit, quid velit, quo spectet, quid propositum habeat sibi perversa illa, quae tam invalescit ac dominatur, sapientia, cuius ex veneficiis omnes gentes erraverunt, quae in nomen invadens philosophiae non se religionis virtutisque magistram praebet, quod esset proprium christianae germanaeque sapientiae, sed omnis impietatis, licentiae, cupiditatis, perfidiae, libidinis artifex, omnium calamitatum, dolorum, exitiorum parens, ad humana ac divina quaeque subvertenda sese excogitatam esse patefacit. Quam illa plagam ex hac ipsa nostra, atque adeo ex hac orbis terrarum universi calamitate accepisse putanda est, cum ex iis tantis luctibus, quibus per eam genus humanum funestatum est, atque in dies gravius funestatur, exitiosa eius consilia innotuerint, et crudeles machinationes sint intellectae!

Et cur illae inter ecclesiasticam et civilem potestatem tot excitatae dissensiones, cur in suspicionem apud potentes vocata Ecclesiae auctoritas, opes in invidiam, libertas in captivitatem, nimirum ut ecclesiae praesidiis generi humano subtractis impietatis trophaea in deflagratae religionis cineribus, si fieri posset, ad perditionem orbis terrarum universi constituerentur. Quid quod dum qui ex nostris non erant, omni simulatione deposita non modo se a nobis segregaverunt, sed etiam characterem bestiae in frontibus suis praeferentes cum agno pugnaverunt, bellumque acerbissimum contra Ecclesiam gesserunt; ceteri, quorum nomina scripta sunt in libro vitae, ita ad omnem sanctitatem exarserunt, ut ne tunc quidem, cum temporibus pacatissimis uteretur ecclesia, tam aperta in christianis gregibus religio, tam firma fides, tam inflammata caritas fuerit unquam perspecta. Quod cum de gregibus Galliae universis, tum etiam de ceteris ac praecipue de Romano nostro non sine magna animi iucunditate audimus; qui, ut S. Ioannes Chrysostomus in primis illis temporibus meminit accidisse, etiamsi pastoribus suis spoliati fuerint, tamen ob eam fidem, qua se probaverunt ecclesiae, Deo in custodiam ipsorum vigilante carere suis pastoribus nullo modo sunt visi. Versutus diabolus atque ad struendas aptus insidias existimabat, si pastores sustulisset, ovilia se facile direpturum; sed qui comprehendit astutos in corum astutia,

ostendens ecclesias suas non ab hominibus gubernari, verum eos, qui in ipsum credunt, semper a se regi, id fieri permittebat, ut cum cerneret rectoribus sublatis non tamen ecclesiam deleri, nec veritatis praedicationem exstingvi, sed potius augeri, ex rebus ipsis et ipse et qui ei inserviebant omnes intelligerent christianam disciplinam non ab hominibus pendere, sed in coelis radices agere, Deumque esse, qui ecclesiam ubique tueretur.

His igitur tam praeclaris bonis cum nos vel in ipso persecutionis aestu tanta cum Dei gloria ita auctam videamus ecclesiam, de ea quid sperandum erit, cum sedatis tempestatibus tempus tranquillitatis et miserationis advenerit; cum perpurgata ventilabro Dei, tribulationis igne probata, tot admirandis vestris ac ven. fratrum nostrorum Cardinalium triumphis nobilitata, fide, constantia, sanctitate tot Episcoporum, tot ecclesiasticorum, tot sacrarum virginum, tot coenobitarum, tot denique christianorum illustrata Dei gloriam erit operatura? praesertim cum exercitatione virtutis refrigescens in mundo caritas christianorum ita sit per tribulationem inflammata, philosophiae pravitas ex perniciosis suis fructibus ita sit refutata, religionis sanctitas ex admirandis suis virtutibus ita sit illustrata, probatorum fides haereticorum contentione ita manifesta sit facta. Haec igitur miserationis ac pacis tempora, ven. fratres in omni fide, spe, et humilitate cordis nostri orantes sine intermissione apprecemur ecclesiae; et quamvis certissimum sit, tantos eam efficere in tribulatione proventus, tantisque victoriis augeri, quantis augeri extra tribulationem nullo modo posset, tamen ne, dum ea fortium suorum triumphis laetatur, infirmorum cladibus atque exitio contristari debeat, qui cum extra tribulationem positi de futuris periculis nihil cogitantes se contra diaboli adgressiones munire noluerint, ac mundo quam Deo servire maluerint, in tentationis aestu licentiae dominantis impetu abrepti evanescentes in cogitationibus suis defecerunt a Deo, animasque suas proiicientes satanae se tradiderunt, rogemus misericordiarum Deum, ut propter Christi filii sui sangvinem, qui pro omnibus effusus est, abbrevientur dies tentationis nostrae. Nam quamvis investigabilibus sapientiae ac iustitiae Dei consiliis, quibus gloriam suam operatur, nobis omnino sit acquiescendum, tamen inter cetera omnia ecclesiae vulnera, haec po-

tissimum illa sunt, quae diu noctuque excruciant nos, et sollicitum habent animum nostrum, ita, ut acerbissima quaeque pati, animamque ipsam nostram ponere parati essemus, si per sangvinem nostrum tot praevaricantium exitia avertere, tot infirmorum offensionibus iacturisque providere possemus.

Plura quidem essent, quae ad confirmandos animos vestros, ven. fratres, vobis haberemus scribenda, sed praeterquam quod modum epistolae excedere nolumus, ea est enim iam satis progressa, tanta est virtus vestra in hac tribulatione perferenda, ut non nostra a vobis, sed a nobis atque ab omnibus vestra fidei, constantiae ac sanctitatis exempla sint petenda. Itaque finem faciemus cum S. Ioanne Chrysostomo, qui in simili causa cum esset, et pari tribulatione pro ecclesia premeretur, iis verbis fidem et constantiam praeferentibus moerentem ac pavitantem gregem suum est consolatus: „Multi fluctus urgent nos gravesque procellae, sed non timemus ne submergamur, nam in petra consistimus. Saeviat mare, petram dissolvere nequit: insurgant fluctus, Iesu navigium demergere non possunt. Quid, quaeso, timeamus? mortemne? mihi vivere Christus est, et mori lucrum. An exilium, dic mihi? Domini est terra, et plenitudo eius. An facultatum publicationes? nihil intulimus in hunc mundum, certumque est nos nihil hinc efferre posse: terribilia quaeque huius mundi mihi despectui sunt, et bona risu digna. Non paupertatem timeo, non divitias concupisco, non mortem metuo, non vivere opto nisi ad profectum vestrum. Ideo praesentia commemoro, rogoque caritatem vestram, ut fiduciam habeat. Nullus quippe nos separare poterit, quod Deus coniunxit, homo non separet. Si nuptias non potes dirimere, quanto minus ecclesiam Dei potes dissolvere! sed eam oppugnas, cum nihil possit laedere eum quem impetis, verum me reddes splendidiorem, tuamque vim mecum pugnando deiicies. Durum namque tibi est contra stimulum acutum calcitrare; non obtundes stimulos, imo sangvine pedes inficies, quandoquidem fluctus non petram dissolvunt, sed ipsi in spumam dissolvuntur. Nihil ecclesia potentius, o homo, bellum solve, ne robur dissolvas tuum. Ne inferas coelo bellum. Si homini bellum inferas, aut vinces, aut superaberis; si ecclesiam oppugnas, vincere nequis, omnibus quippe fortior est Deus. An aemulamur Dominum? an fortiores illo sumus? Deus

fixit et firmavit, quis concutere tentaverit? Non nosti virtutem eius, respicit terram et facit eam tremere; imperat, et quae concutiebantur, firma consistunt. Si concussum orbem firmavit, multo magis ecclesiam firmare poterit. Ecclesia est ipso coelo fortior. Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. Quae verba? Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.“ — —

Valete, ven. fratres, et clarissimis exemplis virtutis vestrae una cum ceteris fratribus dispersis et in tribulatione positis Ecclesiam Dei ornare pergite, ad quos etiam si has literas nostras miseritis, gratissimum nobis erit. Eo enim animo scripsimus, ut per eas non vos solum, sed illos etiam confortare et consolari desideremus. Omnes enim in sinu gerimus, omnibusque pacem et gaudium a Domino nostro Iesu Christo apprecamur, et apostolicam benedictionem pignus paternae caritatis nostrae amantissime impertimur. Datum ex coenobio Chartus. prope Florentias 10. Nov. 1798. **Baldassari** *Geschichte der Gefangenschaft Pius VI. Tübing.* 1844. p. 505.

1072—1080.

Declarationes Sedis Apostolicae de sic dicto ‚Iuramento odii Regiae potestatis,‘ A. 1798. ss. editae.

INTR. Pro coronide Monumentorum Seculi XVIII. adducimus aliquot Rescripta S. Sedis Ap. circa sic dictum Iuramentum odii regiae potestatis, quod in Gallia sub perturbatione publica voveri desiderabatur. Cum autem quaestiones catenus etiam initio Seculi praesentis perduraverint: Monumenta huiusmodi in serie ininterrupta usque annum 1802. perduximus.

1072. MON. *Epistola* **Nuntii Coloniensis** *ad Eppum* **Lexoviensem,** *qua eidem communicat decisa S. Sedes a. 1798. perlata.* Literis tuis Monachii die 26. huius mensis ad me datis significas tua plurimum referre, ut scias: S. Sedes circa vovendum in Gallia monarchico regimini odium sententiam tulerit nec

ne? et rogas, ut si quid certi circa hanc quaestionem, de qua non parum disceptatur, ad notitiam meam pervenerit, id tecum communicare velim. — Utprimum in Urbe fama percrebuit, circa decretum, quo sacerdotes sub deportationis comminatione regimen monarchicum solemni iuramento execrari iubebantur, novas vel in ipso ordine ecclesiastico scissiones esse obortas, aliis iuramentum huiusmodi tamquam sacrilegum facinus detestantibus, aliis e contra id salva conscientia emitti posse contendentibus, SSmus Dnus noster pro ea, qua tenetur, Ecclesiarum omnium sollicitudine Congregationi Cardinalium pro expediendis negotiis ad praesentem Gallicanae Ecclesiae crisin spectantibus institutae demandavit, ut rem maturo examini subiiceret, quidque circa illam agendum statuendumque arbitraretur, ad se referret. Sine mora iusso paruere Cardinales, ac perpensis, quae pro et contra stabant, rationibus, ad unum omnes iudicarunt: *sacramentum odii Regiae potestatis* (le iure haine à la Royautè et à l' Anarchie, attachement et fidelitè a la Republique et a la Constitution de l' an. 3.) divinae legi repugnare. Cum autem iam in eo essent, ut Pontifici suam sententiam aperirent, ecce lacrymabilis illa almam Urbem obruit catastrophe, quae negotiorum omnium filum abrupit, et dictae Congregationis membra dissipavit. Attamen ne quaestio tanti momenti, circa quam dubia brevi exoritura esse pronum erat praevidere, in ambiguo maneret, *D. de Pedro* Eppus Isaurensis, qui Congregationis Secretarius fuerat, SSmo Dno nostro in Tusciam iamiam profecturo renunciavit, quaenam Cardinalium circa praedictum iuramentum mens ac sententia fuerit, eumque rogavit, ut quid de eo tenendum esset, suae vocis oraculo decerneret. Petito Pontifex annuit, edixitque iuramentum huiusmodi prorsus illicitum esse, iubens insimul praelaudato Isaurensi Eppo, quem suscepturus exilium suum in Urbe Vicarium instituebat, ut hoc S. Sedis iudicium occasione nata propalaret. Nec diu defuit iussi exequendi opportunitas. Rmus quippe *Grassensis* Eppus haud multo post tria circa sacramentum odii dubia Sanctitati Suae proposuit, ad quae iuxta sensum Pontificis sibi exploratum ipso Pontifice iubente eo modo Isaurensis Eppus respondit, quem ex adiuncto folio Rma et Illma Dom. tua perspiciet. Rem porro totam, qualem modo narravi, ex ore SSmi D. N. didici, cum mense Septembri anni proxime elapsi Florentiae eius iussa capesserem.

Idem ipse mihi archetypum exemplar literarum Eppi Isaurensis ad Grassensem Eppum exhibuit, quod deficiente tuta occasione ablegari nondum potuerat, quodque ego propria manu descripsi. Concordant cum supra laudato SSmi D. N. iudicio apostolicae literae amoris ac existimationis plenae, paulo ante ad Emin. Card. AEppum Mechliniensem datae, quarum ideo exemplar hisce paginis adnectere iuvat. Cum enim Em. Cardinalis in tolerandis adversis constantiam tantis attollat laudibus Pontifex, eaque vel maxime in subeunda ob denegatum impium sacramentum exilii poena eluxerit, eo modo utique ostendit, illud ipsum iuramentum sibi maiorem in modum improbari. — Aug. Vindelic. die 29. Apr. 1799. H. AEppus Tyri, Nuntius Apost.

1073. *Epist. Eppi* **Isaurensis** *ad Eppum* **Grassensem** *cum resolutione propositorum dubiorum.* Dubia ab Ill. et Rev. Dom. tua Summo Pontifici Pio VI proposita nuper ad me perlata fuere, ut ea diligenter expenderem, Tibique S. Sedis Apostolicae sententiam aperirem. Igitur apostolica, qua fungor, auctoritate a Sanctitate Sua mihi delegata brevem atque perspicuam eorumdem dubiorum solutionem exposui, quam Tu, Illme Dne, ex adiuncto folio comperies. — *Solutio dubiorum:* Tria proponuntur dubia ab Eppo Grassensi: *primum*, utrum ab Apost. Sede damnatum fuerit odii in Regiam maiestatem sacramentum, quod sic exprimitur: ‚Ego sacramentum odii in regiam maiestatem et anarchiam profiteor, simulque voveo obsequium et fidem in Rempublicam, nec non in Constitutionem anni tertii;‘ *secundum*, an in hypothesi condemnationis, assermentati, ut aiunt, retractare teneantur pro observatione iudicii sacramentum professum, et quomodo agere debeant in praedicta retractatione?; *tertium*, utrum praedictum sacramentum quadam censura notandum decreverit Sanctitas Sua in iudicio suo? Quibus dubiis auctoritate a SS. Pontifice Pio VI mihi specialiter delegata sequentem in modum respondetur: Ad *primum:* ab Apost. Sede declaratum fuisse, non licere praefatum iuramentum emittere; ad *secundum*: eos, qui tale iuramentum emiserunt, ad illud retractandum teneri, simulque ad scandalum reparandum meliori modo, quo fieri poterit pro temporum locorumque opportunitate; ad *tertium*: nullam hucusque censuram ab Apost. Sede latam fuisse adversus eos, qui eiusmodi iuramentum emiserunt.

Romae die 24. Sept. 1798. Mich. de Pedro, Ep. Isaur. Deleg. Apost.

1074. *Breve* **Pii VI** *ad Card. AEp.* **Mechliniensem,** *ad quod Nuntius Colon. provocat.* Singularis ista tua summa in virtute modestia facit, dil. fili noster, ut literis tuis in hac tribulatione nostra, et in ea, qua urgemur, Ecclesiarum omnium sollicitudine interpellare te nos posse suspiceris. Tune unquam nos interpelles? cuius cum semper constantiam ac mansvetudinem tot in adversis perferendis vel a primis huius tempestatis turbulentissimae exordiis demirati sumus, tum literarum sapientia ita recreamur, ut in his miserrimis temporibus nihil iis ad moerorem animi abstergendum praesentius inveniamus. Quae sane si nondum afferre possunt quae ad Ecclesiae tranquillitatem vehementissime cuperemus, afferunt tamen quae in gravissima hac eius plaga maximo nobis solatio esse debent. Quid enim ad leniendam vulnerum nostrorum acerbitatem efficacius sit nobis, quam cognoscere, in tanta impiorum vi te ceterosque Belgii Antistites confessores fidei constantissimos, infinitum praeterea sacerdotum fidelissimorum numerum tanta patientia, firmitate, mansvetudine, rapinam bonorum, impiorum iniurias, carcerem, exilium, rerum omnium egestatem pro conservanda Ecclesiae unitate perferre? quam scire, nullum calamitatum vel asperrimarum genus efficere posse, quin tot invicti Christi athletae in fide atque officio permaneant, *a iuramenti impietate abhorreant*, apostolicam opem vel cum vitae suae periculo indigentibus exhibeant, omnia denique praestent, quae propria pastoralis ministerii sunt, et sacerdotalis firmitatis? Magna certe tempestas, dil. fili noster, et, ut recte tu quoque scribis, numquam ad haec usque tempora post hominum memoriam audita, ex inferorum portis contra Ecclesiam est emissa; verum cum ea sit tanta cum gloria eius tantaque cum vestra utilitate coniuncta, non vos ob tanta mala, quae fertis, dolere, verum ob tanta decora, quibus augetis Ecclesiam, laetari debetis. Nos certe quamvis eiecti e principe Ecclesiae Sede, patrimonio S. Petri spoliati, distracti a fratribus nostris carissimis, tantis premamur aerumnis, quantas sine peculiari Dei auxilio ferre nullo modo possemus; quamvis etiam exitium eorum gravissime doleamus, qui magis diligentes tenebras quam lucem ab Ecclesia desciverunt, et instigante diabolo pervicacius quam ceteri

patientiam vestram exercent; doloresque vestros praeterea perinde communes habeamus, ac si eos nos ipsi ferremus: tamen cum vestram patientiam tam multis in laboribus sustinendis tantam esse intelligamus, tantam ceterorum filiorum fidelissimorum in retinenda religione constantiam, laborum nostrorum omnium pene obliviscimur, et ob tam praeclara bona, quibus ea de causa cumulatam videmus Ecclesiam, mirifica iucunditate ac laetitia recreamur. Quae cum ita sint, noli dil. fili noster, ob eas, quibus iactamur, calamitates supra modum tristari. Magnae hae quidem sunt, sed magna simul eaedem cum animi nostri iucunditate coniunctae. Quin potius gratias age D. N. I. C. quod dignos nos quoque habuerit, qui vobiscum ad Ecclesiae gloriam augendam pro nomine eius contumeliam pateremur. A quo cum promissum habeamus, se usque ad consummationem seculi nobiscum futurum, aderit semper nobis, ut adest nunc, nec unquam nos destituet in tribulationibus nostris, non ut nihil patiamur, sed ut magis in dies conformes facti imagini passionis suae, omnia potentes in eo, qui nos confortat, patientes multa, nulla saevientium crudelitate superemur, et mansvetudine et fide nostra ad Ecclesiam augendam de vi atque potentia inimicorum nostrorum triumphemus. Nam, ut ait S. Ambrosius, ‚fides Ecclesiae neque in gladio suo feras expulit nationes, nec certamine bellico turmas fugavit, sed mansvetudine ac fide terras inimicorum possedit. Fides enim sola pugnavit, et ideo triumphos meruit, quia persecutionibus non vincitur Ecclesia, sed augetur.‘ Vale dil. fili noster, et quoniam tantam animi firmitatem tibi indidit Deus, noli in confirmandis fratribus tuis defatigari. Episcopo Ruremundae, quem consortem tribulationis ac socium tranquillitatis habes, pacem a nobis et gaudium in D. N. I. C. nunciabis, eumque ceterosque omnes, qui etiam cum vitae periculo, ut bonos Pastores decet, apostolicam operam navant Ecclesiae, nostris verbis rogabis, ut perseverantes in oratione a D. N. I. C. qui pro omnibus mortuus est, et vult omnes homines salvos fieri, id precibus suis impetrent, ut praevaricantium filiorum perditionem avertat, confirmet imbecillitatem infirmorum, fortium virtutem et fidem adaugeat, et si nondum propitiationis dies advenit, quo tranquillitatem reddat Ecclesiae, eam victoriis filiorum suorum exornet atque augeat. — Scripseramus hactenus has literas ad te, cum ecce alteras ac-

cipimus tuas, triduo post datas ac superiores fuerunt. In his nuncias Archipresbyterum Mechliniensem cum Doctore Lovaniensi, utrumque e numero iuratorum et schismatis exorientis fautores, venturos ad nos, ut aequitatem iuramenti sui propugnent, ea damnationi nostrae fidem abrogent, nosque, si fieri possit, circumveniant. Laudamus, dil. fili noster, diligentiam tuam, quod eppalis officii duxeris praemonendos nos esse, ut homines huiusmodi caveremus. Nos vero in hac causa quales ab initio fuimus tales erimus semper, ut appareat nihil temere unquam aut praeiudicio aliquo ab Ecclesia fieri, verum omnia in ea Divini Spiritus sapientia regente, cuius ductu errare non possumus, administrari. — Datum ex Coenobio Carthus. prope Florentiam die 30 Iul. 1798.

1075. *Breve ad* **Vice-Gubernatorem** *Romae AEppum Nazianzenum.* Ad nostram pervenit notitiam, quod D. Passeri, cum discederet, te subrogaverit in officio Vicesgerentis Romae, illiusque districtus. Hunc delectum approbamus pro certo habentes, Te pro tua vigilantia ac sapientia optime functurum eo munere, quod tibi in tam arduis rerum circumstantiis impositum est. Nobis insuper persvasum est, eundem D. Passeri non omisisse tecum opportunas communicare Instructiones pro maximi momenti negotiis capessendis, et signanter tibi ab eo manifestata fuisse certa animi nostri sensa de iuramento Constitutione Romana praescripto. Cum vero pluribus ex locis hic nuntiatum sit, Professoribus Universitatis, quae Romae est, indictum iam fuisse, ut praefatum praestarent iuramentum: non possumus, quin tuos ob oculos ponamus eam, quae alias emanavit a nobis post maturum examen de hoc puncto decisionem, id est, esse illicitum pure ac simpliciter illud emittere, posseque duntaxat admitti iuxta formulam a nobis dicto D. Passeri transmissam, quam ad maiorem cautelam de novo transscribimus: ‚Ego — iuro, me partem non habiturum in quacunque coniuratione, conspiratione et seditione pro restituenda monarchia, et contra Rempublicam, quae nunc imperat, odium anarchiae, fidelitatem atque adhaesionem Reipublicae et Constitutioni, salva de cetero Religione Catholica.‘ Iustis de causis maximae nobis curae est, ut in negotio tam delicato ac salebroso observetur uniformis agendi ratio, utque protestationes obedientiae ac fidelitatis Regimini cum immutabilibus Catholicae

Religionis officiis concilientur; eoque magis, quod Roma debeat in hoc puncto ceteris populis exemplum praebere, illudque gravissimum vitare scandalum, quod resultaret, si quisquam sibi licitum putaret a nostra deviare decisione, quae multis aliis in locis maxima cum veneratione excepta est, et accuratissimae executioni demandata, quaeque consentanea est alteri, quae iam a nobis emanavit pro iuramento Gallica Constitutione proposito, quod post longum ac maturum examen, atque exacte ponderatis in utramque partem rationibus de consilio Congregationis pro ecclesiasticis Galliae negotiis deputatae a nobis illicitum fuit declaratum. Cura igitur, ut hos nostros sensus unusquisque, prout opus fuerit, perspectos habeat, hosque ipse semper habeto praesentes, ut eos cum sacerdotali fortitudine sustinere valeas, reponendo totam in Domino fiduciam tuam, qui bonam causam tuentibus assistere non omittit. — Datum Florentiae die 16 Ianuar. 1799.

1076. *Alterum Breve ad eundem.* In maximis curis gravissimisque aerumnis, quibus oppressi iamdudum succumbere debuissemus, nisi nos Omnipotentis dextera firmaret, doloribus novae infirmitatis, qua laboramus, nullus acerbior adiungi potuit illo, quem nobis attulerunt tuae 20 et 25 curr. huius mensis ad nos datae literae, quibus nobis significas, a Professoribus Collegii Romani et Sapientiae iam pure et simpliciter emissum fuisse iuramentum Constitutione Romana praescriptum. Nostra de hoc puncto sensa iam Domino Passeri palam feceramus, et ex primo Instructionis folio a te Clero Romano transmisso, cuius exemplar nobis etiam transmittis, perspicimus, nostra haec sensa non fuisse tibi ignota, siquidem videmus a te propositam eandem iuramenti formulam, quae a nobis fuerat approbata. Non possumus igitur comprehendere, quomodo mentem subito mutare potueris, et cum omnes Professores cum periculo cuiuscunque iacturae, ut asseris, ad obediendum fuerint paratissimi, quo pacto potueris emittere novam Instructionem seu declarationem, quae non explicat sed destruit omnino priorem. Tibi et multo minus Collegii Romani Professoribus ignotum esse non potuit, quam maturo consilio pluries a nobis pronunciatum fuerit, illud, de quo agitur, iuramentum, si consideretur in pura et naturali sua significatione, esse illicitum; quod quidem iudicium nedum fuerit nobis prava insinuatione

suggestum, ut Decretalis a te citatae verbis utamur, a nobis potius pronunciatum fuit praeviis Doctorum ac peritorum Theologorum seriis consultationibus, praevioque maturo examine unius Congregationis Cardinalium probitate ac doctrina spectatissimorum, et deinde a nobis dicti Collegii Rectori etiam indicatum fuit, cum is praeterita aestate interrogandos nos curavit, essetne id iuramentum a viris Ecclesiasticis, si exigeretur, praestandum. Nulla igitur maiore magisque publica opus fuit notitia, ut tu et professores penitus convicti essetis iuramentum in terminis, quibus est Constitutione praescriptum, absolute esse illicitum. Non possumus assentire expositis a te rationibus ad ostendendam secundae tuae instructionis aequitatem; quamvis enim iuramenti verba intelligi debeant ab eo, qui iurat, in sensu illius, qui illud exigit, qualemcunque verbalem declarationem emiserint dicti professores, coram Magistratu ad iuramentum eorum recipiendum delegato, non potuit mutari illius substantia; et sicut solus legislator, et non merus Magistratus ad materialem legis executionem delegatus, potest esse competens eiusdem interpres, ita licet verbali professorum declarationi apparenter annuerit Magistratus, hoc minime sufficit, ut verbis iuramenti detur interpretatio diversa ab ea significatione quam pure et naturaliter pronunciata continent. Praeviderunt ipsi professores scandalum grave, quod praebere debuit illorum iuramentum, et bonam fidem tuam circumvenientes, tibi alteram suggesserunt instructionem, qua tamquam clypeo uterentur adversus accusationes, quas ab omnibus bonis sibi esse intentandas non sine fundamento metuebant. Schedula Praefecti studiorum, qua protestatur, a professoribus non praestitum fuisse iuramentum, nisi relative ad secundam tuam instructionem, et qua petit, ut ad publicam eorumdem agendi rationis iustificationem eadem schedula registro tuae Secretariae inferatur, huius te veritatis convincere debet. Nos itaque cum acerbissimo animi nostri dolore cernere constringimur, quod dum in tot mundi catholici partibus acceptatae ac venerationi habitae fuerint nostrae de iuramenti pravitate decisiones, nunc vi novae tuae Instructionis atque operante Romani Collegii et Sapientiae Professorum exemplo visum fuerit Romam, antea magistram veritatis, factam fuisse magistram erroris. Absit, ut id ipsum nostro silentio comprobari valeat. Nos igitur te, quantum sinit infirma nostra valetudo, incunctan-

ter admonemus, ut editam a te secundam Instructionem cito revoces, nostrumque 16 curr. mensis Breve indices, quo palam omnibus fiat, qualia sunt praecisa nostra de exacto iuramento sensa; teque per viscera D. N. I. C. exhortamur, ut omni tua utaris patientia atque doctrina, tum ut in sancto proposito confirmes eos, qui cum cuiuscunque iacturae periculo et non sine omnium aedificatione illud praestare renuerunt, tum ut infirmos confortes, et a via aberrantes reducas, non solum admonendo eos, ut a se datum scandalum solliciti reparent, sed etiam praecipiendo in virtute sanctae obedientiae, quae legitimo Ecclesiae Pastori debetur, ut a qualicunque scripto, quod nostris fuerit documentis contrarium, abstineant. ‚Qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos; in hoc cognoscimus spiritum veritatis et spiritum erroris,‘ ita cum verbis Ioannis Ap. concludimus. (I. 4, 6.) Divina freti misericordia confidimus fore, ut non solum Collegii Romani et Sapientiae Professores, sed et omnes Ecclesiastici viri in vero concordiae, mansvetudinis et caritatis spiritu noverint unire sinceram fidelitatem, et subordinationem Magistratibus, qui iam regimine funguntur, et quam sapienter in priori tua Instructione inculcasti cum debita in supremam conscientiae ac Dei legem observantia, utque ipsi Magistratus nostrae intentionis rectitudinem perspicientes, tuam in eodem nobiscum sensu agendi rationem irreprehensibilem agnoscant: nihil habentes malum dicere de nobis. (Tit. 2, 8.) Denique Dominum Deum obsecramus, ut lumen et virtutem tibi infundat, unde cum apostolica firmitate sustinere valeas onus, quod tibi imposuimus. — Datum Florentiae die 30 Ianuar. 1799.

1077. *Vicegubernator in sequelam Brevis Pontificii retractat suam erroneam Instructionem.* Transmisso nobis a SSmo Patre dicto Brevi cum iussu, decisionem suam unicuique palam faciendi, credimus stricti esse nostri officii, ut unum supradicti Brevis exemplum nostrae Secretariae transmittamus, quo veniat in omnium notitiam, intendentes hac praesenti revocare atque annihilare in omnibus ac pro omnibus, sicuti de facto revocamus atque annihilamus secundam nostram declarationem sive Instrutionem super iuramento ea occasione editam, quod illud exactum fuerit a Professoribus Collegii Romani. Videlicet in ista materia declaramus nostram obedientiam ac submissionem decisionibus Summi Romani Pontificis, ad quem spectat tales deter-

minare quaestiones. — Romae die 23. Febr. 1799. Octavius Boni, AEp. Naz.

1078. *Elector* **Trevirensis** *revocat Vicariatus sui edictum de praestando iuramento odii, a. 1801.* Dum iuramentum regiae potestatis execratorium a Summo Pontifice Pio PP. VI. glor. mem. illicitum declaratum, eiusdemque revocatio pro temporum et locorum opportunitate facienda illis, qui hoc iuramentum praestiterunt, iniuncta quidem sed ob graves rerum circumstantias in archidioecesi nostra hucusque exacta non fuerit, illa vero moventibus de causis ulterius iam non differenda videatur: idcirco *Vicariatui Generali Trevirensi adiacens declaratio revocatoria* (moderata certe, et honori declarantium satis parcens) *iuratoribus eum in finem circulariter et secreto transmittenda communicatur, ut eandem* coram duobus vel tribus viris discretis presbyteris non iuratoribus *subscribant* et vicariatui remittant; nec non ad sublevandum omne, quod circa dictum iuramentum in parochiis versari potest, scandalum parochianos suos de declaratione Sedis Apostolicae, qua illud illicitum pronunciatum fuit, quantum commode fieri poterit, instruant; illi vero, qui forte non ex mero errore, nec bona fide, sed (quod absit) ex intentione mala vel ambitione iuraverint, hanc suam ambitionem seu malam fidem clarius agnoscant, fateantur, et detestentur, quae iuxta cuiusvis conscientiam ac prudentis confessarii arbitrium determinanda essent. Quoniam autem ipsemet *Vicariatus generalis praematura sua declaratione saepedictum iuramentum approbante* et praeprimis improvida censurarum comminatione *non modicam dissidiis, diffidentiis aliisque nocivis sequelis ansam dederit,* sic ad haec validius reparanda et ad reconciliandam sibi tam necessariam totius Cleri confidentiam *necessarium erit, ut huic suo mandato* vel post receptas a iuratoribus praefatas declarationes circulari ad omnes sine discrimine iuratos dirigendo *inserat: se quoque decisioni Sedis Apost. circa fatum iuramentum emanatae obedienter inhaerere, adeoque anteriora sua decreta eatenus lata nulla et sublata declarare.* In hoc Circulari fiat energica ad omnes admonitio, ut posteaquam nunc ea, quae scitu et auctoritate Sedis Apost. et AEppali a iuratoribus ratione revocationis ab ipsis faciendae exacta fuerunt, debite impleta sint, omnes, quae inter ipsos fervebant, dissensiones, simultates et scissiones sincero animo componere et eradicare studeant

ad unionem fraternam in caritate non ficta redeant, scandala in populo parochiano exorta cessare faciant, illique serio inculcent, quod fideles sacramenta, quae a suis parochis etiam iuratoribus eo, quod nulla censura a Sede Apost. notati fuerint (nisi inevitabilis scandali publici ratio obstiterit, nec alias prohibitum fuerit) et licite petierunt, et licite acceperunt, eo magis nunc, cum omnis difficultas sublata sit, adeoque et omne scandalum cessare oporteat, ab iis recipere et eorum sacris urgente praecepto ecclesiae interesse debeant, universim totis viribus eo adlaborent Curati, ut pax et vera concordia tam inter ipsos pastores, quam inter hos et oves mutuae caritatis et confidentiae vinculo firmetur. Dresdae die 22 Apr. 1801. Clemens Venceslaus, AEppus et Elector. — *Formula revocationis*: Infrascriptus coram subscriptis presbyteris declaro et profiteor, me iuramentum regiae dignitatis execratorium et adhaesionis erga Constitutionem anni tertii, quod licitum credebam, praestitisse, cumque glor. mem. Pius VI Pont. Max. idem iuramentum illicitum simpliciter pronunciaverit, et eius retractationem praeceperit, idem iuramentum simpliciter, absolute, et sine restrictione damno, reprobo, ac retracto, in omnibus et per omnia Apost. Sedis iudiciis hac in re latis vel ferendis uti et in aliis sincero corde et debita obedientia me subiicio, simulque declaro, me ad ea omnia agenda esse paratum, quae scandali reparatio iuxta eiusdem S. Sedis vel RR. ac Seren. AEppi mei iudicium necessaria esse poterunt.

1079. *AEppus* **Mechliniensis** *publicat edictum Cardinalis Legati S. Sedis de eodem iuramento odii, a. 1082.* Ioannes Henricus etc. omnibus et singulis dioecesis nostrae Ecclesiasticis, qui praestiterunt iuramentum odii in regiam potestatem, — ceterisque quorum interest, salutem in Domino! Non facile dixerimus, dilecti filii, quam amarum ac triste acciderit nobis inter tot alias afflictiones nostras, videre vos in negotio iuramenti adeo periculosi a nobis discrepare, et, postquam per annos 40 in omni pace ac mutua affectione vos paterne pavimus, sentire eam vestram de iis, quae vobis annunciabamus circa hoc iuramentum, diffidentiam, ut sine immediato S. Apost. Sedis oraculo super singulari opinione vestra non potuerimus (paucis docilioribus exceptis) de errore vos convincere aut ab eo reducere. Detulistis ad supremum Ecclesiae Caput et particularem vestrum

id est, improprium sensum, in quo vos aiebatis iuramentum praestitisse, et omnes declarationes, quibus freti arbitrabamini iustificari posse actum a vobis praestitum. SS. D. noster Pius PP. VII feliciter regnans dignatus est perpensis et diuturna consideratione libratis omnium rationum momentis declarare et definire, vos (licet aliquos non tam pravitate cordis quam intellectus errore et specie quadam caritatis in proximum deceptos) errasse. Vel ideo ratus nulla meliori ratione vos patrato errori posse consulere, quam iudicia S. Sedis Apost. ea qua par est reverentia opinioni vestrae praeferentes subscribendo formulae, qua propriam submissionem ipsius S. Sedis iudiciis profiteamini, praesertim vero iis, quibus praedictum iuramentum odii in regiam potestatem damnatum fuit. Quo fato illud Apostolicum Rescriptum Parisiis a die 2 Decembris ab Em. ac R. D. Cardinali Legato a Latere nobis destinatum citius ad nos haud pervenerit, ignoramus; et rescriptum nesciebamus, nisi aliqui ex vobis praeveniendo suam subsignatam formulam cum adiuncto rescripti transsumto circa festa Natalitia nobis transmisissent. Observavimus ab initio in transmissa ea formula aequivocationem aliquam ita, ut ianuam praeberet obstinatioribus ad erroneam opinionem suam submissioni debitae substituendam, et a bona subscribentium fide et intentione, quam pro paterno nostro more in omnibus dil. filiis nostris lubenter supponimus dependeret omnis illius formulae sufficientia; iudiciumque nostrum suspendentes legalem Rescripti receptionem Parisiis praestolabamur, ut quidquid esset per nos executioni mandandum clare perspiceremus. Verum interea novo nec mediocri cordis nostri dolore plerosque ex vobis, quorum formula nobis exhibita fuerat, ita esse locutos et ita se gessisse cognovimus, ut satis satisque ostenderint et probaverint, per eandem formulam nullatenus sese respondere et satisfacere sensui decreti intendisse, non deposito eodem intellectus errore. Itaque pro munere nostro et eppali et pastorali semper solliciti, ne S. Ap. Sedis decreta eluderentur, utque debita Iudiciis apostolicis obedientia praestaretur ab omnibus non tardavimus Em. ac RR. D. Cardinali Legato circumstantias omnes exponere, eumque rogare, ut inconvenientiis omnibus occurreretur. Eminentia Sua per literas de 17 Febr. nobis commisit, ut inhaerentes ipsi decreto, quod hisce nostris adiunctum referimus, omni adhibita quidem mansvetudine, verum etiam

ea, qua pollemus, auctoritate curaremus, ut eidem rescripto a singulis, ad quos pertinet, satisfieret. Quapropter ut via praecludatur aequivocationibus omnibus ac tergiversationibus utque finem suum SS. D. N. decretum et sapientissima consilia sortiantur, expedire omnino ducimus, ut a vobis, dil. filii, alia exhibeatur submissionis formula, quae constet verbis ipsis depromtis ex eodem Sanctitatis Suae decreto, nempe: ‚Ego infrascriptus ea, qua par est reverentia opinioni meae praeferens iudicia S. Sedis Ap. profiteor propriam submissionem ipsius S. Sedis iudiciis, praesertim vero iis, quibus iuramentum odii in regiam potestatem damnatum fuit.‘ Haec formula propria vestra manu subsignata, quamprimum curetis ut sive per vestros respective archipresbyteros, sive immediate ad manus Vicarii nostri Generalis perveniat, ab eo deinde nobis ac per nos Romam, cum postulatum fuerit, transmittenda. Huic vero formulae quin promte et fideliter singuli subscribatis, nullatenus dubitamus, cum vobis facile svadere possitis, quod per hoc docilitatis, humilitatis, et obedientiae vestrae clarum specimen non modo SS. Domino nostro et nobismet summum gaudium allaturi, verum etiam destructis quibuscunque de vestra subordinatione sinistris opinionibus magna apud Deum merita et apud homines gloriam omnium maximam sitis assecuturi. Non abs re erit attestari, numquam a nobis ob praestitum iuramentum vos tamquam schismaticos aut haereticos habitos fuisse, licet propter fundatum timorem, ne reliqui fideles eodem vestro errore imbuerentur, neve alia maiora orirentur mala, eos a vobis abesse debere iudicaverimus. Quod vero huiusmodi praecautiones essent omnino adhibendae, nonnulli eventus satis probaverunt. Quare et serio hic admonitos volumus universos fideles nostros non iuratos, si qui sint inter eos, qui ad istiusmodi calumnias exaestuaverint, ut erubescentes humanae reminiscantur infirmitatis: si steterint, videant ne cadant, et non tam sua constantia tumidi, quam aliena infirmitate timidi discant aliena non severe carpere, sed propria formidare, gratiam Dei agnoscere, humanum nihil a se alienum putare, eosque, quos Ecclesia ut suos agnoscit, amare, diligere et revereri. Atque hanc esse pientissimam SS. Domini nostri mentem vel in ipso apostolico rescripto luculentissime patet, cui per omnia nos conformare studiosissime volentes ea similiter qua gaudemus in subditos nostros ecclesiasticos auctoritate mandamus universis cum

iuratis tum non iuratis, ne quis deinceps e Clero nostro sive in catechismis, sive in concionibus directe vel indirecte fatales illas super iuramenti negotio dissensiones ullo pacto resuscitare, et multo minus scripta ulla in vulgus edendo audeat, quas benignissimus sanctissimusque Pater noster Pius PP. VII arctissimo utrinque silentio in aeternum a nobis desiderat eliminari. Unum supererit vobis, praedilecti filii, ut, dum huic formulae fideliter subscripseritis, eligentes proponatis Vicario nostro Generali virum aliquem prudentem et zelosum non iuratum, aut eiusmodi, qui iudiciis Pontificis iam ex integro sese submiserit, cui humiliter ac candide conscientias vestras enucleantes rationem reddatis conversationis vestrae, ex quo illud iuramentum emisistis, ut si quid praeterea cum aliorum scandalo peccastis, ab eo noscatis quid oporteat vos adhuc implere, ut veniam a Deo obtineatis, ac piorum fidelium existimationem et fiduciam recuperetis, atque ita plene expurgati ad paternum inter nostras ulnas amplexum, quo amantissime excepimus quotquot habuimus ab errore suo sincere ad nos reversos, admitti quoque valeatis. Datum Borckenae die 18 Martii 1802.

1080. *Provocatum* **Cardinalis Legati** *decretum.* Eminentissime etc. Ad instaurandam in regionibus vestris animorum concordiam, quae cum ad Ecclesiae bonum tum ad publicam etiam tranquillitatem est maxime necessaria, finem imponi tandem oportet iis dissensionibus, quae propter notissimum iuramentum odii in regiam potestatem gravissime in Belgio et in dioecesi Leodiensi ad hanc usque diem exarserunt. Qua ratione eas componendas duxerit SS. Dominus noster, qui paterni animi sui curas hanc in rem potissimum contulit, hisce literis meis Eminentia Vestra habet adiunctum. Id curare dignabitur, ut iis omnibus innotescat, qui in dioecesi ista sua aliquas in ea disputatione partes habuerunt, utque a singulis ea, quae a Summo Pontifice imperata sunt, diligentissime perficiantur. Qui quidem illud Eminentiae Vestrae numquam satis vult esse commendatum, ut negotium hoc omne ea prudentia, svavitate ac mansvetudine gerat, ut hac etiam ratione dissidentium animi facilius ad optatam concordiam revocari possint. — Parisiis Lutetiorum, 2. Dec. 1801. Ioan. Bapt. Card. Caprara, Legatus. — *Adiunctum.* Nos Ioannes etc. Delata SSmo Dno nro Pio PP. VII gravissima controversia, quam tum in Belgio, tum in dioecesi Leo-

diensi ex occasione ‚Iuramenti odii in Regiam potestatem' inter ecclesiasticos viros magno cum caritatis et pacis dispendio exarsisse audivit, diligens ab eodem SS. Domino adhibitis etiam consiliis ven. fr. suorum S. R. E. Cardinalium selectae Congregationis negotiis eccles. praepositae institutum examen est scriptorum omnium, quae in utramque partem exarata ad eandem Sanctitatem Suam missa sunt. Cognovit inde multos fuisse, qui iuramentum illud et praestare quolibet sibi proposito periculo recusaverint, et ab aliis praestitum retractandum esse docuerint; alios vero, qui freti nonnullis declarationibus, per quas abstergi omnem ab illo pravitatis maculam arbitrati sunt, et emiserint, et recte se id fecisse omni ratione tueri ac defendere conati sint. Perpensis itaque et diuturna consideratione libratis omnibus rationum momentis, rerumque circumstantiis ad controversias omnes penitus dirimendas, pacemque in Belgicis Ecclesiis omnibus instaurandam pro supremi apostolatus sui munere ita sancivit: Quod pertinet ad *iuratos*, ab iis exposcit, *ut iudicia Sedis Apost. ea qua par est reverentia opinioni suae praeferentes subscribant formulae, qua propriam submissionem ipsius S. Sedis iudiciis profiteantur, praesertim vero iis, quibus praedictum iuramentum odii in regiam potestatem damnatum fuit;* quae quidem formula adiuncta singulorum iuratorum manu asservanda sit ab ordinariis locorum, S. Sedi, ubi primum id postulatum fuerit, transmittenda. Ex Vicariis vero a Capitulis sede vacante electis seu deputatis, qui iuramentum emiserint, formulam ipsam a se subscriptam nobis reddendam curent. Quod vero pertinet ad illos, qui iuramentum non praestiterunt, laudavit quidem eorum firmitatem, qui quidlibet pati potius, quam aliquid contra conscientiam admittere maluerunt, sed quod eos, a quibus illud emissum fuit (quorum aliquos non tam pravitate cordis, quam intellectus errore et specie quadam caritatis in proximos deceptos ita se gessisse cognovit), tamquam schismaticos, haereticos, atque Ecclesiae communione privatos gravi cum animorum offensione ac rei catholicae detrimento in disputationis aestu traduxerint, vehementer doluit; notumque hac in re esse omnibus vult, nullam unquam a s. mem. Pio PP. VI eius decessore censuram aut aliam eccles. poenam inflictam fuisse in eos, qui iuramentum ipsum praestiterunt, ac propterea eosdem neque schismaticos, neque haereticos, neque excommunicatos

habendos esse, nec, nisi forte aliqua alia culpa obstricti teneantur, ecclesiasticis muneribus, quibus antea fungebantur, privandos. Quamvis vero Sanctitas Sua minime dubitet, quin omnes ii, qui iuramenti eiusdem sive impugnandi sive propugnandi causa hucusque decertarunt, cognito hoc Apost. Sedis iudicio ea, qua catholicos decet viros, reverentia eidem acquiescant; ad praecavendas tamen omnes discordiarum causas, quae cum magna catholicae unitatis publicaeque tranquillitatis perturbatione, quarum utraque Sanctitati Suae aeque cordi est, suscitari subinde possent, si contentiones huiusmodi perseverarent, eadem Sanctitas Sua praecipit, ne quis inposterum sive in unam, sive in alteram sententiam scripta ulla in vulgus edere amplius audeat, quibus reconciliati animi iterum ad dissensiones et iurgia provocari possint. Datum Parisiis die 2 Dec. 1801. — **Theiner** *Documents — relatifs aux affaires de la France.* Paris. 1857. I. 228. — **Ram** *Synodicon Belgicum.* II. 547. — **Blattau** *Statuta Synodalia Trevirensia.* VI. 344.

LITERATURA.

SECULUM XVIII.

I. De Primatu.

Decennium I. a. 1700—1709.

a) Contra Primatum.

1. *Wein und Oel in die Wunden des bestäupten Pabstthums der Protestirenden: oder* **Christiani Democriti** *offenherzige Erklärung und Entschuldigung gegen alle Richter des Buchs ‚Papismus Protestantium vapulans' genannt.* Philadelphia. 1700.

2. **Beniamin Woodroffe** *examinis et examinantis examen, sive reformationis et reformatorum defensio adversus calumnias ‚Franc. Foris Otrokocsi' in libro, quem inscribit: ‚examen reformationis Lutheri.'* Oxoniae. 1700.

3. **Ioan. Conr. Dieterichius** *Breviarium Pontificum Romanorum a Lino usque ad Alexandrum VII.* 1700. Indici insertum.

4. *Histoire des Amours de Gregorie VII.* Cologne. 1700.

5. *Historia chronologica omnium Pontificum inde a Iesu Christo usque a. 1700.* Amsterdam. 1700. Liber hollandice scriptus.

6. **Paulus Antonius** *de superstitione Iubilaei Pontificii.* Halae. 1700.

7. *Vom Römischen Jubeljahr, wie auch der Juden Sabbather- und Jobeljahr.* 1700.

8. **Iac. Christoph. Iselius** *Basileensis, diss. philologico-theologica in sententiam Iac. Ben. Bossueti Meldensis Eppi de Babylone, bestiisque et meretrice Apocalypticis.* Basil. 1700.

9. **Ioan. Andr. Schmidt** *consilium, quo omnium protestantium ecclesiarum eruditis Centuriarum Magdeburgen-*

sium emendationem, defensionem, et continuationem commendat. Helmstadii. 1700.

10. **Gottfried Arnold** *unpartheiische Kirchen- und Ketzer-Historie, vom Anfang des N. T. bis auf das J. 1688.* Frankfurt. 1700. ss. Opus Centurias Magdeburgicas equidem in multis reprehendens, sed in oppugnando Primatu cum iis conspirans. Multis auctor impetebatur scriptis, etiam ex parte Protestantium:

11. **Ernst Salomon Cyprian** *allgemeine Anmerkungen über ‚G. Arnold's' Historie.* Helmstädt. 1700.

12. **Arnold** *Erklärung — auf Veranlassung der von ‚Cyprian' vorgebrachten Beschuldigungen. Nebst eines Freundes Erinnerungen gegen Cyprian's Anmerkungen.* Leipz. 1700.

13. **Tob. Pfanner** *unpartheiisches Bedenken über ‚Arnold's' unpartheiische Historie, sammt dessen kurzer Beantwortung und darauf erstatteter Erläuterung.* Gotha. 1701.

14. *Wahre Nothwendigkeit des Kirchen- und Abendmahlgehens, in kurzen abgenöthigten Anmerkungen über einige Capitel der sogenanten Erklärung ‚Arnold's;' den Quedlinburgischen Gemeinden vorgestellt von dem ord. Predigtamt daselbst.* Quedlinburg. 1701.

15. **Arnold** *fernere Erläuterung seines Sinnes — in einer Rede und Antwort auf die Quedlinburgischen Prediger, — sammt einer Duplica an ‚Pfanner.'* Frankfurt. 1701.

16. **Pfanner** *durch ‚Arnold's' Duplik fernerweit veranlasste Erläuterung seines unpartheiischen Bedenkens über die Arnoldische Historie.* Gotha. 1701.

17. **Elias Veiel** *augenscheinliche Erweisung, dass der vermessene Ketzerpatron ‚Arnold' das Valentinianische Ketzerfragmentum Theodoti weder verständlich noch treulich übersetzt.* Ulm. 1701.

18. **Arnold** *endliche Vorstellung seiner Lehre und Bekenntniss, auf ‚Veiel's' und ‚Corvini' Anklagen, mit dem Entschluss, Niemanden mehr zu antworten, und die Kirchenhistorie selbst zu emendiren.* Frankf. 1701.

19. **Cyprian** *allgemeine Anmerkungen über ‚Arnold's Kirchenhistorie, zum drittenmal gedruckt, und sowohl mit einer Antwort auf alle dagegen edirte Schriften, als Vorbericht von ‚Arnold's' Religion, wie auch fernern Anmerkungen von dessen*

historischen Verfälschungen und Fehlern vermehrt. Frankf. u. Leipz. 1701.

20. *Aufrichtige Vorstellung vieler von ‚Arnold' verübter vorsätzlicher Verfälschungen an alten und neuen Scribenten, und ärgerlicher Vertheidigung der boshaftigsten Ketzer und Atheisten. Durch einen Liebhaber der Wahrheit.* Ulm. 1702.

21. **I. Wilh. Montgallo** *wer das lieset, der merke zum ersten: auf die christliche Warnung vor der päbstlichen Lehre; zweitens auf F. Eustachii Eisenhuts, eines Dominicaners, Gegenwarnung; und drittens auf die durch Licht und Recht obsiegende Wahrheit.* 1702.

22. **Cyprian** *fernere Proben von ‚Arnold's' Parteilichkeit* Frankf. u. Leipz. 1702.

23. **Iac. Zentgravius** *vindiciae M. Lutheri, Arnoldi Historiae oppositae.* Argentor. 1702.

24. **Arnold** *Supplementa, Illustrationes, und Emendationes zur Verbesserung der Kirchenhistorie.* Frankf. 1703.

25. **Vidal** *l' Eglise Romaine pleinement convaincue d' Antichristianisme.* Amsterdam. 1701.

Papam esse Antichristum ex Daniele et Apocalypsi probare nititur.

26. **Rhein** *Papatus primum Falsum.* Lips. 1701.

27. **Günther** *dissertatio ex Ep. Pauli ad Romanos demonstrans, quod Ecclesia Lutherana ‚apostolica' sit, Romana vero apostatica.* Lips. 1701.

28. **Michonius** *epistola de secessione ab Ecclesia Romana.* Traiecti. 1701.

29. **Hermannus Zoëst** *de ecclesiastica potestate et Papali. Praefatione auxit Hector Gottfried Masius.* Hafniae. 1701.

30. **Renout** *Taxe de la Chancellerie Romaine et la banque du Pape. Augmenté d' une nouvelle preface.* Londres. 1701.

31. **Usserius** *de origine Epporum et Metropolitanorum, de Asia proconsulari, et antiqua Ecclesiae Britannicae libertate.* Bremae. 1701.

32. *Tractatus de praeiudiciis falsis et legitimis, sive responsio ad epistolas pastorales AEpporum Parisiensis, et Rothomagensis, Epporum Meldensis et Montalbanensis.* Delphis. 1701. Auctor Protestans opponit suum librum dictis Pastorali-

bus, quae praeiudicia Protestantica convellere, et Protestantes ad sinum Ecclesiae reducere conabantur.

33. **Hannekenius** *mysterium Antichristi.* Vitebergae. 1701.

34. **Senckler** *nichtiges Papstthum.* Braunsberg. 1701.

35. **Ioachimus Hildebrandus** *tractatus de Hierarchia veteris Ecclesiae.* Helmstadii. 1702. Contra monarchiam Rom. Pontificis, primatumque Petri, quem tamen Romae fuisse admittit.

36. **Deutschmann** *diss. de Petra Ecclesiae.* Amstelod. 1702. Inest dissertatio ‚Thesauro theol. philologico.'

37. **Thom. Ittigius** Superintendens Lipsiensis, in fama magnae eruditionis, *exercitationum theologicarum varii argumenti Enneas.* Lips. 1702. Inter exercitationes prima continet: *Animadversiones ad censuram Fac. theol. Parisiensis, latam in Sorbona 1683 de propositione: ad solam sedem Apost. divino immutabili privilegio spectat de controversiis fidei iudicare.*

38. **Ioan. Faës** *anatome Bullae Iubilaei universalis anni 1700 Papae Innocentii XII, observationibus theologico-historico-politicis locupletata.* Helmst. 1702. Auctor iam ante 20 annos et amplius pertractavit argumentum de Iubileo.

39. **Blumberg** *mysterium Papali Coronae adscriptum Ens hucusque reale, Non-Enti ‚I. Lud. Hannemanni' oppositum.* Cygneae. 1702.

40. **Guil. Iameson** *Romà Racoviana, et Racovia Romana, h. e. Papistarum et Socinistarum in plurimis iisque maximi momenti religionis suae capitibus plena et exacta harmonia.* Edinburgi. 1702.

41. **Ioan. Renoultius** *histoire des variations de l' Eglise Gallicane en forme des lettres ecrites a M. de Meaux, pour servir de reponse par voye de recrimination a son livre des variations des protestans.* Amsterdam. 1702. Celebre *Bossueti* opus de variationibus doctrinae protestanticae, seculo superiore editum, paralisare nititur.

42. **Barthol. Christ. Richardus** *diss. de Petri Romam adventu ex antiquitate Romana defenso.* Vitebergae. 1703. Contra *Spanhemium.*

43. **Andr. Ritter,** *de vestibus sacris certis literis notatis.* Lips. 1703. *Blumbergum* paulo ante memoratum sequutus, de corona Papali in eodem cum illo sensu disserit.

44. **Arnoldi** *Petrus antipapista.* Gryphiswaldiae. 1703. Sub manuductione ac praesidio *I. Frid. Mayer.*

45. **Rochow** *dissidium pontificis Romani, et Hebraei* Kiloni. 1703.

46. **Ascianus Dorothaeus** *montes pietatis Romanenses, historice, canonice, theologice detecti. Praemittitur tractatus de nervis rerum gerendarum Romanae Ecclesiae. Subiungitur biga Scriptorum pontificiorum*; ‚**Nicolai Bariani**' *montes impietatis, et* ‚**Michaelis Papafavae**' *decisio contra montes pietatis.* 1703.

47. *Histoire des Conclaves depuis Clement V iusqu' a. present. Troisieme edition augmentee du Conclave de Clement XI, et d' un Traite de l' origine des Cardinaux et des Legats.* Cologne. 1703.

48. **Slevogt** *programmata tria, quibus ostenditur, ex Canone VI C. Nicaeni primatum Papae asseri non posse.* Ienae. 1703.

49. **I. Iac. Gesner** *Roma aversa, adversa, et inversa, oppugnata; una cum appendice libelli gallici: ‚Rome protestante.'* Tiguri. 1703.

50. **Matth. Nic. Braun** *diss. historico-politica de dominatu Pontificis Romani.* Ienae. 1704.

51. **Ioh. Adam Scherzer** *anti-Bellarminus.* Lipsiae. 1704.

52. **William Chillingworth** *the religion of Protestantes, a Safeway to Salvation.* London. 1704. Cap. 5. agit de separatione ab Ecclesia Romana, quam dicit defecisse ab Apostolica.

53. **Gottlieb Gerhard Titius** *Probe des deutschen geistlichen Rechts, wie selbiges ohne päbstische und papenzende Verfälschung, aus den Grundsätzen göttlicher Rechte zum Gebrauch prot. Staaten — könnte vorgestellt werden.* Frankf. 1704.

54. Idem, *fernere Ausführung seiner in der Probe vorgetragenen Lehre vom päbstlichen Missbrauch des Bindeschlüssels, wider Justin Töllner's Widerlegung.* 1704.

55. **Dan. Severus Scultetus** *hypotyposis, sive succincta*

depulsio errorum Romanae Ecclesiae, ad Bossueti historiam variationum. Ienae. 1704.

56. **Braun** *disputatio historico-politica de dominatu Pontificis Romani.* Ienae. 1704.

57. **Ioan. Kahler** *diss. de tribus Hierarchiis.* Rintelii. 1704. Caput Ecclesiae solum Iesum esse, non Rom. Pontificem. Idem propugnat etiam in *tractatu de Ecclesia.*

58. **Anton. Matthaeus** Traiectensis, *veteris aevi analecta.* 1704. Traiecti. Tomo 6 continetur *Ordinum seu trium Statuum Traiectensium contra Papam libellus.*

59. **Nic. Sanson** *vita Petri Apostoli, in qua potissimum describuntur eius patria, mansiones, itinera, et peregrinationes.* Amstelod. 1704.

60. **Ernst Sal. Cyprian** *das Centrum des Pabstthums, nebst einer freundlichen Antwort auf das päbstische Büchlein: ‚Kurz und Gut;' in Wahrheit und Liebe gezeigt.* Jena. 1705.

61. **Mich. Geddes** *Tractatus Miscellanei.* Londini. 1705. Volumini II inest *dissertatio de Primatu,* quem in Hispania antiquissima nequaquam agnitum fuisse statuit. Plures quoque insunt particulares tractatus tam huic quam subsequo volumini, ad infringendam auctoritatem Romanae Ecclesiae tendentes.

62. **Campegius Vitringa** *anacrisis Apocalypseos Ioannis Apostoli, qua in veras interpretandae eius hypotheses diligenter inquiritur, et ex iisdem interpretatio facta certis historiarum monumentis confirmatur atque illustratur; ea etiam, quae Meldensis Praesul Bossuetus in huius vaticinii commentario supposuit, et exegetico Protestantium systemati in visis de bestia et Babylone mystica obiecit, sedulo examinantur.* Franequerae. 1705. Editio nova 1719.

63. **Löscher** *die geheimen Gerichte Gottes über das römische Pabstthum* Magdeburg. 1705.

64. Idem, *Historie des römischen Hurenregiments der Theodora und Marozzia.* 1705.

65. Idem, *historische Beweisthümer wider das Papstthum.* Leipzig. 1705.

66. **I. Faës** *lucubrationes in bullam Iubilaeam anni 1701.* Helmstadii. 1705.

67. **Samuel Basnagius** *annales politico-ecclesiastici annorum 645. a Caesare Augusto ad Phocam usque, in quibus*

res imperii ecclesiaeque observatu digniores subiiciuntur oculis, eroresque evelluntur Baronio. Rotterodami. 1706. Totum opus contra Primatum dirigitur, quem pure honorarium fuisse asserit.

68. **Ioan. Christian Albrecht** *Papam haeresizantem publico examini subiicit.* Lipsiae. 1706. Percurrit quinque prima secula, et errores haereticorum cum Papatus erroribus convenire asserit.

69. **Dan. Guil. Mollerus** *diss. historica de Malachia, propheta pontificio, cum ipsis vaticiniis.* Altorfii. 1706.

70. **Höneck** *solida, iusta, et orthodoxa detestatio Papae et Calvinistarum.* 1706.

71. **I. Frid. Mayer** *Ios. Halli Eppi Exoniensis, Roma irreconciliabilis: quam in Univers. Pomeranorum Regia academico examini subiecit, et syllabum auctorum, qui Romam reconciliabilem statuerunt, atque ‚M. A. de Dominis' consilium reditus ex Anglia addidit.* Gryphiswaldiae. 1706.

72. **Giacomo Piccinino** *apologia per i Reformatori e per la Religione Riformata. Contro le invettive di F. Panigarolo e P. Segneri.* Coira. 1706. Auctor, minister calvinisticus, vindicias scribit sui prioris operis, a designatis in titulo viris impugnati, ut Seculi prioris literatura exhibet.

73. **Herm. von der Hardt,** *l' Antichrist.* Helmst. 1707. Auctor sub Antichristo non Rom. Pontificem, sed nationem Iudaicam intelligit: atque ob hoc assertum per plures suae sectae homines refutatus extitit, pro Romano Antichristo, sicut priori seculo a multis factum vidimus, suam sententiam depromentibus. Ex horum numero fuit:

74. **Löscher** *exercitatio theologica, qua recens portentum exegeticum, Antichristum magnum esse nationem Iudaicam, examinatur, et oracula II Thess. 2, 2. I Ioan. II. 18. IV. 1. ss. a perversionibus auctoris Schedae Helmstadiensis ‚L' Antichrist' dictae vindicantur.* Viteb. 1707. Huic concinit:

75. **B. P. Karlius** *commentatio de Antichristo non iudaico, quasi iam dudum cum republica Iudaeorum abolito.* 1707.

76. **Casp. Ioan. Wolfius** *disputatio theologica de necessaria secessione ab Ecclesia Romana, quam amicae disquisitioni subiicit ‚Ioan. Fortunatus Peracherus.'* 1707.

77. **I. E. Gerhardus** *discussio iactitati salutaris in Papatu adhuc integri fundamenti.* Gissae. 1707.

78. **I. Frid. Mayer** *disputatio de Ecclesia Papaea lutheranae reformationis patrona, h. e. de Pontificiis Leonis X processum improbantibus.* 1707. Recusa in *Triga diss. theologicarum.*

79. 80. **Ioan. Iac. Hottinger** *de supremo controversiarum Iudice Christiano.* Item: *De supremo controv. Iudice antichristiano personato.* 1707.

81. **Christhold** *fundamentum Papatus.* Tubingae. 1708.

82. **Helvigius** *Antichristus Romanus ex proprio suo nomine proditus.* Stralsund. 1708.

83. **M. I. A. Uhlius** *diss. academica, qua methodum Hildebrandinam perveniendi ad monarchiam universalem publico eruditorum examini exponit.* Ienae. 1708.

84. **Naevius** ICtus Vitebergensis, *Ius Clericorum, oder das Priesterrecht.* Wittenberg. 1708. Contra Primatum.

85. **Henr. Pipping** *de triplici corona Romani Pontificis.* Lips. 1708. Occurrit inter ‚exercitationes academicas iuveniles.'

86. **Scherzerus** *Bibliotheca Pontificia, seu Papismus vapulans, ex ipsorum pontificiorum scriptis detectus.* Lips. 1708.

87. 88. **Sebast. Kortholt** *disquisitiones antibaronianae.* Hamburgi. 1708. Est nova editio ex anno 1677, quam primum Christianus Kortholt adornavit. Sed accessit secundae editioni *exercitatio in canonem VI C. Nicaeni.* Accesseruntque exercitationes *Tribbechovii,* iam suo loco nominatae.

89. **Gottfr. Arnoldus** *Historie von der Lehre, Leben, und Thaten derer beiden Apostel und Jünger Christi, Petri und Pauli.* Rostoch. 1708.

90. **I. Iac. Stöckhardt** *Lutherus novissimorum temporum Elias, Ecclesiam lapsam restaurans.* Lips. 1708.

91. **Gerstäcker** *dissert. philologica de blanda Gallorum compellatione ‚Papa' usu hodie inter nostros recepta.* Lips. 1708. Cum contemtu loquitur de R. Pont.

92. **Hottinger** *de supremo controversiarum iudice, Papistarum opinione genuino et unico.* 1708.

93. **Christoph. Sonntag** *stricturae Anti-Becanianae, adversus librum 1. et 2. Manualis Controversiarum, duabus*

dissertationibus exhibitae. Altorfii. 1708. Controversiam celebris Iesuitae *Becani* suo loco fuse proposuimus.

94. **Petr. Zornius** *censura eclogarum I. Frid. Mayeri de fide Baronii et Bellarmini, ipsis pontificiis ambigua, selectis ex historia literaria observationibus referta, auctaque plus quam 60 pontificiorum scriptorum farragine.* Dusseldorpii. 1709. Auctor assumto nomine *Nicetae Critopuli* censurat opusculum Mayeri (a. 1697.) editum, sed una in odium Primatus Pontificii, pariter ac Mayerus, multa congerit.

95. **I. Frid. Krebs** *de nominum mutatione, potissimum in Religiosorum professione atque Pontificum Rom. inauguratione dissertationes, nunc denuo editae cum multiplici augmento.* Norimbergae. 1709.

96. *L' accomplissement des propheties, ou la delivrance prochaine de l' Eglise; ouvrage dans le quel il est prouve, que le Papisme est l' Empire Antichretien. Par le S. P. I. P. E. P. E. Th. A. R.* 1709.

97. **Zephirinus de Pace** *(G. Chr. Ferd. Räsewitz) nöthige Wiederaufrichtung der ersten christl. Kirche, vorgestellt durch wohlgemeinte altchristliche Gedanken über das schon vor vielen Jahren schriftlich herumgetragene, nachmals aber durch den Auctorem der sogenannten aufgefangenen Briefe a. 1700. herausgegebene Project zur Vereinigung der katholischen und protestirenden Religion.* Brunsvici. 1709. Scriptum irenicum pro unione, ceteris moderatius de Papa se enuncians. Sed a Protestantibus impugnatum. Auctor tardius ad Ecclesiam Cath. reversus est.

98. **Ad. Rechenberg** *de tenebris Papalibus.* Lipsiae. 1709.

99. **I. Wolfg. Jäger** *historia ecclesiastica cum parallelismo profanae, in qua conclavia Pontificum Romanorum aperiuntur, et sectae omnes recensentur ab a. 1510 usque 1710.* Hamburgi. 1709. Alter tomus a. 1717.

100. *De antiqua Ecclesiae Britannicae libertate, atque de legitima eiusdem Ecclesiae exemtione a Romano Patriarchatu diatribe per aliquot theses deducta. Auctore I. B. SS. Theol. Professore.* 1709. Indici inserta.

---

b) Pro Primatu.

I. **Elias Astorinus** *de vera Ecclesia contra Lutheranos et Calvinianos.* Neapoli. 1700.

II. **Venceslaus a S. Elia** *Echo salutis aeternae, a petra militantis Ecclesiae Catholicae ex sono tubae pacis ad dissidentes in Occidente Ecclesias resonans.* Cracoviae. 1701.

III. **Ludov. de Reyn** Capuc. *speculum abominationum, seu epitaphia omnium haeresiarcharum a temporibus Apostolorum ad usque modo, prosa praeeunte metro expressa. Enucleatur etiam series Rom. Pontificum, nec non Conciliorum tam generalium quam particularium; et haeresiarcharum mores, errores, et acta inprimis proponuntur.* Ipris. 1701.

IV. **Max. Rassler** S. I. *Monarchiae Romani Pontificis coelestis origo contra Sam. Pufendorfium academicis dissertationibus propugnata.* Dilingae. 1703.

V. Idem, *Panegyrici Sacri ‚Ven. Pauli Segneri S. I.' latine editi.* Dilingae. 1703. Panegyricus IX est : *Thronus Dei inter homines positus in Vaticano : panegyricus in honorem Cathedrae S. Petri dictus Bononiae.* Auctor *Segnerus* panegyricos hos primum italice vulgavit. Recusi sunt 1772. Aug. Vindel.

VI. **Chr. Helwich** *Vindiciae discussionis suae contra brutum Papatus irrationabilis auctorem.* Vratislaviae. 1703. Operis, cui liber hic opponitur, iam priori seculo mentio facta est.

VII. **Benedictus Bacchinius** O. S. B. *de ecclesiasticae hierarchiae originibus dissertatio.* Mutinae. 1703. Petri successorumve Primatum insigniter evolvit.

VIII. *Histoire des Papes, ou l' on voit ce, qui c' est passe de plus remarquable pendant leur pontificat pepuis S. Pierre iusqu' a Clement XI.* Lyon. 1703.

IX. **Clementis XI** *Papae Homilia in SS. Apostolos Petrum et Paulum habita ad populum Romanum. Ex Latino in Graecum versa a ‚Blasio Garyophilo.'* Neapoli. 1704.

X. **Locke** percelebris Angliae eruditus in opere suo, Rationabilitas Christianismi' necessitatem auctoritatis ecclesiasticae et supremi Capitis palam propugnat. 1704.

XI. **Desiderius Palaeophilus** *imago Pontificiae dignitatis, penicillo S. Scripturarum ac traditionis nativae delineata: ubi quid Pontifici Romano competat vel non competat, collectis*

ex ecclesiastica supellectile documentis luculenter ac compendio demonstratur. Constantiae. 1704. Cum sequente S. Augustini dicto inchoat suum librum: ‚Non sit nobis religio in phantasmatibus nostris, melius est enim qualecunque verum, quam omne quidquid pro arbitrio fingi potest.‘ Auctor tamen hic nonnihil liberalis est in abiudicandis praecipuis quibusdam Primatus praerogativis.

XII. **Ant. Kopf** O. S. Fr. *inviolabilis ac inconcussa Petra, i. e. demonstratio symbolica veri Primatus Petri, Apostolorum et Ecclesiae verae Rom. Cath. Principis, Capitis, et Fundamenti, super quod Christus Dominus aedificavit Ecclesiam suam. Contra quaecunque Sectariorum, maxime Dallaei, obmota et intentata scandala, allisa ad hanc firmam petram, Petrum, et dissipata.* Colon. 1705.

XIII. **Ant. Pagius** *Critica hist. chronologica in universos Annales Eccles. Caesaris Baronii, in qua rerum narratio defenditur, illustratur, suppletur, ordo temporum corrigitur, innovatur etc. Opus posthumum cura Francisci Pagi.* Coloniae Allobrogum sive potius Genevae. 1705. Primum operis huius volumen a. 1689. prodiisse suo loco monuimus. Peculiarem merentur attentionem *Catalogi X veterum Pontificum Romanorum.*

XIV. **Iosephus de S. Patritio** O. S. Aug. *sermo de Principe Apost. Petro.* Lissabonae. 1705.

XV. **Petr. Schitman** S. I. *Religionis Romanae Catholicae fundamentum, securitas, et veritas explicata.* Hildesii. 1705.

XVI. **Harduinus** S. I. *Medaille de Louis XII. avec la legende: ‚Perdam Babylonis nomen‘ expliquée.* **‚Journal des Savans** 1707. p. 194.‘ Auctor commentatur in dictam inscriptionem numi Ludovici XII. Gall. Regis, quam osores Rom. Sedis sic intelligebant, ut dicerent, per Babylonem intelligi Romam. Ostendit Harduinus, per illam *Cairum* intelligi, in vetere Babylonia situatum, huncve sensum historiae quoque convenire, siquidem Ludovicus titulum Regis Ierosolymorum et Neapolis gesserit.

XVII. **Fabricius** magni nominis theologus apud Protestantes, occasione controversiae de quaestione: ‚an in Ecclesia Catholica salus obtineri possit?‘ per Protestantes initio Seculi agitatae, quum suam sententiam in sensu affirmativo enunciaret, ob idque a pluribus occulti catholicismi postularetur, in defensione

sive *apologia* sua a. 1707. edita confessus est: ‚Primatum Papae eo minus habere difficultatis, quo certius est, Petrum esse primum Apostolum, et Deum amatorem ordinis.‘ In *epistola* porro *ad Britannos* affirmavit: Professores Helmstadienses unanimiter tenere, quod Ecclesia Catholica in fundamento fidei haud erret.

XVIII. **Alanus Bardzinski** *ordo ac series Summorum Pontificum Romanorum, a S. Petro ad Clementem XI. sibi legitime succedentium, patriam cuiusque et tempus regnandi describens.* Cracoviae. 1707.

XIX. **Marianus Ant. Hermann** O. Praem. *selectae quaestiones canonico-theologicae.* Vetero-Pragae. 1708. Thesi V. propugnat: Pontificem habere potestatem immediate a Christo, alios Praelatos derivative a Pontifice.

XX. **Bonaventura a S. Elia** O. S. Fr. Panormitanus, *de infallibilitate Summi Pontificis supra et extra Concilium in materia morum et fidei.* Romae. 1708.

XXI. **Vitus Pichler** S. I. *examen polemicum super Aug. Confessione, videlicet, an sit illa infallibile fidei lutheranae symbolum?* Aug. Vind. 1708.

XXII. Idem, *iter polemicum ad Ecclesiae Catholicae veritatem per omnium infidelium errores evidenter detectos, tamquam per totidem recti tramitis demonstrationes, certissime deducens, praeeunte naturali lumine institutum.* Aug. Vind. 1708.

XXIII. Idem, *Papatus numquam errans in proponendis fidei articulis, h. e. Romanus Pontifex, Iesu Christi in terris Vicarius, D. Petri successor, universalis Ecclesiae Pastor et Rector, Iudex controversiarum ad fidem et mores pertinentium auctoritate summus, potestate maximus, sententia infallibilis.* Aug. Vind. 1709.

XXIV. Idem, *Lutheranismus constanter errans in primis fidei principiis, videlicet in repudiando Verbo Dei non scripto, in recipiendo et discernendo Verbo Dei scripto, in intelligendo Verbo Dei scripto.* Aug. V. 1709.

XXV. **Ioan. Harduinus** S. I. *opera selecta.* Amstelod. 1709. Iis inest: *dissertatio, in qua Cepham a Paulo reprehensum, Petrum non esse ostenditur.*

XXVI. **Godefr. Henschenius** S. I. *commentarius de SS. Principibus Apost. Petro et Paulo.* Continetur in ‚Actis Sanctorum mensis Iunii. t. V. p. 398.‘ a. 1709.

XXVII. **Nicole** *Unite de l' Eglise, ou refutation du nouveau Systeme de ‚Iurieu.'* Lille. 1709. Auctor Iansenistica tuetur principia.

XXVIII. **Ioan. Kraus** S.I. magnus Controversista, 60 circiter opusculorum inde ab a. 1714. evulgatorum auctor, haec inchoavit iam 1709, sequenti vulgato libello. *Ovicula ex Lutheranismo ad Ecclesiam Dei redux.* Pragae. 1709.

---

c) Literatura de opusculis ‚Bern. Freitag', et ‚Mart. Szentiványi' e Soc. I.

Ex hoc primo decennio subiicimus plura opuscula sub uno conspectu, a duobus magnae doctrinae Iesuitis, *Bernardo Freitag,* et *Martino Szentiványi* edita.

Bernardo Freitagio occasionem scribendi praebuit apostasia *Ioannis Rempen,* antea Iesuitae, et expost Professoris Helmstadiensis, in prima sua Concione cumprimis contra Primatum debacchantis. Scripta Freitagii sunt :

XXIX. *Wider des Apostaten ‚Joan. Rempen' mit dem Titel: ‚Abgezwungene Beantwortung', verblümmte ehr- und schamlose Schmäh- und Lugenschrift, abgenöthigte, der Wahrheit und den Rechten gemässe, Schutzschrift.* Hildesheim. 1708.

XXX. *Wider des, erst Jesuiten, demnächst Benedictiners, jetzt Apostaten, ‚Ioannis Rempen' unverantwortliche Mammeluckerei, verschiedene Schreiben, wie auch wieder die unter dem Titel: ‚Abgezwungene Beantwortung,' jüngst herausgegegebene ehrenlose, lotterbubische, ehrendiebische Schmäh- Schand- und Lügenschrift, abgenöthigte gerechtliche absonderliche Schutzschrift.* Hildesheim. 1708.

XXXI. *Des evangelosen Apostaten ‚Joh. Rempen' mit der Schaafwolle der evangelischen Wahrheit als einem scheinbaren Vorhang übel bekleidete und ausstaffirte Schaubühne, entkleidet und in ihrer unevangelischen Blösse bei Abhandlung des ersten Hauptstreits, ob der Protestanten prätendirte Schriftregel sey? vorläufig vorgestellt. Dem Apostaten ‚Rempen' zu sattsamer Ueberweisung seiner mit der evang. Wahrheit verblümten gottschändischen Apostasie, Allen sowohl Protestirenden als Katholischen zu heilsamer Warnung, dass sie sich an diesem*

im evangelischen Schaafpelz vermummten Comödianten und theatralischen Folianten nicht vergaffen. Hildesheim. 1709.

Praeter *Freitagium* etiam Canonicus Hildesimensis, *Sonnemann*, impugnabat apostatam ‚Rempen‘ :

XXXII. **Sonnemann** *Apologia veritatis catholicae, oder gründliche Vorstellung und Widerlegung grosser, schwerer, und in den Satzungen des heil. Röm. Reichs verbotener Calumnien eines gewissenlosen, ausgetretenen unverschämten Mönchs, Johann Rempens, womit derselbe die gesammten katholischen — Stände — zu verläumden sich ohne Scham und Nachdenken boshafterweise unterstanden, der ganzen ehrbaren Welt zur Judicatur anheimgestellt von einem kath. Priester und Theologo.* Hildesheim. 1708.

XXXIII. Idem, *Trutz ‚Rempen‘ und seinen luthrischen Krämpen, d. i. gründliche Widerlegung der jüngst ausgestreuten Mameluckischen Predigt ‚Ioannis Rempen‘, der päbstischen Theologie abgesetzten und verwiesenen Professors, nachmals zu S. Michael auf Ketzereien studierenden Lectors, jetzt aber der luthrischen Kirche verwirrten Doctors, durch Satansverführung Bockelmannischen Vice-Wortsdieners.* Cöln. 1708.

XXXIV. Idem, *Simplicissimus, d. i. ‚Ioannes Rempen‘, weiland M. Luthers neugeborner Schmähsohn, wird mit einfältiger und höflicher Antwort auf seine ausgestreuten Chartequen, absonderlich den päbstlichen Primat antreffend, bedienet von F. Simpliciano, seinem wohlbekannten kath. Freund.* 1708.

XXXV. Idem, *nochmalige letzte und kurze Zurückfertigung der von ‚Joh. Rempen‘ alsogenannten gezwungenen Beantwortung, mittelst deren dieser übelberathener Jesuiter, und ausgetretener Mönch seine gewöhnlichen Schmäh- und Lasterpossen unter's Volk ferner ausstreuen wollen, zur wohlverdienten Züchtigung und nöthigen bessern Instruction demselben zugeschickt.* Hildesheim. 1709.

Martinus Szentiványi S. I. Hungarus, plurimus scriptis exagitavit hoc decennio Protestantes, quorum seriem sub uno conspectu exhibere operae pretium duximus :

XXXVI. **Szentiványi** *dilemmata XV DD. Acatholicis pro*

xenio novi anni 1699 affectuosissime oblata. Tyrnaviae. 1699. Ad haec dilemmata respondit:

101. **Timotheus Philalethus** *Responsa ad XV dilemmata* etc. 1699.

XXXVII. **Szentiványi** *Responsa non Responsa ad XV dilemmata* etc. Tyrnaviae. 1700. Ostendit, Timotheum male respondisse, et difficultates dilemmatum non solvisse.

XXXVIII. Idem, *Dubia XXIV pro xenio novi anni 1700 Pastoribus Aug. et Helv. Conf. fiducialiter oblata a quodam, iam a longissimo tempore secum deliberante, quamnam inter tres diversas Religiones et Confessiones in Hungaria toleratas capessere et eligere debeat?* Tyrnaviae. 1700. Ad alterum hocce opusculum respondit:

102. **Andr. Hagymásy** Pannonius, *Antixenium, seu disputatio theologica ad 24 dubia. Sub praesidio Pauli Pomian Pasarovii.* Regiomonti. 1700.

XXXIX. **Szentiványi** *dissertatio haeresiologico-polemica de haeresiarchis et haeresibus ab a. 1600 ad annum 1700 noviter exortis et suscitatis aut resuscitatis.* Tyrn. 1701.

XL. Idem, *solutiones catholicae sex praecipuorum fidei dubiorum Acatholicorum contra veritatem fidei Rom. Catholicae.* Tyrn. 1701.

XLI. Idem, *Lutheranicum ‚Numquam' et ‚Nuspiam,' seu intricatissima et insolubilis quaestio, an, ubi, et quando extiterit lutherana ecclesia ante M. Lutherum seu ante annum* 1517. Tyrn. 1702.

XLII. XLIII. Idem, *50 rationes et motiva, quare tot inter Religiones et fidei Confessiones, quae de facto inter Christianos vigent, Catholica praeferenda et eligenda sit, acatholicis in rubrum ovum oblatae.* Tyrnaviae. 1702. Libellus hic in germanicum translatus eodem anno *Zagrabiae,* tum cum nonnullis additionibus et appendice *Agriae* 1736. recusus est.

XLIV. Idem, *streitige Abhandlungen der Ketzereylehren von den Erzketzern, Ketzereien und irrigen Glaubenslehren, die in unserem 17. Jahrhundert neu entsprungen, und erweckt, oder wieder hervorgezogen worden. In's Teutsche übersetzt von Ioan. Lydl, S. I.* Tyrnau. 1703.

XLV. Idem, *Solutiones non solutiones sex praecipuorum*

fidei dubiorum acatholicorum contra veritatem fidei Rom. Catholicae. Tyrn. 1703. Refutatio opusculi acatholici.

XLVI. Idem, *solutiones non solutiones pastoris Augustani XXIV dubiorum catholicorum refutatae.* Tyrn. 1703.

XLVII. Idem, *analysis seu resolutio XII praecipuorum erroneorum dogmatum in fide modernorum Acatholicorum.* Tyrn. 1703. Libellus hic a. 1704. tam *Monasterii*, quam *Coloniae* recusus est.

XLVIII. Idem, *Lutheranicum nihil ad rem, nihil ad propositum, seu ludicrae responsiones cuiusdam lutherani Regiomontani Academici ad XV Catholicorum dilemmata refutatae, ac DD. Acatholicis pro xenio a. 1703. oblatae* Tyrn. 1703.

XLIX. Idem, *Cavillationes modernorum Acatholicorum contra Romanae Ecclesiae unitatem expositae.* Tyrn. 1703.

L. Idem, *dissertationes criticae de doctrinis haereticorum.* Tyrn. 1703.

LI. Idem, *magnum chaos inter Confessionem Augustanam et Confessionem Augustinianam, sive discrimen ac disconvenientia in doctrina fidei Confessionis Augustanae ac S. Augustini doctrina.* Tyrn. 1704.

LII. Idem, *castigatio illusoriae concionis, infamis apostatae, Meinolphi Wiarts' Warburgensis; (qui olim, dum in S. Ordine Capucinorum esset, vocabatur P. Basilides) quam post suum ab Ecclesia Catholica et S. Ordine ex desiderio liberioris vitae discessum et publicam apostasiam — Hildesii dixit.* Tyrn. 1704.

LIII. Idem, *consultatio saluberrima de reducenda stabili ac constanti tranquillitate et pace in Hungaria per eiusdem adductionem in unitatem fidei ac religionis, Inclytis IV Statibus Hungariae, nempe Ecclesiastico, Magnatum, Nobilium, et Lib. Reg. Civitatum praesentata.* Tyrn. 1704.

LIV. Idem, *Veritas toti mundo declarata.* Tyrn. 1706.

LV. Idem, *turris Babel, seu confusio doctrinae fidei inter modernos acatholicos. Opus posthumum.* Tyrn. 1707,

LVI. Idem, *appendix, seu dubia alicuius evangelici hominis in sua fide scrupulosissimi.*

LVII. Idem, *doctrina fidei christianae Ecclesiae primorum V seculorum, seu examen, quaenam ex tot et tam variis Religionibus modernis sit vera Christi Ecclesia.* Tyrn. 1708.

Decennium II. a. 1710—1719.

a) Contra Primatum.

103. **Brusset** *disputatio theologica de Petro Romae martyre, non Pontifice. Defendit* **Van Til.** Lugd. Bat. 1710.

104. **Mart. Chladenius** *de Monothelismo Honorii Papae in C. Oec. VI. damnati, adversus Binium et Cabassutium dissertatio theologica. Defendit* **Brunst.** Vitemb. 1710.

105. **Ad. Rechenberg** *de Papatu Romano Christi Regno irreconciliabili diss. theologica. Defendit* **Christoph. Brückner.** Lips. 1711.

106. **Frid. Karl** Novisolio-Hungarus, *diss. theol. de Ecclesia plantata ad oraculum Paulinum I Cor. 3, 6. nostrorum temporum causa instituta.* Vitebergae. 1711.

107. **Paulus Antonius** *de Iubilaei Pontificii superstitione, inprimis bullae novissimae Innocentii XII P. R. et libello Herbipolensi nuper edito* (de ceremoniis Iubilaei) *opposita dissertatio.* Magdeburgi. 1711.

108. **Christ. Gothülf Blümberg** *veritas mysterii Tiarae R. Pontificis olim adscripti novis aliquot testimoniis asserta, et a contradictionibus aliter sentientium vindicata.* Cygneae 1711. De prioribus auctoris opusculis in hoc merito vulgatis antecedens literatura conferenda est.

109. **Gottfridus Olearius** *de Babylone apocalyptica contra I. B. Bossuetum.* Lips. 1711.

110. **Laur. Howel** *a view of the Pontificat.* London. 1712. Polemicum opus contra Papatum.

111. **Georg. Hooper** *Ecclesia Anglicana a Papismo libera.* 1712.

112. **Götz** *exercitatio theologica in illud Lutheri: ‚Pestis eram vivus, moriens ero mors tua, Papa.‘ Defendit* **Albrecht.** Lubecae. 1712.

113. **Thom. Ittigius** *historia C. Nicaeni observationibus maxime recentiorum Scriptorum illustrata. Recensuit* **Chr. Ludovici,** *cuius cura praefatio, adnotationes, et reliqua accesserunt.* Lips. 1712. Tam auctor quam editor inimico in Primatum animo historiam Nicaenam proponunt.

114. **Ad. Rechenberg.** *de corrupto Ecclesiae ante Reformationem Statu.* Lips. 1712.

115. *Allarmgeschrei zur Warnung den Völkern, dass sie ausgehen aus Babylon, der Finsterniss, um einzugehen in die Ruhe Christi. Aus dem Französischen durch I. C. A.* 1712.

116. **I. Dan. Kiesling** *exercitatio historica de artibus Eppi Romani in stabilienda monarchia. Defendit* **Sam. Hugo.** Lips. 1713.

117. Idem, *exercitatio hist. de artibus Eppi Romani in conservanda monarchia.* Lips. 1713.

118. **Ziegra** *utrum Pontifex Romanus summam potestatem habeat convocandi concilium ecclesiasticum.* Viteb. 1713. Negat.

119. **Ioan. Henr. Kreuschner** *disputatio theologica de podolatria Papaea, sive osculo pedum Pont. Romani, quod ipse ex stricto iure divino et humano ab omnibus christianis et summis christiani orbis monarchis exigit.* Regiomonti. 1713.

120. *Dissertationes curiosae auctoris incogniti.* Londini. 1713. Inter dissertationes occurrit una de Ecclesia, signanter de Papa Romano, quem ut Antichristum in S. Scriptura praenunciatum describit.

121. **Melch. Macanaz** Hispanus, *de abusibus Aulae Romanae.* 1713. Scriptum hoc, Primatui iniquum, non erubuerant Ministri Hispanici a. 1841. occasione motuum anticatholicorum Eppis commendare: qui ad huiusmodi provocationes digna Praesule Catholico dederunt Ministris responsa. *Sion.* Augsburg. 1841. p. 670.

122. **Pagenstecher** *tractatus de Pallio.* Bremae. 1713. Continetur in ‚Sylloge dissertationum.'

123. **I. Chr. Baumgärtner** *diss. iuridica de Ecclesia matre.* Altorfi. 1713. Utitur occasione ad invectivas adversus Ecclesiam Romanam, matrem omnium, expromendas.

124. **Phil. Iac. Spener** *gerechter Eifer wider das antichristische Pabstthum.* Frankf. 1714.

125. **Iac. Christ. Iselin** Basileensis, *disputatio adversus infallibilitatem Ecclesiae Romanae. Defendit* **Christoph. Strom.** 1714.

126. **I. Frid. Mayer** *tractatus de osculo pedum Pontificis Romani.* Lips. 1714.

127. **Liebe** *Roma Babylon ex numis adversus Harduinum.* Lips. 1714. Altera editio sub hoc titulo: *Numi Ludovici XII. Galliae Regis, epigraphe: ‚Perdam Babylonis nomen, vel*

perdam Babylonem' insignes, illustrati et contra Harduinum defensi. Lips. 1717. De inscriptione hac iam superius egimus.

128. **Sam. Pufendorf** *historische und politische Betrachtung der geistlichen Monarchie des Stuhls zu Rom, mit Anmerkungen zum Gebrauch des Thomasianischen Auditorii.* Halle. 1714. Opus iam a. 1679. ab auctore vulgatum sub nomine ‚Basilii Hyperetae,' dein in ‚Introductionem ad historiam' translatum, et demum cum adnotationibus *Thomasii* editum.

129. **Iustus Henningus Boehmerus** famosus ICtus Protestantium, in suo *Iure Eccles. Protestantium.* Halis Sax. 1714. ss. cumprimis Lib. I. tit. 33. de Primatu Papae disserit, dein in diss. praeliminari Tomi IV: ‚de Romana Ecclesia matre indulgentissima.'

130. **Iac. Lenfant** *histoire du Concile de Constance, tiree principalement d' auteurs, qui ont assiste au Concile.* Amsterdam. 1714. In sensu Reformatorum concinnata historia.

CCLXXXII. **Prosper Lambertinus** *(Benedictus XIV.) de Servorum Dei beatificatione et Beatorum Canonisatione.* Bononiae. 1734. ss. Classicum opus, in quo potestas Summi Pontificis in hac materia plene evolvitur.

CCLXXXIII. **Erembertus** Capuc. Bavarus, *das Schifflein Petri, gefährlichst bestritten, glückseligst erhalten.* Eine Lobrede. München. 1734.

CCLXXXIV. **Casp. Callenberg** S. I. *apologia pro suprema Rom. Pontificis auctoritate, et pro immunitate ecclesiastica.* Paderbornae. 1734.

CCLXXXV. **Ant. Phil. Adami** *de Cathedra S. Petri oratio.* Romae. 1734.

CCLXXXVI. **Adalb. Golnitz** *triumphus evangelisantium pacem, seu Divi App. Principes, Ecclesiae militantis decus, Petrus et Paulus, apostolico spiritus et Verbi Dei gladio de hostibus Evangelii pacis victores gloriosi.* Pragae. 1734. Panegyricus in honorem SS. Petri et Pauli.

CCLXXXVII. **Fr. Phil. Franck** *de combinatione Primatus Petri cum Eppatu uno in Ecclesia.* Moguntiae. 1734.

CCLXXXVIII. *Dissertatio de privilegiis Rom. Pontificis.* Venet. 1734.

CCLXXXIX. **Vinc. Lud. Gotti** Card. *de eligenda inter dissentientes Christianos vera sententia liber adversus ‚Ioannem Clericum', Reformatae, ut aiunt, Religionis hominem.* Romae. 1734. Recusus Tyrnaviae. 1746. Auctor de Primatu fusius disserit, et *Ioannem Clericum* refutat, cuius libellus ‚de eligenda sententia' tractatui ‚Hugonis Grotii' de veritate Religionis Christianae a. 1709. adnexus, occasionem praebuit Gottiano operi.

CCXC. **Ignatius Schwarz** S. I. *Collegia Historica, seu quaestiones historicae ex Institutionibus historicis in ordine ad dilucidandas praecipuas quasque difficultates extractae atque accomoda methodo pro studio academico praesertim catholico propositae.* Ingolstadii. 1734. ss. Opus eximium, in quo plurimae quaestiones de Primatu enodantur, et super auctoribus contra eundem scribentibus crisis depromitur.

CCXCI. **Ioannes d' Andrea** *de apostolica S. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1735.

CCXCII. **Bernardus Atrebatensis** Capuc. *l' Ordre de l' Eglise, ou la Primaute et la Subordination ecclesiastique selon S. Thomas.* Paris. 1735.

CCXCIII. **Car. Andrian** S. I. *epitome historica Pontificum, Caesarum, et Regum Europae omnium.* Graecii. 1735.

CCXCIV. Idem, *dissertationes theol. hist. criticae de Conciliis Occumenicis.* Graecii. 1736.

CCXCV. **Nic. Giugni** *de Romana D. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1736.

CCXCVI. **Anonymus S. I.** *dialogus triplex ex theologia polemica: 1. amicus sermo Honorium Lutheranum inter et Eusebium Catholicum; 2. Vulpinum Calvinistam inter et Veri-*

dicum Catholicum; 3. Christianum inter et Iudaeum de negotio salutis. Cassoviae. 1736.

CCXCVII. **I. G. Soc. I.** *Lapis lydius controversiarum fidei, ostendens in 300 punctis, Romano-Catholicos ad amussim S. Scripturam sequi, Acatholicos vero eidem e diametro repugnare.* Tyrnaviae. 1736. De Primatu egregie disserit.

CCXCVIII. **Ioan. Hrobcicki** *divi Petrus et Paulus, firmamenti Ecclesiae duo luminaria magna a luce et umbra serenissima, sermone panegyrico celebrati.* Pragae. 1736.

CCXCIX. **Petr. Annatus** *de pontificiis Ecclesiae definitionibus et de praecipuis in Ecclesia subortis haeresibus.* Viennae. 1736.

CCC. **Dalbert** *infallibilis Ecclesiae R. C. auctoritas in legitimis Conciliis definientibus controversias fidei et morum. Defendit* **Kuntz.** Pragae. 1736.

CCCI. **Henr. Benzelius** *vindiciae C. Nicaeni. Oec. I. novatoribus, praecipue Gothofredo Arnoldo, oppositae.* 1736. Editae in diss. acad. Francof. 1745.

CCCII. **Honoré** *observations sur l' histoire ecclesiastique de l' Abbe ‚Fleury.'* Avignon. 1736. Historia Ecclesiastica Cl. Fleuryi, ut suo loco indicavimus, frequens est in deprimenda Rom. Pontificis auctoritate. Huc tendunt reflexiones Honorii. Quibus oppositum fuit sequens opus :

CCCIII. **Osmont du Sellier** *Iustification des discours et de l' histoire eccles. de l' abbe ‚Fleury'.* Nancy. 1737.

CCCIV. **Matth. Basile** AEppus Panormitanus, *de vindiciis D. Petri dissertationes critico-dogmaticae adversus Magdeburgenses aliosque heterodoxos. Opus posthumum.* Panormi. 1736.

CCCV. **Phil. Canali** *de Romana D. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1737.

CCCVI. **Lugo Caiet. Benitez** *concursus Dei praevius, seu disputationes theologicae de infallibilitate Summi Pontificis in definiendis rebus fidei.* V. Vol. Romae. 1737.

CCCVII. **Agnello Onorato** *dissertazione sul rito della Canonizatione de' Santi.* Lucca. 1737.

CCCVIII. **Ioan. Milan** S. I. *verum Dei Verbum soli Romanae Catholicae Ecclesiae notum, adiecta apodictica refutatione dissertationis ‚Ioannis Guil. Iani' Wittenbergensis Pro-*

fessoris. Vratisl. 1737. Nova editio libri a. 1727. primum vulgati.

CCCIX. *Handgreiflicher Beweis aus den Schriften Lutheri, dass ein Lutheraner den wahren katholischen römischen Glauben annehmen und profitiren könne, ohne einen Nagel breit von der reinen Lehre des Herrn Lutheri abzuweichen.* 1737. Libellus cuiusdam Iesuitae, cui similem iam paulo superius citavimus.

CCCX. **Gaudentius** Eppus Brixiensis, *sermo de Sanctis Petro et Paulo.* Brixiae. 1738.

423. **Walch** *Cypriani ac Firmiliani Epistolarum adversus Stephani I Papae decretum de haereticorum baptismo vindiciae. Defendit* **Preu.** Ienae. 1738. Opusculum dirigitur adversus *Missorium.*

CCCXI. **Kazenberger** O. S. Fr. *Columna et firmamentum veritatis, seu fides, doctrina, et Ecclesia Christiana Catholica Romana contra suos adversarios in VII disputationibus proposita, propugnata, et defensa.* Aug. Vind. 1738. Disputatio V est de Primatu.

CCCXII. **Car. Ios. Montfort** *de Romana D. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1738.

CCCXIII. **Car. Merlin** S. I. tum in Ephemeridibus literariis ‚Memoires de Trevoux' plures vulgavit pro defensione *Honorii I* Papae articulos, tum distincto opusculo idem pertractavit argumentum: *Examen exact et detaille du fait d' Honorius.* 1738.

CCCXIV. **Dominicus Georgius** *et* **Ioan. Dominicus Mansi** *notae in Pagium et Raynaldum, item Annales Eccles. Baronii* Luccae. 1738. ss. Editio splendida Annalium Baronii, cui praemittitur: *Apparatus, in quo praeter ea, quae Baronius et Pagius Annalibus praemiserunt, alia plura continentur pertinentia ad Hist. Eccl.*

CCCXV. **Bened. Bacchinius** Abbas Cassinensis, *epistolae polemicae adversus ‚Iac. Piceninum' Ecclesiasten Sogliensem. Opus posthumum.* Altorfii. 1738. Cum epistolae hae Romae non probarentur ex integro, elucubravit auctor: *Ad Censuras, ob quas Romae non fuerunt approbatae literae V contra Piceninum Calvinistam scriptae, observationes.*

CCCXVI. **Fr. Ant. de Simeonibus** *de Rom. Pontificis iudiciaria potestate.* Romae. 1739. Nova editio.

CCCXVII. **Pilatus** *Origines Iuris Pontificii.* Tridenti. 1739.

CCCXVIII. *Discours dogmatique sur la Canonisation des Saints.* Paris. 1739. Auctor defendit Curiam Romanam adversus obiectiones a multitudine expensarum petitas, quas Canonisationis ritus deposcit.

CCCXIX. **Ant. Sandini** *vitae Pontificum Romanorum ex antiquis Monumentis collectae.* Patavii. 1739.

CCCXX. **Math. Fabri** S. I. *opus Concionum tripartitum.* Colon. 1739. Multis Concionibus illustrat Primatum, prout occasione primae editionis a. 1642. observavimus.

CCCXXI. **Amideus M. Markel** O. Serv. BMV. *Tuba magna Ecclesiae Rom. Catholicae, antiquissimum ad heterodoxos clangens sonum.* Aug. Vind. 1739.

---

c) Scripta iubilaria a. 1730.

Prout annus 1717. velut sic dictae Reformationis Lutheranae bissecularis, ita et annus 1730. ceu procusae *Augustanae Confessionis* anniversarius, plura produxit ex parte Protestantium scripta, contra Primatum potissimum directa.

424. **Ioan. Henr. a Seelen** *de Augustana Confessione nomine ‚Pupillae' e Prov. 7, 2. eleganter insignita commentatio iubilea.* Lubecae. 1730.

425. Idem, *de pseudo-ICtorum Dillingensium, sic dictae ‚Pacis Compositionis' scriptorum, irritis conatibus adversus Aug. Conf. eiusque auctores ac socios.* Lubecae. 1730. Utrumque scriptum pertinet ad historiam controversiae cum celebri Iesuita *Laur. Forero* priori seculo agitatae, ut suo loco retulimus.

426. **Christ. Reinharti** *oratiuncula de pseudoiubileis pontificiis habita a. 1630. recusa* Lips. 1730.

427. **Ioan. Henr. Stuss** *lucis evangelicae a primo ortu ad annum usque 1530 divinitus propagatae brevis historia.* Gothae. 1730.

428. Idem, *lucis evangelicae etiam per Scholarum Moderatores propagatae brevis historia.* Gothae. 1730.

429. **And. Mollerus** *Confessio Augustana vere augusta,*

sive oratio ecclesiastico-historica de effectu primam Aug. Conf. promulgationem consequente, habita a. 1630. recusa Lips. 1730.

430. **Erhartus Lauterbach** *miraculum Conf. Augustanae. 1630. recusum* Lips. 1730.

431. **Ioan. Henr. a Seelen** *oratio secularis de veritate, quam continet Aug. Confessio, per elapsum seculum pressa quidem sed non oppressa.* Lubecae. 1730.

432. **Erhardus Reuschius** *oratio de prudentia, quae in Aug. Confessionis opere est.* Helmstadii. 1730.

433. **Christoph. Aug. Heumann** *disputatio de Conf. Aug. lenitate, cum appendice Lutheri et Melanchtonis epistolas Gottingam missas exhibente.* 1730. et 1743.

434. **Christ. Sig. Liebe** *Lebensbeschreibungen der vornehmsten Theologorum, sowohl Evangelischer als Päbstlicher Seite, welche a. 1530 den Reichstag zu Augsburg besucht* etc. Gotha. 1730.

435. **Ioan. David Koeler** *dissertatio de subscriptione Aug. Confessionis.* Altorfii. 1730.

436. **Car. Günther Ludovicus** *auctoritas Aug. Confessionis demonstrata.* Lips. 1730.

437. **Ioan. Henr. a Seelen** *de anno iubileo Lutherano, an recte dicatur coronatus? erotema propositum a. 1730.*

438. **I. Erh. Kappens** *ausführliche Beschreibung des ersten grossen Evang. Augsb. Conf. Jubelfests a. 1630.* Leipzig. 1730.

439. **Erh. Reuschius** *historica narratio de sacris secularibus, quae ob capita purioris doctrinae Augustae Vind. a. 1530 reparata, solenni festoque ritu iterum celebrat Academia Iulia.* Helmstadii. 1730.

440. **Georg. Wallin** *epistola ad I. Erh. Kappium de Iubileo Aug. Conf. a. 1730. Upsaliae celebrato.*

441. **Georg. Frid. Niehenckius** *oratio secularis de pio et iusto religionis zelo Svecorum, in memoriam Aug. Conf. a. 1730 habita, cuius et concio iubilea accessit.* Hamburgi. 1731.

442. **Christlieb Rezendorf** *dreifaches Kleeblatt: 1. kurzgefasste Historie der Reformation Lutheri. 2. Die wahre ungeänderte Augsb. Confession nebst Zeugnissen der heil. Schrift. 3. Widerlegung der vornehmsten Irrthümer im Pabst-*

thum. Altorf. 1730. Libellus a Protestantibus multum propagatus, et saepius editus.

443. *Die an dem zweiten fröhlichen Iubelfest in Gott sich ergötzende Evangelische Seele.* Ulm. 1730.

444. *Historisches Iubelgespräch in dem Reich der Todten zwischen D. M. Luther und J. Tetzel.* Hamburg. 1730.

Ad multiplicia haec scripta iubilaria responsi instar vulgatum fuit unum atque alterum ex parte Catholicorum opusculum : sed cumprimis quoad libellum nomine ‚Trifolii, Kleeblatt' insignitum, paulo superius indicatum aliquot annis perduravit pugna literaria :

CCCXXII. **I. Nic. Weislinger** *katholisches Echo auf das Lutherische Jubelgeschrey.* 1730.

CCCXXIII. **Vitus Pichler** S. I. *Augsburgische Confession der Lutheraner auf die theologische Wagschale gelegt, und zu gering erfunden, vor 21 Jahren lateinisch zur öffentlichen Disputation in dem kath. Lyceo zu Augsburg hervorgegeben, zum öftern nachgedruckt, anjetzo auf das 1730, als das andere Jubeljahr, in die teutsche Sprache übersetzt.* Augsburg. 1730.

CCCXXIV. **Thomas Binner** S. I. *Lutherisches Jubeljahr, d. i. jammer- und leidvolles Jubelfest der Augsb. Conf. vorgestellt in 5 Gesprächen, worin etliche Herren Lutheraner ihre aus gegenwärtigem lutherischen Jubeljahr entstandene Furcht und Zweifel ihrem Herrn Pastor vortragen.* Augsburg und Regensburg. 1730.

CCCXXV. Idem, *Echo, oder Nachklang des Lutherischen Jubeljahrs.* Augsburg. 1730.

CCCXXVI. Idem, *Postscriptum, oder Ausguss des Lutherischen Jubelfestes, d. i. kurzer Bericht der reinen evang. luth. Lehre, enthalten in dem Altorfischen sogenannten dreifachen Kleeblatt, in etlichen Gesprächen hervorgegeben.* Augsburg. 1731. Auctor existimavit, libellum, quem hic refutat, Theologis Academiae Altorfiensis adscribendum esse, aut bibliopolae eiatis filio ‚Zobelio' ministro; sed reipsa auctor Trifolii fuit ipse Bibliopola Altorfinus, *Zobelius,* plurium opusculorum asceticorum editor. Post *Binneri* scriptum, ex parte Altorfiensium prodivit :

445. *Auszug des dreifachen Kleeblatts, sonderlich den vertriebenen Salzburgern zu Gute.* Altorf. 1732. Item :

446. *Auszug des dreifachen Kleeblatts, mit beigefügten nöthigen Regeln von Auferziehung der Kinder.* 1732. *Binnerus* denuo in lucem edidit :

CCCXXVII. **Philaletius** *(Binner) anderes Postscriptum, oder wohlmeinende Erinnerung an ‚Chr. Rezendorf,' d. i. an beide ‚Zobel' in Altorf wegen eines lutherischen Büchleins, so der junge Magister verfasset, der alte verlegt.* Augsburg. 1733.

CCCXXVIII. Idem, *posteriora peiora prioribus : je länger, je schlechter! d. i. Ausguss der lutherischen Gall modice et medice gedämmt.* Amberg. 1733. Ad haec responsum fuit ex parte adversa :

447. *Vertheidigung des dreifachen Kleeblatts, oder kurze Abfertigung des von dem Jesuiten ‚Th. Binner' dawider geschriebenen Postscripti.* Altorf. 1736.

448. *Ungrund des römisch-kath. Glaubens, oder kurze Antwort auf das andere Postscriptum des Jesuiten zu Amberg, ‚Th. Binner.'* 1736.

449. *Kurze Antwort auf die je längere je schlechtere Vertheidigung des ungegründeten römisch-kathol. Glaubens.* 1736. Ad cuiusmodi scripta *Binnerus* loco responsi opuscula sua hactenus edita denuo vulgari fecit : *Francofurti et Lipsiae. 1736. cum appendice.* Conclusit controversiam sequens opus :

CCCXXIX. **Florenz Dietrich Serbs** *fester Grund der evang. luth. Lehre in einem Gespräch über das Kleeblatt und deswegen edirte Schriften.* 1739.

Decennium V. a 1740—1749.

a) Contra Primatum.

450. **Sig. Iac. Baumgarten** *de infallibilitate Pontificum Romanorum αυτοσαταχριτω. Defendit* **Schüz.** Halberstadii. 1740.

451. **Halbauer** *nonnulla de Papatu.* Ienae. 1740.

452. **Ioan. Henr. a Seelen** *stromata Lutherana, sive, variorum scriptorum ad sacrorum emendationem, Augustanam Confessionem, versionem Bibliorum, articulos Smalcaldicos,*

ac Jubilea idcirco celebrata, nec non varia alia spectantium syntagma. Lubecae. 1740.

453. **Cotta** *diss. pro authentia epistolarum Cypriani et Firmiliani in controversia de baptismo haereticorum.* Tubingae. 1740.

454. **Ioan. Phil. Baratterius** *disquisitio chronologica de successione antiquissima Epporum Romanorum inde a Petro usque ad Victorem.* Ultraiecti. 1740. Iter Romanum Petri non negat, sed eum uno tantum anno illic fuisse asserit: ceterum a Catalogo Romano quoad successionem Pontificum abludit.

455. **Nicol. Tornesius** *Homilia Clementis XI P. M. habita a. 1707, et in eam variae lectiones, coniecturae, et scholia.* ‚**Tempe Helvetica** Tiguri. 1740. V. 192.' Auctor occasionem sumit, contra Papatum declamandi, ipsique Homiliae sensus alienos appingendi.

456. **Kohlreiff** *Ende des Römischen Babels.* Ratzeburg. 1740.

457. **Georg. Gothofr. Keuffel** *historia Pontificatus Romani ad illustrandam Ecclesiae disciplinam. Accedit fragmentum ‚Franc. Guicciardini' de origine potestatis secularis in Romana Ecclesia.* Helmstadii. 1741.

458. **Middleton** *a Letter from Rome, schewing an exact Conformity between Popery and Paganism.* London. 1741. Est nova editio operis, iam memorati.

459. **Malebranche** *Histoire chronologique des Papes, Empereurs* etc. Bruxelles. 1741.

460. **Ferromontanus** *(Godefr. Buchner) der endlich in der Schrift gefundene päbstliche Stuhl, dadurch die römisch-kath. Kirche, nachdem sie so lange auf Petro beweglich gestanden, nunmehro auf Johannem unbeweglich gesetzt wird. Dem ist beigefügt der nach dem Fegfeuer reisende Passagier, nebst einem kurzen Anhange von der Babylonischen Hure.* Amsterdam. (Iena.) 1741. Scriptum hoc iam a. 1677. prodivit, sed nunc auctius editum cum longiore praefatione et additamentis.

461. **Iac. Guil. Feverlinus** *diss. hist. critica de Confessione Augustana, eodem, quo exhibita fuit anno, 1530, septies impressa.* Gottingae. 1741.

462. **Slevogt** *de Hierarchia Romana.* Francof. et Lips. 1742.

463. **Ioan. Rud. Kiesling** operi: *Exercitationes theol. historicae — de cultu Sanctorum.* Lips. 1742. praemisit longam Praefationem contra Primatum S. Sedis.

464. *Gespräch zwischen einem flüchtigen Pater aus Rom und einem Clerico, dass die babylonische Hure müsse ausgerottet werden.* Frankf. 1742.

465. **Sherlock** *Verwahrungsmittel wider das Pabstthum.* Halle. 1742. Et inerrantiam Papae impugnat, et Papatum intentioni Christi ac Evangelio contrarium esse asserit.

466. **Greibziger** *de Primatu Petri ficto.* Vittebergae. 1742. Proprie **Chr. Sig. Georgius** est auctor, prior autem defendit thesim.

467. *Epistola, quam misit Diabolus ad Pontificem et Clerum Romanum, edita ex Mss. Bibliothecae Bernensis.* ‚**Tempe Helvetica.** Tiguri. 1743. VI. 638.' Epistola sub initium Reformationis iam typis procusa, dicto anno reimpressa fuit, plena conviciis atque calumniis in Papam.

468. **E. Sal. Cyprian** *tabularium Ecclesiae Romanae.* Francof. et Lips. 1743. Contra Bullas Papae, cumprimis illam ‚Coenae Domini.'

469. *L' Avocat du diable, ou memoires hist. et critiques sur la vie et sur la legende du Pape Gregor VII.* 3. vol. 1743.

470. **Titteln** *stattlicher erwiesener Ungrund des Pabstes angemasster Gewalt und Monarchie.* Leipzig. 1743. Est opus *Barrowii* (1723.) sub novo titulo editum.

471. **Lud. Mart. Kahle** *elementa Iuris Canonico-Pontificio-Ecclesiastici tum veteris tum hodierni ex genuinis principiis eruit, et apta connexaque ratione adornavit.* Halae. 1743. Iuxta leges rationalis methodi pertractat ius Can. et tractatum de Pontifice.

472. **Middleton** *lettre ecrite de Rome* etc. Amsterdam. 1744. opus iam in liter. a. 1741. memoratum, ex anglico in gallicum conversum.

473. **Petr. Ianssenius** Professor Duisburgensis, *oratio inauguralis de praedicata a Petro petra Ecclesiae, victoriam a morte secundum confessa certissime reportatura.* Vesaliae. 1744. Explicat locum Matth. XVI. non de Primatu Petri, sed de Christo ipso.

474. *Unumstösslicher Beweis, das Christus Jesus keinen unter seinen Jüngern zu einem Pabst gemacht, vielmehr aber alles Pabstthum und eine monarchische Herrschaft in der Kirche ganz und gar verworfen habe.* Leipzig. 1744. Dissertatio continetur in scripto periodico: ‚Alte und neue theol. Sachen' p. 612. Probare satagit assertum suum e reprehensione discipulorum Domini ob contentionem super eo, quis eorum videretur esse maior.

475. **Christoph. Aug. Heumann** *dissertationum sylloge.* Gottingae. 1745. Tertia diss. est *de electione Papae,* ubi locum celebrem *Irenaei* de principalitate Ecclesiae Romanae in alienum sensum detorquet.

476. **I. Rud. Kiesling** *exercitatio historica de artibus Eppi Romani in conservanda monarchia.* Lips. 1746. Nova editio.

477. *Popery alvvais the same, exemplified in an authentick Account of the persecution.* London. 1746. Fingit auctor persecutiones ex parte Catholicorum adversus Reformatos Galliae suscitatas, et inde sumit occasionem debacchandi contra Papatum.

478. **Neller** *principia Iuris publici ecclesiastici Catholicorum, ad statum Germaniae accomodata, in usum tyronum.* Francof. et Lips. 1746. Auctor, licet Catholicus, proponit principia ad diminuendam partim, partim destruendam auctoritatem Pontificiam comparata.

479, *Sammlung von alten und neuen theologischen Sachen.* Leipzig. 1746. Pag. 402. ss. fusa proponitur dissertatio contra Primatum.

480. **Ioan. Georg. Altmannus** *exercitatio philologica de πύλαις ἅδου ad Matth. XVI. 18.* inserta ‚Museo Helvetico. Tiguri. 1746. s. Part. IV.' Celebrem pro Primatu locum per interpretationem protestanticam enervat.

481. **Chr. Kortholt** *disp. theologica de Simone Petro, primo Apostolorum et ultimo. Defendit* **Schramm.** Gottingae. 1748. Primum tuetur inter Apostolos Petrum ob vocationem ad Apostolatum, zelum, ac pietatem; ultimum vero ob negationem Christi. Primatum iurisdictionis abiudicat Petro eiusque successoribus.

482. **Archibaldus Bowerus,** apostata, *Historia Paparum a prima Sedis Romanae origine usque ad praesens tempus.* Lon-

dini. 1748. sermone anglico. Vehemens in Pontifices odium ubique se prodit, ipsum iter Romanum Petri negat. Dum adhuc in Ordine Iesuitarum fuisset Romae, inchoavit historiam Paparum scribere, eorumque Suprematum propugnare: sed ad Anglicanos defecit, ibique priori intentioni prorsus oppositum suscepit laborem.

483. **Buderus** *diatribe de iuramentis Principum Ecclesiasticorum S. R. Imperii.* Ienae. 1748. Impugnat iuramentum, quod Eppi Romano Pontifici nuncupant. Refutavit illum *Sartori* in suo Iure Eccles. ‚Staats-Recht der geistlichen Staaten. I. 2. cap. 13.'

484. **Edmund Gibson** *preservative against Popery.* 1748. Est quasi promtuarium commentationum a variis scriptoribus protestanticis elucubratarum contra Ecclesiam Cath. et Primatum.

485. **Ioh. Andr. Cramer** *hist. kritische Abhandlung von dem Range und Ansehen der Römischen Bischöfe bei den allg. Versammlungen der ersten Kirche.* Leipz. 1748.

486. **Ernst Aug. Bertling** *Unterricht vom päbstlichen Jubeljahr und Ablass zu mehrerer Einsicht und Beurtheilung des von Benedict XIV auf das I. 1750 ausgeschriebenen Jubeljahrs.* Helmstädt. 1749. Contra Iubileum universale pro anno 1750. promulgatum.

487. **Hahne** *historisch-theologische Abhandlung von den evangelisch-lutherischen und römisch-katholischen Jubelfesten, ans Licht gestellt von einem Liebhaber der Wahrheit.* 1749.

488. **Clodius** *programma de Christi Natalitio Iubilaeo vero, et Romanensium spurio.* Zwickau. 1749.

489. *Nachricht von dem päbstlichen Jubeljahr zu Rom, welcher beigefügt ist die Ankündigungsbulle des itzigen Pabstes mit kurzen Anmerkungen. Schifbeck gedruckt mit unpäbstlicher Erlaubniss.* 1749.

---

b) Pro Primatu.

CCCXXX. *Beschreibung des Römischen Conclave, und aller Umstände, welche bei dem Tode eines Papstes bis nach der geschehenen neuen Wahl vorfallen.* 1740.

CCCXXXI. *Auctoritas Pontificia, notissimo Cypriani facto a quibusdam neotericis acriter impugnata, sed a sapientissimis*

Galliae theologis solide vindicata. Dissertatio historico-dogmatica. Avenione. 1740. Egregia disquisitio! quae et S. Stephani Papae vitam ac auctoritatem vindicat, et inerrantiam Rom. Pontificis ex ipsis Gallorum testimoniis comprobat, et Cyprianum in erronea fuisse opinione circa quaestionem baptismi haereticorum demonstrat.

CCCXXXII. **Thadd. Fr. Schwaiger** O. Praem. *selectarum quaestionum theologico-polemicarum iuris et facti rotulus: de Conciliis Oecumenicis. Defendit* **Ign. Sixta.** Pragae. 1740. Auctoritatem Primatus bene evolvit, ostendendo: ius convocandi, praesidendi, et confirmandi Concilia, infallibilitatem, Honorii integritatem, solius Petri (non et Pauli) primatum etc.

CCCXXXIII. **Ioan. Poszakowski** S. I. *veritas cum aquila et sagitta haereticos errores superans: i. e. catholica doctrina de Ecclesia Christi cum doctrina Protestantium Conf. Aug. in libris eorum symbolicis contenta comparata, ac tribus tractatibus proposita: 1. de ipsa Ecclesia a Christo Domino instituta. 2. de Capite visibili Ecclesiae Christi. 3. de haeresibus, quae separant sese ab Ecclesia Christi.* Vilnae. 1740.

CCCXXXIV. **Ioan. Car. Boschi** *de Romana D. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1740.

CCCXXXV. **Seraphinus Camanda** *de pertinentibus ad electionem Papae, cum novissimis additionibus.* Reate. 1740.

CCCXXXVI. **Quirinus Cardinalis** *Pauli II Veneti vita ex Codice Angelicae Bibliothecae desumta, praemissis ipsius Pontificis vindiciis adversus Platinam, aliosque obtrectatores.* Romae. 1740.

CCCXXXVII. **M. Tafuri** *dissertatio de auctoritate Summi Pontificis.* Bonon. 1740.

CCCXXXVIII. **Mart. Szentiványi** S. I. *convictio erroris Lutherani Praedicantis Wiarts, ante P. Basilidis Capucini.* Tyrnav. 1740. Nova editio libri a. 1704. vulgati adversus concionem apostatae huius Primatui oppositam.

CCCXXXIX. **Nic. Weislinger** *höchst-nothwendige Schutzschrift des scharf angeklagten, doch aber ganz unschuldig befundenen Lutherthums, wider den Dr. ‚Dan. Maischl'.* Strassburg. 1740. s. Ironicus titulus vasti operis, quo celebris hic controversista tum nominatum in titulo, tum alios Protestanticos doctores, auctoritatem Papalem oppugnantes penitus profligavit.

In eodem opere Auctor apocrypham quoque formulam professionis fidei pro Hungaria, per Protestantes confictam, solide confutat.

CCCXL. **Petr. Fr. Fogginius** *exercitationes historico-criticae de Romano D. Petri itinere et Eppatu, eiusque imaginibus antiquissimis. Ad Benedictum XIV. P. M.* Florentiae. 1741. Fusa ac docta quaestionis huius pertractatio, atque cunctarum obiectionum protestanticarum eversio. Scripsit contra Fogginium :

490. **Leo** *Romanum D. Petri iter et Eppatus a celebri Italo Fogginio nuper vindicata.* Lipsiae. 1743.

CCCXLI. **Fogginius** *diss. de Conc. Nicaeni praeside.* 1741. Ostendit, Osium Cordubensem cum Vito et Vincentio Presbyteris Silvestri Papae vices tenuisse.

CCCXLII. **Ioan. Henr. Sbaralea** O. S. Fr. *germana S. Cypriani el Afrorum, nec non Firmiliani et Orientalium opinio de haereticorum baptismate, ad rectam criticarum vindicis Cypriani disputationum intelligentiam exposita.* Bonon. 1741. Opus suum dirigit adversus ‚Walchium' et ‚Preuium', qui *Missorii* librum impugnabant : et, licet epistolarum Cypriani ac Firmiliani existentiam non neget, argumenta tamen contra potestatem Papae ex iis adducta subruit, dictosque duumviros protestanticos erudite castigat.

CCCXLIII. **Emm. Filinger** Panormitanus, *de Romana D. Petri cathedra oratio.* Romae. 1741.

CCCXLIV. **Ioan. Harduini** S. I. *commentarius in N. T. Accedit eiusdem auctoris lucubratio, in cuius prima parte ostenditur, Cepham a Paulo reprehensum Petrum non esse* etc. Hagae. 1741. Nova editio.

CCCXLV. **Petr. Morettus** *lucubratio de Presbyterio.* Romae. 1741. Ex D. Petr. Sede et sepultura Romana Ecclesiae huius praerogativas et excellentiam pulchre evolvit.

CCCXLVI. **Petri Pázmány** *Epistolae quinque cum syllogismo demonstrativo: Lutheri et Calvini fidem esse falsam.* Cassoviae. 1741. Nova editio ex a. 1613. et 1637. quae a. 1760. Tyrnaviae iterata fuit.

CCCXLVII. **Ioan. Zahradka** S. I. *Huss damnatus ad trutinam polemicam revocatus, seu triceni Ioannis Huss, a Conc. Constantiensi et Martino V Summo Pontifice damnati,*

articuli per X controversias methodo scholastica expensi et refutati. Defendit **Seb. Lyer.** Pragae. 1741.

CCCXLVIII. *Claves Regni coelorum, seu suprema in vera Dei Ecclesia potestas a Christo Domino suo in terris Vicario App. Principi S. Petro, eiusque in Romana Sede successoribus data: in Principali Monasterio S. Galli O. S. B. eidem Sanctae et Apost. Sedi immediate subiecto asserta et defensa.* S. Galli. 1741.

CCCXLIX. **Corgne** Can. Svession. iam laudatus, *dissertation critique et theologique sur le Monothelisme.* Paris. 1741. Pro defensione *Honorii* PP.

CCCL. **Iliac. Serry** O. Praed. *Praelectiones Theologiae dogmaticae, polemicae, scholasticae.* Venet. 1742. Opus posthumum auctoris a. 1738. mortui, in quo Primatus, praecipuaque eius praerogativa, infallibilitas, evolvitur: cuius intuitu remittimus lectores ad controversiam desuper agitatam priore decennio.

CCCLI. **Robertus a S. Casparo** Carmelita, *tractatus de Ecclesiae, Sedisque Apostolicae in dogmaticis suis decretis auctoritate.* Patavii. 1742.

CCCLII. **Ant. Sandini** *disputationes historicae XX ad vitas Rom. Pontificum ab eodem descriptas.* Ferrariae. 1742.

CCCLIII. Idem, *diss. de S. Victore I. minitante anathema Asianis more Iudaeorum Pascha celebrantibus.* Ferrariae. 1742. Continetur etiam inter praevias disputationes.

CCCLIV. **Ferd. Car. Ratta** *de Romana D. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1742.

CCCLV. **Ioan. Chrys. a S. Iosepho** Cler. Reg. *dissersationes de canone SS. Librorum constituto a S. Patribus in magno Nicaeno Concilio; de numero Canonum, quos S. Patres in magna Synodo Nicaena constituerunt; de S. Athanasii appellatione ad S. Iulium Papam, et perfugio ad Constantinum Imp.* Romae. 1742. s. Tertia dissertatione refellit Natalem Alexandrum, qui appellationem Athanasii ad Rom. Pont. controvertebat.

CCCLVI. **Chanteresme** *dell' Unita della Chiesa, in confutazione del nouvo sistema del ‚Iurieu'. Trad. da Al. Berti.* Venezia. 1742.

CCCLVII. **Godefr. Provin** S. I. *fidelis Romanae Eccle-*

siae Moravia — orbi proposita. Defendit **Fr. Zialkowski.** Olomucii. 1742.

CCCLVIII. **Anonymus S. I.** *ad tritissimam in fidei controversiis interrogationem: Ubi scriptum est? Catholicorum vera, Acatholicorum falsa responsio, a quodam S. I. theologo collecta.* Passavii. 1742. Cuncta controversa dogmata percurrit, inter ea et Primatum. Opusculi huius primus auctor erat *Carolus Kreitzen* S. I. anno 1660. mortuus, plurium scriptorum controversorum editor: qui super quaestione ‚ubi scriptum est?' fusiorem tractatum reliquit, sed ei immortuus est.

CCCLIX. **Christiani Lupi** O. S. Aug. *summum Romanae Apost. Sedis privilegium quoad evocationes ac appellationes Germanicas, Anglicas, Belgicas. Opus nunc primum e tenebris erutum.* Bonon. 1742. Auctore celebri, cuius opera plura pro auctoritate S. Sedis Ap. Sec. 17. citavimus, obeunte, praesens liber per *Thomam Philippinum* eiusdem Ordinis professorem in lucem editum est.

CCCLX. **Andr. Vinc. Buti** *de Romana D. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1743.

CCCLXI. **Bernardinus Honorati** *de Romana S. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1744.

CCCLXII. **Car. Kreitzen** S. I. *petra inexpugnabilis: quod sola Romana Ecclesia sit una, sancta, catholica, et apostolica.* Viennae. 1744. Editio nova libri iam a. 1653. typis procusi.

CCCLXIII. **Ios. Paschalis Cyrillus** *Institutiones Canónicae.* Neapoli. 1745. Iura Primatus egregie explicat, et contra obiectiones vindicat.

CCCLXIV. **Phil. Loserth** S. I. *de infallibilitate Papae, et potestate eiusdem concedendi indulgentias.* Olomucii. 1745.

CCCLXV. **Mart. Szentiványi** S. I. *magnum chaos inter Confessionem Augustanam et Confessionem Augustinianam.* Tyrnav. 1745. Editio nova. Prima de a. 1704.

CCCLXVI. **Petr. Zanebelli** *de Romana S. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1745.

CCCLXVII. *Essais d' eclaircissemens ou tous les points de controverse sont decides par un seul principe, qui est celui de l' Infallibilite de l' Eglise Romaine.* Avignon. 1745.

CCCLXVIII. **Ioan. Rajcsáni** S. I. *commenta adversus*

sanctam Rom. Cath. Ecclesiam pridem ab aliis detecta, denuo exposita et refutata. Cassoviae. 1745. Liber posthumus.

CCCLXIX. **Angelus Rocca** *de SS. App. Petr. et Pauli praelatione, sive imaginibus, utra scilicet inter eas collocandas praeferenda sit? commentarius.* Romae. 1745.

CCCLXX. Idem, *de Sanctorum canonisatione commentarius.* Romae. 1745. Utrumque Auctoris opus insertum est ‚Thesauro antiquitatum sacrarum. T. I.'

CCCLXXI. **Benedicti XIV** P. M. *epistola scripta Iosepho Eppo Augustano.* Romae. 1745. Epistola haec admodum memorabilis, primum de canonisatione Crescentiae Monialis Kaufburensis, tum de imaginibus SS. Trinitatis, uberius ac summa cum eruditione, doctissimo Papae progria, se diffundit. Quoad primum proponit Pontifex normam S. Sedis in canonisatione SS. observandam, et causam, ob quam ad dictae personae, etsi in fama integerrimae ac sanctae vitae obeuntis, canonisationem procedere haud possit. Quoad alterum de picturis disserit, in quibus imagines SS. Trinitatis exhiberi solent : et declarat, impium ac sacrilegum fore errorem, si quis putaret, Deum, sicuti in se est, coloribus exprimi posse; posse tamen ex communi Theologorum sententia sub ea forma depingi, qua se ipsum hominibus conspiciendum praebuit. De epistola hac Pontificia prodiere aliquot scripta, quae hic mox subiicimus :

CCCLXXII. *Benedicti XIV. Epistola ad Iosephum Eppum Augustanum ‚Landgravium Hassiae, super canonisatione Crescentiae Monialis Kaufburensis et imaginibus SS. Trinitatis, propter praestantiam seorsim impressa, addita versione germanica.* Colon. 1747.

491. **Christoph. Ern. a Windheim** *observationes theologico-historicae ad Benedicti XIV. P. M. nuperam ad Eppum Augustanum epistolam; quibus cum de aliis rebus, tum de Sanctis Ecclesiae Romanae rituque canonisandi disseritur.* Helmstadii. 1747. Multas format exceptiones adversus epistolam Pontificis, eo tendentes, ut et canonisationem in genere, et picturas sive imagines in odium adducat. Refutavit auctorem hunc :

CCCLXXIII. **Lud. Ant. Muratori** Bibliothecae Mutinensis Praefectus, *de naevis in Religionem incurrentibus, sive Apologia epistolae a SS. D. N. Benedicto XIV P. M. ad Eppum Augustanum scriptae.* Lucae et Aug. Vindel. 1749.

CCCLXXIV. **Sinsart** O. S. B. *La Verite de la Religion Catholique, demontree contre les Protestants, et mise a la portee de la Reponse de ‚M. Pfaff' a la seconde lettre du ‚Scheffmacher'* etc. Strassbourg. 1746. Opera ad controversiam hanc spectantia suis iam locis indicavimus.

CCCLXXV. **Petr. Thomas Cacciari** Carmelita, *Exercitationes in universa opera S. Leonis M.* 1746. Potissimum *Quesnellum* corrigit, qui in sua editione operum Leonis quam saepissime a veritate catholica deflexerat.

CCCLXXVI. **Augustini Alveldiani** O. S. Fr. *super Apostolica Sede.* Lipsiae. 1746. Opusculum ex Sec. XVI. contra Lutherum, denuo recusum.

CCCLXXVII. *Anonymi quaestio: an Electores AEppi, Moguntinus aut Coloniensis, sacro duntaxat Pallio carentes, rite inungant Germanorum Regem?* Francof. 1746. recusa in ‚Schmidtii' Thesauro Iur. Eccles. II. 556. Auctor affirmative solvit quaestionem, asserens defectum Pallii AEppalis eo minus obstare, quod ius coronandi Regem non procedat ex Papali auctoritate.

CCCLXXVIII. **Ioan. Albicini** *de Romana S. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1746.

CCCLXXIX. **Guido Vernani** *de potestate Summi Pontificis, et de reprobatione Monarchiae compositae a ‚Dante Aligherio.'* Bonnoniae. 1746.

CCCLXXX. **Gabr. Schenk** O. Servor. BMV. *diss. historica de lapsu Marcellini Rom. Pontificis, seu Marcellini Summi Pontificis ab idolatriae crimine vindiciae.* Aug. Vind. 1746.

CCCLXXXI. **Nic. Weislinger** *zweihundertjähriges Jahrgedächtniss auf des hochgelehrten Herrn D. M. Lutheri Todesfall, welcher sich zugetragen zu Eisleben den 18 Febr. 1546. — mit hist. theol. Anmerkungen.* Strassburg. 1746.

CCCLXXXII. **Bonaventurae Barberini** *epistola ad Franciscum Card. Barberinum de Canone Nicaeno appellationis ad Romanum Pontificem, ac de numero XX Canonum Nicaenae Synodi.* Venet. 1746. Continetur Tom. 34. Collectionis Opusculorum scientif. et philol.

CCCLXXXIII. **Udalricus Munier** S. I. *dissertatio hist. theologica de Honorio Summo Pontifice.* Wirceburgi. 1748.

CCCLXXXIV. **Ant. Sandini** *vitae Rom. Pontificum ex antiquis monumentis.* Ferrariae. 1748. ed. nova.

CCCLXXXV. **Mich. Szegedy** S. I. *Primatus Romani Pontificis adversus ‚Ioannem Baumeister', Lutheranum Theologum Hallensem, iterum adsertus.* Tyrnav. 1748.

CCCLXXXVI. Idem, *de infallibilitate Romani Pontificis adversus ‚I. Baumeister.'* Tyrnav. 1748.

CCCLXXXVII. **Ios. Castorius** *de Romana D. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1748.

CCCLXXXVIII. **Dominicus Mansi** AEppus Lucensis, in nova editione *Historiae Eccles. ‚Natalis Alexandri'* 1749. curata in plurimis locis doctas adiecit animadversiones, cum peculiari ad Calvinistam *Basnagium* reflexione. Eae, quae Primatum concernunt, animadversiones notatu dignae sunt sequentes : a) Ad Diss. IV in Sec. I. observat : iurisdictionem Epporum proxime a summo Pontifice dimanare, et non esse universalem eo sensu, quasi Eppi totius Ecclesiae curam haberent; hanc Primatui competere, qui etiam Eppos iudicare possit. b) Ad Diss. XII. in Sec. III de controversia Cypriani observat : hunc plane non fuisse aversum ab agnoscenda infallibilitate Papae. c) Ad Diss. XXI in Sec. IV inserit : Animadversiones in propositionem, quasi legitima fuerit appellatio Athanasii a sententia conciliabuli Tyrii ad Constantium Imper. d) Ad Diss. XII in Sec. V. de epistola Leonis PP. ad Synodum Chalcedonensem observat: auctoritatem Papae in dogmaticis non pendere ab examine Epistolae eiusdem in Concilio, nec posse huiusmodi examen admitti. e) Ad Diss. I in Sec. VI. probat : Rom. Pontificem ne in Generali quidem Concilio ab Eppis iudicari posse. f) Ad Diss. II in Sec. VII. Epistolas Honorii PP. privatas, non dogmaticas fuisse evolvit. g) Ad Diss. IV in Sec. IX et X fuse probat superiorem Papae quam Concilii auctoritatem.

CCCLXXXIX. **Cavalcanti** AEp. Consentinus, *Vindiciae Rom. Pontificum Benedicto XIV. dicatae. Opus posthumum.* Romae. 1749. Vindicat cumprimis Petrum, Marcellinum, Liberium, Honorium ab impactis erroribus.

CCCXC. **I. Sianda** *in libros S. Bernardi de Consideratione ad Eugenium PP. commentarii ad Benedictum XIV.* Romae. 1749. Pro suprema potestate Rom. Pont. egregius liber.

CCCXCI. **Franc. Carrara** *de Romana D. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1749.

CCCXCII. **Simon Marques** S. I. *Brasilia Pontificia, sive*

speciales facultates Pontificiae, quae Brasiliae Eppis conceduntur et singulis decenniis renovantur, cum notationibus evulgatae. Ulyssipone. 1749.

---

c) Controversia **Iosephi Biner** S. I. cum Tubingensibus Protestantibus.

Ex praesenti decennio duplex controversia specialem meretur memoriam: altera *Iosephum Biner* S. I. inter et *Tubingenses* scriptores protestanticos, altera inter *Quirinum* Cardinalem et *Schellhornium*. Prior controversia adhuc a. 1739. coepit se evolvere, quum quippe *Binerus* sua contra Tubingenses, auctoritatem Ecclesiae ac Romani Pontificis cum aliis Religionis dogmatibus negantes, scripta vulgare inchoavit. Scripta haec sequenti se serie exceperant:

CCCXCIII. **Biner** *kurzer Begriff der heutigen Glaubensstreitigkeiten.* Luzern und Augsburg. 1739.

CCCXCIV. Idem, *katholische Anmerkung über die neuesten unkatholischen Controversschreiber, — sammt einem kurzen Begriff der heutigen Controversien und katholischen Glaubenswahrheit. Erster Theil: Kurze Abbildung der protest. Bücher-Schreiber.* Augsb. 1739. — *Zweiter Theil: Von dem Wort Gottes.* Augsb. 1740.

CCCXCV. Idem, *satyrisches Gedicht auf die Glaubensverbesserer, mit Anmerkungen erläutert und an's Licht gegeben.* Freiburg. 1740.

CCCXCVI. Idem, *protest. Glaubensbekenntniss eines nach Zürich flüchtigen Ordensgeistlichen, kürzlich widerlegt.* Lucern. 1740.

492. **I. Breitinger,** *Iesuitischer Mückentanz.* Zürich. 1740.

493. Idem, *der Jesuitische Goliath, und die evangelischen Schleuder Davidis.* Zürich. 1741.

CCCXCVII. **Biner** *Widerlegung der Reformirten Profession von einem Apostaten.* Augsb. 1741.

CCCXCVIII. Idem, *Beschreibung des unglücklichen Anlaufs der Herrn Prädicanten zu Zürich in ihrem angestellten Mückentanz um das Licht der kath. Wahrheit.* Augsb. 1742.

494. **Breitinger,** *Muster, wie das Controversbuch P. I. Biner's S. I. gerathen sei.* Zürich. 1742.

CCCXCIX. **Biner** *von der Kirche.* Augsb. 1744. Est tertius tomus operis supra laudati.

CCCC. Idem, *Heiligkeit der Kirche, — nebst genauer Abbildung der vornehmsten protest. Glaubensstiftern.* Augsb. und Freib. 1750.

CCCCI. Idem, *katholische Anmerkungen über den wieder aufleben sollenden Luther.* Augsb. 1753.

---

d) Controversia Cardinalis **Quirini** cum **Schellhornio** Protestante.

Longior intercessit Cardinali Brixiensi *Angelo Quirino* cum *Ioanne Georgio Schellhornio* Bibliothecario Memmingensi controversia, epistolis reciprocis et opusculis nutrita, cui etiam alii nonnulli de coetu Protestantium sese immiscuerunt. Scripta haec eo, quo se excepere, ordine recensemus:

495. **Schellhorn** *historia operis raro obvii, quod ‚Reginaldus Polus' adversus Henricum VIII. Angliae Regem pro Unitatis Ecclesiasticae defensione olim conscripsit.* Inserta est haec lucubratio ‚Amoenitatibus historiae eccles. et literariae' ab eodem auctore vulgatis, Tom. I. Francof. et Lips. 1737. cuius iam in literatura quarti decenii istius seculi meminimus.

496. Idem, *‚Reginaldi Poli' Card. Britanni epistola ad Eduardum VI. Angl. Regem de opere adversus Henricum patrem scripto, cum in finem literis consignata, ut operi illi diu suppresso prologi galeati loco praefigeretur.* In iisdem Amoen. 1737. Tom. 1. Duo haec Schellhornii opuscula occasio extitere prima controversiae: in iis quippe Card. Polum denigrat, multaque profert, ad labefactandam summi huius viri, pro auctoritate Romanae Sedis in Anglia tantopere dimicantis, existimationem tendentia.

CCCCII. **Quirinus** *Epistolarum ‚Reginaldi Poli' Card. et aliorum ad ipsum pars prima. Praemittuntur animadversiones in Epistolam ‚Schellhornii,' vita Card. Poli, et quaedam huius scripta, atque Diatriba ad easdem Epistolas.* Brixiae. 1744. Auctor Purpuratus, laesum *Poli* honorem vindicaturus, ante omnia *Diatribam* concinnavit, et cum *Schellhornio* praevie communicavit: qui per *Epistolam* Cardinali Quirino suas contra eandem Diatribam reflexiones transposuit. Epistolae huic Cardinalis

animadversiones opposuit: quae omnia primae Partis Epistolarum volumen implent.

CCCCIII. Idem, *Epistolarum etc. Pars secunda. Praemittuntur animadversiones in Epistolam ‚Schellhornii,' Diatriba, et Monumenta quaedam praeliminaria ad easdem epistolas.* Brixiae. 1745. Cum *Schellhornius* animadversiones Quirini priori Epistolae suae oppositas *altera Epistola* refellere satageret, Cardinalis huic quoque Epistolae novas opposuit *animadversiones*, easque una cum epistola Parti huic secundae praemisit.

CCCCIV. Idem, *Imago optimi sapientissimique Pontificis, expressa in gestis Pauli III, ad primos tantum V annos eius Pontificatus spectantibus.* Brixiae. 1745. Liber hic Quirini novae controversiae dedit occasionem. Protestantes namque laudes Pauli III. in opere Quirini congestas obscurare nitebantur. Quod *Schellhornius* iam tunc praestitit, dum ad submissum sibi a Cardinale opus exarassat epistolam: uberius vero subseque vellicare adnisus est Pauli Papae facta.

CCCCV. Idem, *epistola ad Academiam Gallicam Inscriptionum et liberalium artium.* 1745. Epistola haec erat quadamtenus provocatoria ad *Schellhornium*, ut circa res gestas Pauli III. uberius se enunciet.

497. **Ioan. Rud. Kiesling** *epistola, qua de gestis Pauli III. Pontificis ad emendationem Ecclesiae maxime spectantibus disserit, et sententiam suam Cardinali Quirino modeste exponit.* Lipsiae. 1747. dd. 24. April.

498. Idem, *epistola ad Quirinum, qua de gestis Pauli 3 Pontificis cum Henrico 8 Angliae Rege agitur, et eius emendatio Ecclesiae Anglicanae suscepta defenditur.* Lips. 1747.

CCCCVI. **Quirinus** *responsum ad epistolam Kieslingii*, dd. 26. Iul. 1747. Epistolam Kieslingii in 36 articulos partiendo, eandem totidem refutat animadversionibus.

499. **Schellhorn** *de consilio de emendanda Ecclesia auspiciis Pauli 3 P. R. a quatuor Cardinalibus et quinque aliis Praesulibus conscripto, ac a Paulo IV. damnato: ad Em. ac RR. Card. Quirinum — epistola.* dd. 15. Sept. 1747. Impressa fuit epistola primum anno sequente 1748. Tiguri cum aliquot additamentis.

CCCCVII. **Quirinus** *ad catholicum aequumque lectorem*

animadversiones in epistolam Schellhornii. Brixiae. 1747. Triginta animadversionibus refutat epistolam.

500. **Schellhornius** *epistola ad Quirinum de consilio de emendanda Ecclesia iussu Pauli 3 P. Romani conscripto, sed ab eodem neglecto ac executioni non mandato.* dd. 12. Oct. 1747. Impressa est epistola altera Tiguri. 1748.

501. *Nova Acta Eruditorum.* Lips. 1747. In iis recensita fuit collectio Epistolarum *Reg. Poli* per *Card. Quirinum* edita, cum pluribus animadversionibus censoreis.

502. **Breitinger** Professor Tigurinus, *epistola ad Card. Quirinum de ipsius controversia cum Kieslingio.* 1747.

CCCCVIII. **Quirinus** *epistola refutatoria Professoris Tigurini, dd. 25. Ian. 1748. exarata.*

CCCCIX. Idem, *epistola ad viros clarissimos singularis eruditionis laude florentes in Lyceis Lipsiensi, Gottingensi, Hamburgensi* etc. 1748. Est refutatio recensionis, quam redactores ‚Novorum Actorum Eruditorum' paulo ante memorati edidere.

CCCCX. Idem, *Praeliminaria ad triumphum catholicae veritatis.* 1748. Est quaedam quasi responsio ad alteram *Schellhornii* literam superius citatam: in sex puncta divisa, et obiectiones viri huius in Paulum Papam vibratas refellens. Cuius scripti transmissio faventer a ‚Schellhornio' excepta, occasionem dedit sequenti opusculo:

CCCCXI. *Triumphus catholicae veritatis ex Praeliminaribus quibusdam a Card. Quirino in suo ad Campidonam accessu ad subscribendum propositis docto et celebri Bibliothecario Memmingensi, et ex huius ad eam propositionem responso.* 1748.

503. **Samuel Formey** Acad. Boruss. Secretarius, *epistola ad Card. Quirinum.* 1748. In ea de editione Epistolarum Reginaldi Poli suam depromit sententiam, Lutherique merita extollit. Respondit ei:

CCCCXII. **Quirinus** per epistolam 30. Dec. 1748. signatam.

CCCCXIII. **Quirinus** *Epistolarum ‚Regin. Poli' pars tertia.* Brixiae. 1748. Est continuatio operis, cuius priores duas partes paulo ante indicavimus.

Decennium VI. a. 1750—1759.

a) Contra Primatum.

504. **I. F. Cotta** *exercitatio hist. critica, qua coniectura ‚Renati Ios. Tourneminii' examini subiicitur.* Tubingae. 1750. *Turneminium* Iesuitam a. 1734. coniecturam vulgasse de suppositis *Cypriani* ac *Firmiliani* epistolis, in literatura IV decennii monuimus. Huic coniecturae opposuit *Cotta* suum libellum.

505. *Taxe de la Chancelleire Romaine, et la banque du Pape, ou l' absolution des crimes les plus enormes se donne pour de l' argent.* Londres. 1750.

506. *Eine deutlichere Erläuterung der Glaubenslehren, so in den XII Briefen des Jesuiten ‚Seedorf' enthalten, nach dem Glaubensbekenntniss, welches die Protestanten in Ungarn bei ihrem Uebertritt zur römischen Kirche schwören müssen.* Braunschweig. 1750. Opus praesens refert se ad formulam illam (confictam) professionis fidei, de qua in Literatura anni 1683. et 1738. sermo fuit.

507. **Henr. Wottonus** *tructatus de divinitus instituto Clero Christiano, et de unitate Ecclesiae.* Hannoverae. 1750. Pro Ecclesia Anglicana contra Romanam.

508. **Pfaff** *bündige Antwort auf die XII Briefe ‚Scheffmachers', eines Strasburgischen Jesuiten, über die vornehmsten Streitfragen zwischen der römischen und protest. Kirche; — wie auch ‚Weissmann's' Gründe zu Widerlegung der sechs Hindernisse der Seligkeit. In's Teutsche übersetzt von* **I. F. Scholl.** Tübingen. 1750. Opera haec suis locis iam exhibuimus.

509. **Bower** *unpartheiische Historie der Römischen Päpste. Uebersetzt von* **Rambach.** Magdeburg. 1751. ss. Prout auctor, ita et versor tum in praefatione tum in annotationibus vehementiore stylo evomunt suas contra Rom. Pontifices impietates et iniquitates.

510. *Penseés sur les moyens dont l' Eglise Romaine se sert pour aggrandir son Autorité.* Halle. 1751.

511. **Bring** *dissertatio de origine Primatus Eppi Romani.* Londini Gothorum. 1752.

512. **I. Henr. Ress** *diss. theologica de Hierarchia et Protocathedria, ad ductum verborum Christi Matth. XX, 25.* ss.

Helmstadii. 1753. Auctoritatem Rom. Pontificis et verbis Christi et ipsi Christianismo repugnare asserit.

513. **Ioan. Fidelis Schantz,** apostata, *cogitatus, quos in- et de erroneis praeiudiciis Papatus ante et post suum ex Rom. Catholica ad Luthero-Evangelicam Ecclesiam transitum habuit.* Marpurgi. 1754. Liber enormibus invectivis plenus.

514. **Ioan. David Heilmann** *dissertatio, consecrationem Sanctorum apud Pontificios usitatam ad Apotheoseos Veterum Romanorum effictam ostendens.* Halae, 1754.

515. *Poëmata doctorum piorumque virorum varia de corrupto Ecclesiae statu ante nostram aetatem conscripta ; cum praefatione ‚Matthiae Flaccii Illyrici' olim edita.* 1754.

516. **Van Espen** *de collectione Isidori vulgo Mercatoris.* Colon. 1755. Dissertatio ex opere Iuris Canonici Auctoris huius excerpta, et in ‚Commentariis in canones et decreta iuris veteris et novi' recusa. Prout alii plures, ita Espenius quoque ex dicta collectione Isidoriana occasionem sumsit, auctoritatem Primatus vellicandi.

517. **Withof** *de portis inferni, ad illustranda verba Christi Matth. XVI.* Lugduni Batav. 1755.

518. **Kipping** *Apologeticus pro M. Luthero combusti Iuris Canonici reo.* Helmstadii. 1755.

519. **Isaac. Beausobre** minister reformatus, *Sermons.* Lausanne. 1755. Sermone XIV impugnat successionem Rom. Pontificum.

520. **Middleton** *Lettre ecrite de Rome, ou l' on montre l' exact conformite qu' il y a entre le Papisme, et la Religion de Romains.* 1755. Nova editio. Etiam germanice prodivit :

521. *Brief von Rom, darin eine genaue Gleichförmigkeit zwischen dem Pabstthum und Heidenthum gezeigt wird.* London. (Zürich) 1756.

522. **Schubert** *Schlüsse wider das Pabstthum.* Jena. 1756.

523. **Adamus Osiander** *exercitatio de authentia Cap. XXI Ioannis.* Tubingae. 1756. Authentiam admittit, sed Primatum inde elici posse negat.

524. **Walch** *observationes de Christo Papa.* Gottingae. 1757. Castigat illos Scriptores, qui Catalogum Pontificum a Christo incipiunt : cum Pontifices non Christi, sed Petri successores sint.

525. **Huth** *Petrus non petra. Ad Matth. XVI. Dissertatio theologica antipontificia.* Erlangae. 1757.

526. **Aepinus** *Romanae Ecclesiae in definienda Conciliorum auctoritate arrogantia.* Rostochii. 1757.

527. **Köcher** *Paulum Apostolum potiori iure quam D. Petrum universalis Ecclesiae doctorem appellandum existimandumque esse.* Ienae. 1758.

528. **Walch** *Entwurf einer vollständigen Historie der Römischen Päpste.* Göttingen. 1758.

529. **Ioan. Horix** Professor Moguntinus, *Tractatiuncula de fontibus Iuris Canonici Germanici.* Francof. 1758. Librum hunc Ordinariatus Moguntinus mox ac divulgari coepit, confixit ‚ob assertiones novas, erroneas, scandalosas, Summis Pontificibus, Eppis, ac Statui Eccles. iniuriosas etc.'

530. **Haus** *de potestate primigenia Epporum et solida suas regendi dioeceses.* Wirceburgi. 1759. Auctor extollit auctoritatem Praesuleam cum praeiudicio Primatus.

531. **Valent. Arnoldus** *oratio inauguralis de unico supremi doctoris, Christi, in Ecclesia Vicario, eoque vero docentium aeque ac discentium doctore.* Lugd. Bat. 1759. Vicarium dicit Spiritum S. et adversus Rom. Pontificem multa impia conglomerat.

---

b) Pro Primatu.

CCCCXIV. **Paulus Stephanus** sacerdos Venetus, *diss. de supremo—dogmaticis Epporum iudiciis S. Sedis Apostolicae auctoritate muniendis.* Venet. 1750. Pro suprema Rom. Sedis auctoritate.

CCCCXV. **Protics** *responsum ad libellum de Primatu Pauli Thebaei.* Argentor. 1750.

CCCCXVI. **Angelicus Perzina** Servita, *quaestiones polemico-historico-criticae circa Rom. Pontifices a Petro usque ad Ioannem XXIII.* Pragae. 1750. Quaestiones de reprehensione Petri a Paulo, de Romano itinere Petri, de praetenso lapsu Marcellini, Liberii, Honorii, iuxta communiorem eruditorum sententiam discutit.

CCCCXVII. **Car. Sacrati** *de Romana D. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1750.

CCCCXVIII. **Bernardinus Mezzadri** O. S. Fr. *dissertationes duae criticae historicae: una de 25 annis Romanae Petri Cathedrae adversus utrumque Pagium; altera de actis SS. Martyrum Cosmae et Damiani, nec non de monumentis Basilicae ipsis in urbe erectae.* Romae. 1750.

CCCCXIX. **Ioan. Bartholi** Eppus Feltriensis, *apologia pro Honorio I Rom. Pontifice.* Ausugii. 1750.

CCCCXX. **Ios. Gautier** S. I. *animadversiones in librum, cui titulus: ‚Principia Iuris publici Eccl. Catholicorum;' dudum iam conscriptae, nunc paulo auctiores plurium rogatu publici iuris factae.* Colon. 1750. Toto quidem opere praeclare castigat *Nellerum,* dicti libri auctorem, sed vel maxime Cap. IV, dum principia eiusdem circa Caput Ecclesiae, Summum Pontificem, in examen vocat; et in Appendice de nonnullis propositionibus, per quas idem auctor S. Sedem in despectum invidiamque adducere nitebatur.

CCCCXXI. **Sebastiani** S. I. *Zosimus Rom. Pontifex a calumnia approbatae haeresis Pelagianae dissertatione brevi et succincta vindicatus.* Heidelbergae. 1750.

CCCCXXII. **Marius Guarnacci** *vitae et res gestae Pontificum Rom. et Cardinalium a Clemente X usque ad Clementem XII. quibus perducitur ad nostra haec tempora historia eorumdem ab ‚Alphonso Ciacconio' aliisque descripta, a S. Petro ad Clementem IX.* Romae. 1751.

CCCCXXIII. **Ios. Mollo Lusciani** *de Romana S. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1751.

CCCCXXIV. **Sebaldus a S. Christophoro** *theologia hist. polemica ex Verbo Dei scripto et tradito: Conciliis Oecumenicis, ss. canonibus etc. pro vindicanda contra haereticos, Protestantes praesertim, Lutheranos, Calvinianos, Romano-catholicae Ecclesiae gloria.* Bambergae. 1751.

CCCCXXV. **Hieron. Lombardi** S. I. *Benedicti XIV. dissertationes in omni doctrinae genere selectissimae, ex quatuor eiusdem Auctoris de Canonisatione Sanctorum libris extractae.* Venet. 1751.

CCCCXXVI. **Scheffmacher** S. I. *Catechisme de Controverse.* Strassbourg. 1751. Liber eximius ad refellendos Primatus, aliarumve catholicarum doctrinarum adversarios.

CCCCXXVII. Idem, *XII Briefe wider Protestanten. Aus*

dem Französischen. Rothenburg. 1752. Originale gallicum in literatura quarti decennii occurrit.

CCCCXXVIII. **Kreitzen** S. I. *Catholicus indebite vexatus acatholicorum quaestione: Ubi scriptum est? responsionibus supererogatoriis satisfaciens.* Calissii. 1752. Opusculum saepius impressum, tum pro Primatu, tum aliis doctrinae capitibus faciens, cuius auctor Sec. XVII. vixit.

CCCCXXIX. CCCCXXX. **Mamachius** in ‚Originibus et Antiquitatibus Christianis' Romae vulgatis, signanter T. IV. a. 1752. edito, in *dissertatione de potestate, forma et ratione gubernandae Ecclesiae* Primatum evolvens, systema *Richerii* et *Protestantium* confutat; Tomo V. a. 1755. edito disquirit: *num Cephas, cuius est in Ep. ad Gal. a Paulo facta mentio, idem ac Petrus fuerit?* et affirmativum dat responsum contra *Harduinum.*

CCCCXXXI. **Andr. Florentius Martorelli** *de Romana S. Petri Cathedra oratio.* Romae 1752.

CCCCXXXII. **Roberti Personii** S. I. (a. 1610. mortui) *le tre conversioni dell' Inghilterra dal Paganesimo alla religione cristiana. La I. sotto gli Apostoli nel Sec. I. dopo Cristo. La II. sotto Papa Eleuterio e il Re Lucio nel II Secolo. La III. sotto Papa Gregorio M. e il Re Etelberto nel VI Secolo. Tradotte dall' originale Inglese da* **Fr. Ios. Morelli,** *Sacerdote Fiorentino.* Roma. 1752. Est versio italica celebris operis Personiani, suo loco iam recensiti, et historiae ecclesiasticae *Foxii* praedicantis oppositi.

CCCCXXXIII. Idem, *Esame del Calendario Protestante detto Foxiano, cioe, Volpiano, in cui si contengono i Santi Martiri e Confessori Protestanti. Tradotto da* **Fr. Morelli.** Roma. 1753. Aeque ac prius opus in italicum conversum ex anglico, suo loco iam laudato.

CCCCXXXIV. **Anonymus Polonus S. I.** *argumentum e S. Scriptura, quo solide demonstratur, Martinum Luther et Ioannem Calvin fuisse vere haereticos: DD. Dissidentibus ad salutarem considerationem ab amico, salutem aeternam ipsis desiderante, propositum.* Leopoli. 1753.

CCCCXXXV. **Anonymus Polonus S. I.** *quaestio de Ecclesia Dei, quod errare non possit, et si in aliquo errasset,*

praecipue Caput Ecclesiae, num licet recedere ab Ecclesia ita decepta? Thoruni. 1753. opus curiosum.

CCCCXXXVI. **Card. Aguirre** in ‚Collectione Maxima Conciliorum Hispaniae' Romae. 1753 edita, Tomo I. inseruit: *dissert. de collectione Pseudo-Isidori.*

CCCCXXXVII. **Franc. Neumayr** S. I. celebris Controversista, pluribus opusculis exagitabat Protestantes ab Ecclesia Romana se scindentes: signanter *Frage: ob in der luther. Kirche eine Hoffnung der Seligkeit sei?* München und Ingolstadt. 1753.

CCCCXXXVIII. Idem, *Frage: ob die lutherischen Lehrsätze dem Herrn Christo zur Ehre gereichen?* München und Ingolst. 1753.

CCCCXXXIX. Idem, *Frage: ob der Geist der luth. Kirche ein heiliger Geist sei?* Ibid. 1753.

CCCCXL. Idem, *Frage: ob es gleichviel gelte, was man für eine Religion annehme, wann sie nur christlich ist?* Ibid. 1754.

CCCCXLI. Idem, *Frage: ob die protest. Klagen wider das Pabstthum einen klugen Mann von der römisch-kath. Religion abhalten sollen?* Ibid. 1754.

CCCCXLII. Idem, *Frage: ob es einem Lutheraner zur Schande gereiche, wenn er katholisch wird?* Ibid. 1754.

CCCCXLIII. **Petrus Ubaldinus Florentinus** *de Romana D. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1753.

CCCCXLIV. **Car. de Salm-Salm** Canon. Colon. *Theologiae dogmaticae universae theses praecipuae.* Colon. 1753. De Rom. Pontifice statuit: inerrantiam, et superiorem Conciliis auctoritatem.

CCCCXLV. **Hieron. Gradonici** *S. Gregorius M. a criminationibus ‚Casimiri Oudini' vindicatus.* Romae. 1753.

CCCCXLVI. **Christianus Liebrecht** S. I. *dissertatio theologica, in qua Summus Pontifex Vigilius ab haeresi tam Eutychiana quam Nestoriana vindicatur.* Bambergae. 1753.

CCCCXLVII. Idem, *diss. theologica, in qua Pontificis Romani supra Concilium Generale auctoritas, potestas, et infallibilitas demonstratur cum conclusionibus theologicis.* Bambergae. 1754.

CCCCXLVIII. Idem, *infallibilis Summi Pontificis supra*

Concilium Oecumenicum in decidendis fidei controversiis auctoritas cum positionibus theologicis. Bambergae. 1754.

CCCCXLIX. **Ioan. Faure** S. I. *theses polemicae de Rom. Pontifice, Conciliis et Ecclesia, ad publicam disputationem propositae in Collegio Romano. Accedit dissertatio de Capitulis S. Coelestino I olim tributis, eorumque dogmatica auctoritate.* Romae. 1754.

CCCCL. **Franc. Bohomolec** S. I. *Epistola thesibus respondens ad scriptum ‚Aug. Titel' Magistri Gnesnensis sub titulo : ‚Cohortatio ad excutiendum Romani Pontificis iugum'; quod in MSS. missum fuit ad Magnates Poloniae.* 1754.

CCCCLI. **Ioan. Kowalski** S. I. *doctrina fidei primis Ecclesesiae Christi seculis florens, in Ecclesia Romana hucusque fideliter conservata.* Varsaviae. 1754.

CCCCLII. Idem, *Conciones de plena a Christo supra universam Ecclesiam collata S. Petro Apostolo eiusque successoribus Rom. Pontificibus potestate, pluribus in locis Poloniae dictae.* Varsaviae. 1754.

CCCCLIII. **Anton. Merenda** *diatribe de gestis Liberii exulis.* Romae. 1754. Inserta est disquisitio haec apologetica Operibus Damasi ab auctore editis.

CCCCLIV. **Casp. Scheurer** O. S. Aug. *Quaestio critica: an verba, quae saepius ex ‚Cyrilli' thesauro citat ‚D. Thomas' de potestate Pontificis :* ‚oportet nos membra manere cum nostro capite, cum throno apostolico Rom. Pontificum, a quo debemus rogare, quae credenda tenendaque sint', *Cyrilli sint, ut tuctur ‚Labbeus', an ei assuta, ut ‚Dupin' extra controversiam esse non sine Doctoris Angelici contumelia arbitratur? decisa in consveto Doctorum congressu habito die 2 Sept. 1754. Viennae.*

CCCCLV. **P. L. Soc. I.** *Dissertationes de infallibilitate Papae et potestate eiusdem concedendi indulgentias.* Olomucii. 1754. Diss. prima est de nominibus Papae ; secunda de infallibilitate in decidendis fidei quaestionibus ; tertia de infallibilitate in canonisatione Sanctorum ; quarta de potestate concedendi indulgentias.

CCCCLVI. *Dissertatio : causam S. Cypriani non favere causae Protestantium.* Lovanii. 1754.

CCCCLVII. **Fr. Neumayr** S. I. *Frage : ob dem Römischen*

Bischof die dreifache Krone wohl anstehe? München und Ingolstadt. 1755. Contra Auctorem scripsit Protestans :

532. **M. I. W.** *wohlbewahrte Schleudersteine aus dem klaren Bach der Vernunft und der Schrift — aufgelesen, und dem P. Neumayr — als einem der evangelischen Kirche hohnsprechenden Goliath, auf seinen unruhigen Kopf geworfen.* 1755.

CCCCLVIII. **Petrus Lazeri** S. I. *catalogi duo antiquissimi Pontificum Romanorum, quos ad Pontificiam historiam primorum IV seculorum explicandam iterum recensitos et animadversionibus illustratos exhibent PP. S. I. in Collegio Romano.* Romae. 1755.

CCCCLIX. **Alphons. de Ligorio** Redemtoristarum fundator, *diss. super propositionem XXIX damnatam ab Alexandro VIII quae dicebat: ‚Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Conc. Oec. auctoritate, atque in fidei quaestionibus decernendis infallibilitate.‘* 1755. Fuse evolvit Sanctus Auctor, sententiam de suprema auctoritate et infallibilitate Romani Pontificis iuxta sensum S. Scripturae, Pontificum, Patrum et Conciliorum, tamquam totius Ecclesiae sententiam et regulam considerandam esse.

CCCCLX. **Ios. Bardarini** S. I. *diss. critica de Cathedra Romana. Defendit* **Fr. Cumbock.** Graecii. 1755.

CCCCLXI. **Alexander Herdts** *discordia concors inter Stephanum ac Cyprianum.* Mogunt. 1755.

CCCCLXII. **Valerianus Zellner** O. S. Aug. *dissertatio hist. dogmatica de Primatu Petri.* Monachii. 1755.

CCCCLXIII. **Ioan. Ern. Gandert** Praem. *series Romanorum Pontificum per secula digesta, turbata schismate, sed non perturbata; una cum selectis thesibus cuivis seculo accomodatis, nec non brevi refutatione errorum plerisque Pontificibus a novatoribus affictorum.* Pragae 1755.

CCCCLXIV. **Ioan. Szegedy** S. I. *opusculum de Hierarchia Ecclesiastica et de Primatu S. Petri eiusque successorum RR. PP. Defendit* **Petr. Homolay.** Agriae. 1756.

CCCCLXV. **Wilibaldus Heiss** O. S. Fr. *Vindiciae Summorum Pontificum adversus omnis generis adversarios, ineffabilibus, truculentissimis et horribilissimis calumniis ac mendaciis Summam Tiaram decussatim afficientes, methodo theologico-historica copiose adornatae.* Campidonae et Aug. Vind. 1756.

CCCCLXVI. **Franc. Ursinus** *de Romana D. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1756.

CCCCLXVII. **Casp. Scheurer** *quaestio canonico-theologica: an Pontifex inconsultis Cardinalibus et Theologis possit ferre leges universum Christianum orbem obligaturas? Viennae in doctorum congressu die 3 Iun. 1756. decisa.*

CCCCLXVIII. **Placidus Fixmillner** *Reipublicae sacrae origines divinae, seu Ecclesiae Christi exterior iunctura, imperium, et hierarchia e primigenia eius institutione eruta ac demonstrata.* Styrae. 1756.

CCCCLXIX. **Fr. Neumayr** S. I. *Frage: ob D. Luther das geistliche Recht mit Recht verbrennet habe?* München und Ingolstadt. 1756.

CCCCLXX. **Mayr** Servita, *diss. historico-dogmatica, seu vindiciae Honorii I Summi Pontificis ab haeresi Monotheli-tarum.* Oeniponti. 1756.

CCCCLXXI. **Weislinger** *der entlarvte lutherische Heilige.* Freiburg. 1756. Contra confictam a Protestantibus formulam professionis fidei in Hungaria.

CCCCLXXII. **Fr. Ant. Zaccaria** S. I. *dissertatio de commentitio Liberii lapsu.* Inest Tomo II editionis ‚Petavii' de theol. dogmatibus, ab auctore procuratae. Venet. 1757.

CCCCLXXIII. **Stilltingus** S. I. *de S. Liberio Papa Confessore commentarius critico-historicus.* In Actis SS. m. Sept. VI. Antverp. 1757. Ostendit, Papam Liberium formulae erroneae haud subscripsisse, nec unquam in errorem incidisse.

CCCCLXXIV. **Leop. Mosbach** *diss. de S. Petri et Rom. Pontificum Primatu, ex ‚Natalis Alexandri' dissertationibus in Hist. Eccl. Sec. I. decerpta et edita.* Vindobonae. 1757.

CCCCLXXV. **Casteel** *controversiae ecclesiastico-historicae.* Colon. 1757. Egregie tractat de Romano Pontifice.

CCCCLXXVI. **Vitalissimus Arrighi** *de Romana S. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1757.

CCCCLXXVII. **Euseb. Amort,** *Ius Canonicum vetus ac modernum. Accedunt vindiciae iurisdictiónis eccles.* Ulmae. 1757. Primatum contra Novatores uberius vindicat.

CCCCLXXVIII. **Neumayr** S. I. *Frage: ob unser werthes Teutschland zur Zeit dessen erster Bekehrung aus dem Heidenthum Papistisch oder Lutherisch geworden sey?* München. 1757.

CCCCLXXIX. **Scheffmacher** S. I. *Lettere a un Gentiluomo Protestante. Dal Franchese.* Venezia. 1757. Versio italica celebris opusculi, cuius iam saepius mentionem fecimus.

CCCCLXXX. **Iordanus Simon** *diss. de eo: quod Cephas a Paulo reprehensus fuerit Petrus Apostolus.* Erfordiae. 1758. Reprehensionem non praeiudicare Primatui.

CCCCLXXXI. **Caesar Cattaneus** *de Romana D. Petri Cathedra oratio.* Romae. 1758.

CCCCLXXXII. **Cypriani** *liber de Unitate illustratus.* Heidelbergae. 1758.

CCCCLXXXIII. **Car. Busaeus** S. I. *potestas iurisdictionis sacrae sub clavium, gladii, ac virgae typo in Scripturis S. adumbrata, a supremo Ecclesiae Capite Christo in Petrum huiusque successores Romanos Pontifices, ab his in Eppos immediate transfusa: dissertatione historico-dogmatico-theologica propugnata.* Fuldae. 1758.

CCCCLXXXIV. **Ioan. Ant. Blanchius** O. S. Fr. *tractatus de Rom. Pontifice et eius potestate; — Dissertazione del Primato del Romano Pontefice sopra la Chiesa universale sposto e dichiarato nel Concilio Fiorentino; — Diss. del Primato — conosciuto dal Concilio di Costanza.* 1758. Opera haec videntur in MSS. adhucdum delitescere, et in lucem haud esse edita, ut coniicit *Fabronius* in Vitis Italorum. Vol. XI. p. 263.

CCCCLXXXV. **Neumayr** S. I. *Frage: ob Petrus Petra oder der Felsen sey, auf welchen Christus seine Kirche gebauet hat? Wider eine giftige Schrift des Herrn ‚Huth' unter der Aufschrift: Petrus non petra.* München. 1759.

CCCCLXXXVI. **Andr. Narolski** S. I. *de suprema Romani Pontificis auctoritate, nec non Polonorum in avita Religione constantia, adversus, Titelii' epistolam liber, qui ad omnes universim haereses sive exterminandas, sive quum aliorum tum huius praesertim regni aditu prohibendas inservire potest.* Premysliae. 1759.

CCCCLXXXVII. **Fr. Lodrini** *de Concilio Constantiensi exercitatio theologico-critica, habita in Collegio Universitatis S. I.* Cremonae. 1759.

CCCCLXXXVIII. **Zacharias Schuxart** e Sch. Piis, *Controversiae ab haereticis nostri temporis moveri solitae.* Pragae. 1759. Controversia III. de Capite visibili Ecclesiae Christi in

terris, sive Romano Pontifice, et Controversia IV. de Conciliis praeclare explicat Primatus attributa, diserte affirmans: nullum esse in terris tribunal aut iudicium, cui Papa se posset, etiamsi vellet, iuridice subiicere.

---

c) Specialis Literatura decennii VI.

1) *de Iubileo magno anni 1750.*

Ex occasione magni Iubilei pro a. 1750. a Benedicto XIV. indicti, Protestantes vulgarunt aliquot opuscula contra ipsum Iubileum, et universim contra Ecclesiam Romanam eiusque Caput visibile:

533. **Erhardt** *schriftmässige Prüfung des päpstlichen Jubeljahrs.* Jena. 1750.

534. **Chrysander** *Entwurf der Übereinstimmung des Pabstthums und jetzigen Judenthums.* Helmst. 1750.

535. **Sam. Gottlob Donat** *Aberglaube des papistischen Jubeljahrs, mit Anmerkungen.* Jena. 1750.

536. *Die schöne Jubelwaare des Ablasses, aus dem Engländer ‚Mich. Geddes' hochteutsch dargelegt, sammt einem Anhang verschiedener merkwürdiger Sammlungen von den päpstlichen Gelderpressungen.* Jena. 1750.

537. **Georg Körner** *historisch-theologische Betrachtung über das allgemeine heilige oder Jubeljahr des Pabsts zu Rom, nach seinem Anfang, Fortgang, gegenwärtigen Zustand, und sonderbaren Schicksalen desselben.* Schneeberg. 1750.

538. **Christ. Leop. Fürchtegott** *de similitudine Iubilei Romano-Catholici cum ludis secularibus.* Lips. 1750.

539. *Provocatio amatoria Lygdami et Chloridis. Nemo tentis. Romae anno iubileo.* 1750.

540. **Winkler** *bescheidene Widerlegung der bekannten Jurisdictionsbulle des Pabstes Benedicti XIV zu dem sogenannten heiligen Jahr, darin die Ursachen enthalten sind, warum ein evangelischer Christ auf die von dem Papst ergangene Einladung mit gutem Gewissen nicht erscheinen könne.* Stolberg. 1750.

541. **Weickhmann** *Iubileum Wittembergense Romano heri aperto oppositum.* Vittebergae. 1750.

542. *Ausführliche Nachricht von dem r. k. Jubeljahr aus*

den päbstlichen Bullen und der röm. Kirche zugethanenen Scribenten erwiesen. Frankf. u. Leipz. 1750.

543. **Spener** *der römischen Kirche Ablass und Jubeljahr nach den Gründen göttlichen Wortes zur Warnung vor der Gemeinschaft alles Aberglaubens in zweien Predigten betrachtet.* Frankf. u. Leipz. 1750. Nova editio.

544. **I. Rud. Piderit** *Ludovici Bolognini nec non Felini Sandei tractatus de Indulgentiis recudendos curavit, atque ut-plurimum ex ipsis Romanae Ecclesiae positionibus illustravit.* Marpurgi. 1750.

545. *Schreiben eines guten Freundes H. B. A. an I. H. R. in welchem die päbstliche Jubelfeier geprüft wird.* 1750.

546. *Des deutschen Scarrons italienische Burlesque über den Carneval des heil. Jubeljahrs zu Rom und den dabei zu besorgenden vollkommenen Ablass der Beutel.* 1750.

547. **Körner** *hist. theol. Betrachtung über das Nachjubileum des Pabsts, oder Afterjubeljahr der römisch-päbstlichen Kirche.* Schneeberg. 1751.

548. **Ioachim Gossecke** *evangelische Jubelstimme aus Sion gegen die päbstliche Jubelstimme aus Rom.* Frankf. u. Leipz. 1751.

549. **Chr. Friedr. Röder** *historische Prüfung der Grundfeste des Ablasses und Fegfeuers in der römischen Kirche aus der Gelehrten- und Kirchengeschichte, bei Gelegenheit eines alten Ablassbriefes vom P. Innocentio VIII, untersucht, wobei zugleich von der Beschaffenheit der ältern und neuern Jubeljahre kürzlich gehandelt wird.* Leipzig und Torgau. 1751.

550. *Pensees sur les moïens dont l' Eglise Romaine se fert pour aggrandir son auctorité, a l' occasion du grand Iubile, que l' Eglise Romaine vient de finir.* Halle. 1751.

Post tanta contra Iubileum scripta, indicamus illa, quae pro Iubileo lucem aspexerant :

CCCCLXXXIX. **Matth. Fuhrmann** O. S. Pauli, *der englische Wegweiser nach Rom zu würdiger Besuchung der IV Patriarchalhauptkirchen etc. für das Jubeljahr 1750. ans Licht gestellt.* Wien. 1749.

CCCCXC. **Eickendorf** *Gegenbericht auf ‚Dr. Bertlings‘*

Unterricht; zur bessern Einsicht der wahren kathol. Lehre, und zur unumgänglichen Vertheidigung des von Benedict XIV ausgeschriebenen, von dem Herrn ‚Bertling' aber lästerlich beschriebenen Jubeljahrs. Erster Theil vom Ablass. Grauhof. 1750. Libello praesenti refutavit Auctor primum *Bertlingii* scriptum, anno adhuc 1749 contra Iubileum vulgatum, quod suo loco citavimus: sed haec refutatio pluribus libellis praebuit ansam, quos chronologice recensemus:

551. **Bertling** *Versuch einiger Anmerkungen über die päpstliche Jubelbulle Benedict XIV.* Helmstädt. 1750.

CCCCXCI. **Eickendorf** *abgenöthigte Vertheidigung der von Benedicto XIV auf das J. 1750 verkündigten Jubelbulle wider ‚Herrn Bertling' übelgerathenen Versuch. Zweiter Theil von der Jubelbulle.* 1750.

CCCCXCII. Idem, *fortgesetzte Vertheidigung der von Benedicto XIV auf das J. 1750 vertheidigten Jubelbulle wider ‚Bertling.' Dritter Theil von der päbstlichen Busse.* 1750.

552. **Bertling** *Fortsetzung der Anmerkungen über die päpstliche Jubelbulle Benedict XIV.* Helmstädt. 1751.

CCCCXCIII. **Eickendorf** *Beschluss der Vertheidigung der von Benedicto XIV verkündigten Jubelbulle wider ‚Bertling.'* Vierter Theil. 1751.

553. **Bertling** *Helmstädtisches gelehrtes Wochenblatt.* 1751. In fasciculis 14—20. novas vulgavit animadversiones contra Bullam Benedictinam, et adversus Praepositum ‚Eickendorf', qui e vestigio respondit:

CCCCXCIV. **Eickendorf** *Gegenbescheid des Probstes zu Grauhof auf das helmstädtische gelehrte Wochenblatt, in so weit es die Antwort ‚Bertlings' betrifft.* 1751. Eundem Iubilei adversarium et Pontificiae auctoritatis adgressorem, Bertlingium, castigavit pro merito:

CCCCXCV. **Angelus Card. Quirinus** *iniustae secessionis ab Ecclesiae Romanae sinu iam damnati in epistolis dogmaticis horum temporum sectarii, Lutherani praesertim, nunc eiusdem Cardinalis cura edito earum epistolarum delectu ad ovile Christi revocantur excurrente anno Iubilei per Benedictum XIV celebrati. Praemittitur confutatio scelestissimi libelli adversus eiusdem Iubilei sanctitatem nuperrime germanica lingva evulgati.* Romae. 1750. Opus hoc complectitur praeter refutatio-

nem *Bertlingii*, Epistolas, quas Quirinus, ut in literatura Primatus paulo superius exhibuimus, ad plures Protestantium eruditos dimiserat: in quibus cum coryphaeum Reformationis, Lutherum, saepius perstringeret, factum est, ut evulgato hoc libro, duo Lutherani vocem pro suo parente levaverint:

554. **Sam. Formey** *vindiciae Reformatorum, et inprimis Lutheri contra varias obiectiones a ‚Card. Quirino' propositas.* Francof. 1750.

555. **Georg. Guil. Kirchmaier** *disquisitio historica de D. M. Lutheri oris et vultus habitu, cum commentatione de Witteberga Saxonum.* Witteb. 1750.

556. Idem, *responsio ad epistolam publicam ‚A. M. Quirini' de Luthero.* Witteb. 1752.

557. Idem, *continuatio responsionis de Luthero.* Witteb. 1754.

558. Idem, *oratio historica de D. M. Lutheri oraculo, cum diss. de Latinitate Lutheri.* Witteb. 1755.

Pro Iubileo et auctoritate Papae scripsere adhuc:

CCCCXCVI. **Fr. Götzenberger** S. I. *Lutherische Kirche und Lehre von der Kirche mit der gesunden Vernunft nicht übereinstimmend.* Augsb. 1750.

CCCCXCVII. Idem, *der Tag der Erlösung aus einer Babelischen Verwirrung.* Augsb. 1750.

CCCCXCVIII. *Das von Benedicto XIV verliehene Iubileum sammt einer Unterweisung katechetischer Anmerkungen und Gebete.* 1751. Augsburg.

CCCCXCIX. *Einladung Christi gegen den Sünder zu Gewinnung des Iubilei, oder trostreiches Gespräch zwischen Christo und dem Sünder.* Augsburg. 1751.

D. *Allgemeines Jubileum, d. i. kurzer Unterricht, wie dieser allgemeine hohe Jubelablass im gegenwärtigen 1751 Jahre zu gewinnen.* Linz. 1751.

DI. *Höchstbeglücktes Jubeljahr, d. i. dessen Ursprung, wie auch Erklärung derjenigen Stücke, welche zur Erlangung eines grossen Ablasses erfordert werden.* Prag. 1751.

DII. *Ablasse für die wahrhaft büssenden Sünder durch Jesum Christum unsern Mittler und Erlöser. Von einem Priester O. S. B. zu S. Emmeram.* Regensburg. 1751. Auctor una refutat obiectiones Protestantium.

DIII. **Franc. Götzenberger** S. I. *römisch-katholischer päbstlicher Ablass wider die lutherischen Einwürfe vertheidigt.* Augsburg. 1751.

DIV. **Greg. Rothfischer** O. S. B. *Ablass und Jubeljahr, nach mathematischer Lehrart entgegengesetzt den gegenseitigen Schriften, die bei Gelegenheit des letzten römischen Jubeljahrs an das Licht getreten sind.* Regensburg und Wien. 1751. Erster, oder historischer Theil. Auctor in hoc scripto, quod imperfectum reliquit, defendit quidem lubileum : paulo post tamen a religione et fide apostatavit.

---

d) de Pallio AEppali.

Hoc decennio plura vulgata fuere de Pallio AEppali scripta, inprimis occasione controversiae de Pallio, quod Summus Pontifex Eppo *Herbipolensi* concesserat. Scripta itaque haec sub uno conspectu exhibemus :

DV. **Bianchi** *della politia e della potesta della Chiesa.* Roma. 1750. Vastum opus: cuius tomus V. de Pallio agit. Ad controversiam *Fuldensem* spectant sequentia opera:

559. *Series facti et iuris circa erectionem novi Eppatus Fuldensis, et concessionem Pallii Herbipolensis, ac laesa Sedis Metropolitanae Moguntinae, Celsissimorum Germaniae AEpporum et Epporum iura.* Moguntiae. 1753.

560. *Aktenmässige Geschischtserzählung, worin durch unverwerfliche Documenta, und Urkunden, auch eigene Anerkenntnisse erwiesen wird, dass die fürstliche Abtei Fulda die zeitlichen Erzbischöfe zu Mainz als ihre Metropolitanos in vorigen und jüngeren Zeiten ganz unweigerlich anerkannt, auch an eine ‚exemtionem' und dass selbige dem Römischen Stuhl unmittelbar unterworfen sei, niemalen gedacht habe, folglich dass gedachte Abtei ohne ausdrückliche Erzbischöfliche Einwilligung in ein, und zwar exemtes Bisthum nicht erhoben werden könne, solches sofort den Reichsgesetzen, den Concordatis Germaniae, und den kais. Wahlcapitulationen, insonderheit aber der Freiheit der teutschen Kirche entgegen sei, mithin so wenig, als der von Seiten des Hochstifts Würzburg als eine* conditio sine qua non *ausbedungen, auch sub- et obreptitie erhaltene Gebrauch des Erzbischöflichen Pallii, und die Vortragung*

des Erzbischöflichen Kreuzes, bestehen möge. Mit Beilagen 1 bis 27. Mainz. 1753. In utroque scripto auctoritas Pontificia oppugnatur, quasi sine positivo consensu AEppi Moguntini nec Abbatiam Fuldensem in exemtam Sedem Eppalem evehere, nec Eppo Herbipolensi Pallium concedere potuerit. Adversus scripta haec ex parte Eppatus *Fuldensis* prodivit:

DVI. *Fidelissimum specimen iurium Moguntinensium ab Emin. et RR. AEppo et Electore pluribus in libellis deductorum contra Concordiam Hammelburgensem, Pallium Herbipolense, et Fuldensem Eppatum, una cum animadversionibus facti et iuris praevia totius rei gestae narratione, Ecclesiasticis, Catholicis, aliisque per Germaniam Proceribus, ceterisque aequi bonique aestimatoribus inscriptum*: 1753.

Ex parte autem Eppatus *Herbipolensis:*

DVII. **Ioan. Casp. Barthel** *diss. historico canonico-publica de Pallio, una cum insertis vindiciis Pallii Herbipolensis contra impressum nuper editum sub inscriptione: Series facti et iuris etc.* Herbipoli. 1753. His operibus rursum opposita fuere nova:

561. **Ioan. Georg. Pertsch** *tractatio canonica de origine, usu, et auctoritate Pallii AEppalis, ubi simul iura Sedis Moguntinae contra Herbipolensem de collato huic nuper Pallii usu vindicantur, et ‚I. C. Barthel' dissertatio de Pallio sub incudem revocatur. Accedunt Dan. Papebrochii dissertationes de forma Pallii cum quibusdam observationibus et figuris aeri incisis.* Helmstadii. 1754.

562. **Georg. Ios. Ign. Ioan. Habermann** *dissertatio iuris publici ecclesiastici de Pontificis Romani potestate circa exemtiones Abbatum et Monasteriorum Germaniae, inprimis Abbatiae sive recens conditi Eppatus Fuldensis.* Gottingae. 1754. Utrumque opus contra potestatem Romani Pontificis dirigitur. Scripsere adhuc de Pallio:

563. **Greidemann** *Darstellung einer ohne Grund und Glaubwürdigkeit vorgespiegelten Nachricht eines neuen Schriftstellers von dem an Erzbischöfe und auch an Bischöfe geliehenen Pallio, nebst einem Vorbericht von einer der Sache näheren und gründlichen Beschaffenheit vorzulegenden bessern Ausführung.* 1754.

DVIII. *Pallium Herbipolitanum impugnatum et defensum biga opusculorum.* Francof. et Lips. 1755. Pro Barthelio contra Pertschium.

DIX. **Phil. Vespasianus** *de origine S. Pallii dissertatio.* Romae. 1756.

---

3) *de Patriarchatu Aquileiensi.*

Cum *Benedictus XIV.* a. 1750. Patriarchatum Aquileiensem supprimeret, illiusve loco duos AEppatus, Utinensem et Goritiensem, crearet: plura pro et contra ventilabantur scripta, quae ordine, quo se excepere, referimus:

564. **Card. Patr. Aquileiensis** *protestatio contra suppressionem Patriarchatus a Benedicto XIV. intentam, dd. 24. Martii 1750.* Hanc Patriarcha Card. Delphinus per suum procuratorem Cardinalem Quirinum exhiberi fecit.

DX. **Benedicti XIV.** *Breve de erectione Vicariatus Apostolici Goritiensis in parte D. Aquileiensis dominio Austriaco subiecta, dd. 29. Nov. 1749.* Huius Vicariatus erectionem ex eo necessariam evasisse scribit Summus Pontifex, quod in parte Dioecesis Aquileiensis, quae Austriacae paret dominationi, Patriarcha Aquileiensis nullam iurisdictionem exercere potuerit, impediente Domo Austriaca.

DXI. Eiusdem *allocutio in Consistorio 1. Dec. 1749. super erectione dicti Vicariatus.*

DXII. **Benedicti XIV.** *Breve de constituto Vicario Apostolico Goritiensi dd. 17. Iun. 1750.* in quo simul iura et facultates ipsius explicantur, relatioque, quam habiturus est ad Patriarcham Aquileiensem.

DXIII. Eiusdem *Breve ad Rempublicam Venetam dd. 27. Iun. 1750.* in eodem merito.

565. **Venetae Reipublicae** *responsum ad Summum Pontificem dd. 4. Iul. 1750.* cuius ope suum dissensum declarat, quasi constitutio Vicarii iuri Patronatus Reipublicae, iuribusque Patriarchae Aquileiensis praeiudicet.

566. **Patriarchae Aquileiensis** *altera Protestatio dd. 18. Iul. 1750.*

567. **Legati Veneti** *apud S. Sedem protestatio adversus*

decreta S. Sedis in causa Aquileiensi. In hac protestatione Legatus Brevia Pontificia pro irritis ac nullis declarat.

DXIV. **Cardinalis Secretarii Status** *responsum ad Legatum Venetum.* Cardinalis, cui praevia Legati protestatio consignata fuit, eandem velut inurbanam, et expressionibus reverentiae S. Sedi debitae adversis refertam Legato remisit, ne secus Censuris ecclesiasticis perstringi debeat.

568. **Card. Quirini** procuratoris Patriarchae Aquileiensis, *de vinculo, quo adstringuntur Eppi ad defendenda Ecclesiarum suarum iura liber unicus ad tuendum Patriarchatum Aquileiensem evulgatus.* Brixiae. 1750.

569. **Venetae Reipublicae** *altera litera ad Summum Pontificem de negotio Patr. Aquil.*

DXV. **Benedicti XIV.** *allocutio in Consistorio 5. Iul. 1751. de supressione Patriarchatus Aquileiensis, et erectione duorum AEppatuum, Utinensis, et Goritiensis.*

DXVI. Eiusdem *Bulla in eodem obiecto dd. 6. Iul. 1751.*

570. **Card. Quirini** *epistola ad Summum Pontificem dd. 5. Aug. 1751.* reflexiones continens ad nonnullas Bullae praefatae expositiones.

Acta et scripta haec partim e *Bullario Benedicti XIV*, partim ex *Actis Historico-Ecclesiasticis Vinariensibus* anni 1751. desumsimus.

---

4) *de nonnullis Incredulorum operibus.*

Incredulitas hoc decennio in *Gallia* summum quodammodo attigit apicem in *Encyclopädico opere, seu Dictionario,* quod initio eiusdem decennii evulgari coepit: in quo prout omnia fere catholicae doctrinae capita, ita et Primatus Romanae Sedis oppugnabatur. Mox, ac opus istud voluminosum, lucem adspexit, pro defensione sanctissimae Religionis et Primatus surrexerunt viri eximii, ipsaque S. Sedes Apostolica suum de opere iudicium depromsit. Scripta praesentis decennii decursu eo, qui sequitur, ordine se exceperant:

571. **Encyclopedie ou Dictionnaire** *raisonne des sciences, des arts, et des metiers, par une Societe de Gens de Lettres mis en ordre, et publié par M. Diderot de l' Academie*

Royale des sciences, et des belles lettres de Prusse; et quant a la partie mathematique par M. d' Alembert de l' Academie Royale des sciences de Paris etc. Paris. 1751. ss. Redactores praecipui fuere: **Dionysius Diderot,** et **Ioannes le Rond d' Alembert,** Sceptici, Materialistae, imo Athei, et zelosi Pseudo-Philosophiae propagatores. Accessit et **Voltaire,** qui iam ante hos plura vulgavit incredula opuscula, sed primum sequente decennio suum praeparavit philosophicum Dictionarium.

DXVII. **Guil. Franc. Berthier** S. I. primus strinxit calamum adversus Encyclopaedistas in pagellis Trevoltianis: *Memoires de Trevoux.* 1751.

DXVIII. **G. Gauchat** *Lettres critiques ou Analyse et refutation de divers ecrits, contraires a la Religion.* Paris. 1755. ss. Magnae molis opus, quo non tantum Encyclopaedistae, sed et alii incredulorum libri systematice examinantur ac refelluntur.

DXIX. **A. I. de Chaumeix** *Préjuges legitimes contre l' Encyclopedie, et Essai de Refutation de ce Dictionaire, avec l' Examen critique du livre de l' Esprit.* Paris. 1759. ss.

DXX. **Clementis XIII** *Papae Breve dd. 3. Sept. 1759 contra Encyclopaediam Gallicam.* Tenor illius est sequens: „Utprimum in lucem prodiit spissum opus in plures tomos tributum, cuius est titulus: Encyclopedie etc. non publico tantum rumore, sed gravissimorum quoque hominum fidei et religionis zelo flagrantium iudicio accepimus plurima in eo afferri ac contineri, quae non solum christianae pietati ac morum disciplinae quam maxime obessent, sed quae Religionem ipsam impeterent, eamque vel ex imo convellere niterentur, vel summa certe eius capita ac dogmata labefactarent: quapropter instituto a Ven. fr. nostr. S. R. E. Cardinalium Congregatione Indici librorum prohibendorum atque expurgandorum praeposita accurato eiusdem operis examine, atque iudicio, inter libros ab Apost. Sede damnatos atque proscriptos referendum esse decretum est die 5 Mart. proxime praeteriti. Fuere interea nonnulli, qui e publica rei literariae et christianae quoque utilitate fore putantes, si correctis, quibus scatet, erroribus, nova editione recusum emendatumque prodiret, ad eam adornandam adgressi adiectisque ad certa capita seu articulos notis, idoneum periculo ac malo omni remedium attulisse arbitrati sunt: sed diffusum ac serpens in

opere universo venenum cum tale non esset, quod leni curaretur antidoto, irrito plane studio ac labore operam ii suam luserunt; neque enim legentium periculo ac detrimento satis consultum, neque opus satis correctum expurgatumque prodiisse compertum est. Novae subinde ac graves adversus utramque editionem querelae ad Apostolatum nostrum delatae sunt, quae pro rei gravitate auctoritatis et vigilantiae nostrae opem flagitare videntur. Primum igitur in amaritudine cordis nostri vehementer dolemus, iam ad ea, quae praedixit Salvator, devenisse nos tempora, in quibus refrigescente caritate, atque in deterius labente morum disciplina, tum exundante per effroenam philosophandi scribendique licentiam fallacium impiarumque doctrinarum illuvie fides quoque ipsa, et cui innititur Divina Revelatio, impudentissime oppugnatur; incredulitas vero iam non tantum admittitur, sed et palam aperteque docetur, lateque adeo propagatur, ut si fieri posset, quam usque ad consummationem seculi permansuram promisit Christus Iesus, Ecclesia impiorum hominum doctrinis everteretur funditus ac tolleretur; cum enim sit Civitas illa fortis per Isaiam descripta, in qua, ut exponit Hieronymus, ponitur murus bonorum operum, et antemurale rectae fidei, ut duplici septa sit munimento, perversa ac praepostera cum agendi tum docendi ratione murum pariter et antemurale disiicere ac dissipare moliuntur. Nos vero, quos posuit Dominus custodes ac vigiles super muros Hierusalem, ut iis fortiter obsistamus, qui dicunt: exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea, pro loci ac muneris nostri ratione silere diutius nec possumus, nec debemus, sed creditum nobis fidei ac religionis depositum omni qua possumus ope, ne quid detrimenti capiat, custodire ac tueri volentes, ne latius manet in Ecclesiae animarumque perniciem exitialis operis lues: Ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus in tota republica Christiana Generalibus Inquisitoribus adversus haereticam pravitatem auctoritate apostolica deputatis, opus ipsum cum adiectis quoque notis seu correctionibus novo examini subiiciendum commisimus: qui consultis primum Theologis ad censuram ferendam designatis, eorumque iudiciis mature expensis, in Congregatione deinde Generali coram nobis habita feria V die 11 Aug. nuper elapsi quid de opere ipso statuendum foret, per sua nobis singillatim suffragia exposuerunt. Itaque ex-

ceptis eorum sententiis, inspectisque Theologorum censuris, motu proprio — opus praedictum — tamquam continens doctrinam atque propositiones falsas, perniciosas, et scandalosas, ac incredulitatem et religionis contemtum inducentes, morum corruptelae atque impietati viam facile aperientes damnamus ac reprobamus etc. Datum Romae die 3. Sept. 1759." *Bullar. Rom. continuatum.* Tom. 1. Romae. 1835. p. 222.

Decennium VII. a. 1760—1769.

a) Contra Primatum.

572. **Iac. Andr. Taddel** *disput. exeg. dogm. polemica de infallibilitate Apostolorum, Naturalistis nostri aevi opposita.* Rostochii. 1760. Auctor protestans non negat Apostolorum infallibilitatem, imo eam vindicat contra Naturalistas, sed ex eius concessione non sequi, ut etiam Papa sit infallibilis, contendit.

573. **Car. Blascus** *De collectione Canonum Isidori Mercatoris Commentarius: in quo de collectionis origine et fortuna disseritur, deque persona ac praecipuo collectoris proposito inquiritur, fraudes item impostoris deteguntur.* Neapoli. 1760. Auctor ubique prensat occasionem, contra augmenta nescio qualia Potestatis Pontificiae ex Isidori huius collectione exorta debacchandi.

674. **Iac. Scheppius** pastor Hornbacensis, *diss. theologica de praerogativis Apostolorum.* 1761. Continetur in ‚Nova Bibliotheca Bremensi. Cl. I. p. 416.' Primatum Petri et successorum ad figmenta Papicolarum, ut vocat, refert.

575. **Frid. Eberh. Boysen** *acta inter S. Cyprianum et Stephannm in disceptatione de haereticis baptisandis collecta, vindicata, et animadversionibus illustrata.* Lipsiae et Quedlinburgi. 1762. Contra auctoritatem Papae, et pro sententia Cypriani se enunciat.

576. *Göttingische Wochenblätter.* 116. Heft. 1763. Velut media revehendae unionis inter Catholicos, et Protestantes proponit: Auctoritatis papalis imminutionem, Eppalis elevationem et in originaria sua iura reductionem, Conciliorum vero supremam potestatem, cui et Papa subesse teneatur.

577. **I. Petr. Miller** *Papa Romanus Ariani Regis in re-*

ligionis causa legatus, atque hinc ordinandae tolerantiae sequester. Ulmae. 1763.

578. **Ioan. Ern. Schubert** *commentatio historico-theologica de iurisdictione Pontificis Romani in terris Principum Rom. Cath.* Helmstadii et Halae. 1764. Divinam institutionem Papatus negat, et inter hunc, ac fidem Ecclesiae Romanae distingvendo asserit, posse manere fidem Romanam, etsi Papatus iugum excutiatur.

579. **Fried. Eberh. Rambach** *unpartheiische Historie des Pabstthums, von der ersten Gründung des Stuhls zu Rom bis aufs Trid. Concilium; entworfen von einer Gesellschaft gelehrter Männer in England.* Magdeburg und Leipzig. 1766. Auctor prius vertit anglicam historiam *Boweri*, ut suo loco monuimus, hic velut originale novum opus de Papatu scribere voluit, et instar continuationis Boweri.

580. **Antonius Pereira** Congr. Oratorii Presbyter, *de potestate Epporum.* Ulyssipone. 1766. omnia fere iura Primatus, sed praecipue ius dispensandi impugnat.

581. *Petrus non petra: dissertatio theologica antipontificia.* 1767.

582. **Pereira** *della Podesta de' Vescovi circa le dispense ne' publici impedimenti di matrimonio, e l' assolutione de' Casi riservati al Papa. Diss. theol. can. critica.* Venezia. 1767. Italica editio libri supra citati.

583. *L' Antipapisme revelé, ou les Reves de l' antipapiste.* Geneve. 1767.

584. **Ioan. Christoph. Köcher** *observationes selectae, controversias, quae inter Pontificios et Protestantes agitantur, illustrantes.* Ienae. 1767. Totum pene opusculum contra Primatum dirigitur, inserta etiam dissertatione de Pauli Primatu, a. 1758. edita.

585. *Di una riforma d' Italia ossia dei mezzi di riformare i piu cattivi costumi e le piu perniciose leggi d' Italia.* Villafranca. 1767. Praecipuum caput reformationis Italicae in Rom. Pontifice invenit, cuius auctoritatem ita deprimit, ut praeter titulum Eppi Romani nil remaneat.

586. **Phil. Engelb. Schade** *uraltes Lutherthum und ganz neues Papstthum aus der bewährtesten Autorum Schriften gezeigt.* Erlangen. 1767.

587. **Teller** *pars actorum inter Asiaticas et reliquas Ecclesias super controverso sacrorum Paschatis tempore ex Eusebii commentariis, graece et latine cum notis grammaticis et commentario historico-dogmatico.* Helmstadii. 1767. Contra Victorem Papam.

588. **Ferd. Ambr. Fidler,** O. S. Aug. dein apostata, *der Proselyt, oder Versuche über die wichtigsten Glaubenslehren der römisch-kath. Kirche, der Welt zur gründlichen Beurtheilung vorgelegt.* Leipzig. 1768. ss. Plurimis locis operis istius contra Primatum scribit.

589. **Pereira** identidem citatus, *responsio apologetica ad ‚P. Gelindo' super censura eiusdem de libro, qui agit de potestate Epporum.* Matriti. 1768. Lingva portugallica.

590. Idem, *appendix, et illustratio censurae super libro de potestate Epporum.* Ulyssipone. 1768.

591. **Hoffmann** *de titulo Epporum: Sedis Apostolicae gratia.* Vittebergae. 1768.

592. **Riegger** *Institutiones Iurisprudentiae Ecclesiasticae.* Viennae. 1768. In sensu, primatialibus Papae iuribus adverso.

593. **I. Schubert** *Geschichte des Röm. Pabstes Vigilius, nebst einigen Betrachtungen über die Päbste, Concilia, und Glaubensformeln.* Halle. 1769.

594. *Theses in Academia Austriaca Viennensi examinandis pro gradu Theologiae praescriptae.* 1769. Inter eas de Rom. Pontifice sunt sequentes: 1. In fidei quaestionibus praecipuae Summi Pontificis sunt partes — 2. Nec tamen irreformabile est eius iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit — 3. Concilium Generale supremam habet etiam supra Rom. Pontificem potestatem.

595. **Le Bret** *pragmatische Geschichte der so berufenen Bulle ‚in Coena Domini', und ihren fürchterlichen Folgen für den Staat und die Kirche.* 1769.

596. *Essai historique et critique sur les Exemtions des Reguliers.* Paris. 1769.

597. **Contini** *Riflessioni sopra la Bolla ‚in Coena Domini.'* Venezia. 1769.

598. **Ferd. Ambr. Fidler** apostata Religiosus paulo ante memoratus, *Antipapistisches Journal, oder der unpartheiische*

Lutheraner; als das Supplement und der Anhang zum Proselyten. Hamburg und Leipzig. 1769. ss. Est alterum scriptum periodicum viri huius, in qualibet fere pagina contra Primatum debacchantis.

599. **I. Andr. Serrao,** *de claris Catechistis.* Neapoli. 1769. Auctor, primum Professor, dein Eppus Potentinus, in praevio libro auctoritatem Primatus nimium extenuavit; cuius sequela fuit, diuturnior mora S. Sedis in confirmanda eiusdem electione Eppali.

---

b) Pro Primatu.

DXXI. **Ioan. Damiani** Can. Vaciensis, *doctrina verae Christi Ecclesiae ab omnibus praecipuis haeresibus vindicata.* Posonii. 1760. Controversia 77. ss. de Primatu agit.

DXXII. **Franc. Götzenberger** S. I. *baufälliger Wächterthurm gegen den Felsen der r. k. Kirche, sammt der schwachen Stütze dieses Wächterthurms und dessen endlichen Fall.* Augsburg. 1760. Liber vehemens contra Lutheranos, Petram Ecclesiae oppugnantes.

DXXIII. **Franc. Tomicich** *diss. critica de Cathedra Romana Petri.* Graecii. 1750. Contra *Salmasium* aliosve Protestantes iter et eppatum Romanum Petri tuetur.

DXXIV. **Adrianus Daude** S. I. *maiestas Hierarchiae Eccl. a Summi Pontificis regali sacerdotio, Cardinalium eminentissimâ purpura, Patriarcharum AEpporum Epporum sacratiore principatu, Praesulum minorum sublimi dignitate, Ecclesiarum Cathedralium illustrissimo splendore, Collegiatarum insigni decore, parochialium pietate et zelo, totiusque vener. cleri pulcherrimo ordine ac disciplina commendata; ex dogmatibus theologicis, sacris Canonum statutis, historia eccl. et civili proposita.* Bambergae. 1760. Pars I. Altera pars agit de Religiosis.

DXXV. **Oberndorffer** O. S. B. *auctoritas Ecclesiae Christi, eiusque in terris Capitis Romani Pontificis.* Aug. Vind. 1760.

DXXVI. **Casteelius** *selecta ex Historia Eccles. Opus posthumum cura* **Ignatii Heyegg.** 1760. Controversia 35 est de *Honorio* Papa. Auctoris huius iam priore decennio meminimus.

DXXVII. **Angelus Franczoia** *Theologia morum per*

‚Herm. Busenbaum‘ primum tradita, nunc ad doctrinas D. Thomae revocata; cum duabus disputationibus, altera de Summi Pontificis et Oecum. Conciliorum auctoritate, altera de praedestinatione et gratia. Bononiae. 1760.

DXXVIII. **Bernardus ab Annunciatione** *ritus universi Hierarchiae Eccl.* Collimbriae. 1760. Ordo primus est de Romano Pontifice.

DXXIX. **Leoni** Professor Patavinus *‚Storia delle Vite de' Pontefici di ‚Bart. Platina‘ e d' altri Autori, dal Salvator nostro I. C. fino a Clemente XIII. Editione novissima.* Venezia. 1760. ss.

DXXX. **Greg. Hoch** O. *S.* Fr. *de infallibilitate Ecclesiae et Rom. Pontificis.* Pragae. 1760.

DXXXI. *Katholischer Lutheraner d. i. handgreiflicher Beweis aus den Schriften Lutheri, dass ein Lutheraner den wahren kath. römischen Glauben annehmen und öffentlich bekennen könne, ohne einen Nagelbreit von der reinen Lehre des Herrn Lutheri abzuweichen.* Cöln. 1760.

DXXXII. **Mart. Gerbert** O. S. B. *de communione potestatis eccles. inter summos Ecclesiae Principes, Pontificem et Eppos.* S. Blasii. 1761. Auctor tenet quidem nonnullas sententias, potestati Epporum faventes, sed supremam Romanae Sedis auctoritatem ubique tuetur, et argumenta adversariorum ex exemplis nonnullorum Pontificum praetensive aberrantium desumta refellit.

DXXXIII. **Ioan. Haiden** S. I. *Appendix ad exercitationes chronologicas de profectionis, Romanae Sedis, et obitus annis Principis App. Petri.* Pragae. 1761. Opusculum hocce etiam sub sequente titulo citatur: Appendix ad Exercitationes chronologicas de itinere Petri Romano et commoratione.

DXXXIV. **Ignat. Hartung** S. I. *diss. inauguralis theologica de Primatu auctoritatis S. Petro eiusque in Sede Romana successoribus collato. Defendit* **Phil. Chr. Haimb.** Heidelbergae. 1761.

DXXXV. **Hieremias a Bennettis** *privilegiorum in persona S. Petri Romano Pontifici a Christo Domino collatorum vindiciae.* Romae. 1761.

DXXXVI. **Garnerii** S. I. *Liber diurnus Rom. Pontificum.* Viennae. 1762. Primam editionem in literatura anni 1680. exhibuimus.

DXXXVII. **Thom. Holzklau** S. I. *dissertatio de Honorio Pontifice in causa fidei contra Monothelitas.* Wirceburgi. 1762.

DXXXVIII—DLXIX. **Fr. Ant. Zaccaria** S. I. *Thesaurus Theologicus, in quo Natalis Alexandri, Dion. Petavii, I. Sirmondi, I. Mabillonii, P. Coustantii, Gabr. Danielis, Henr. Card. Norisii, I. Garnerii, aliorumque clarissimorum virorum dissertationes theol. hist. criticae exhibentur.* Venet. 1762. s. Auctor sive collector diserte monet lectores in praefatione ad Antifebronium: Thesauro huic inserta fuisse nonnulla opuscula inconsulto ac inscio Collectore, ab eius consilio aliena, aut inutilia, aut minus probanda, imo et reiicienda. Ne quis decipiatur, Tomo XIII inseruit Zaccaria indicem auctorum ab se delectorum, ceteris furtim illuc illatis. Recensemus iam dissertationes ad Primatum pertinentes;

1. Tom. II. opusc. 5: **Natalis Alexandri** diss. de Liberii, Osiique lapsu, nec non de Pontificatu Felicis.

2. T. II. opusc. 6: **Zaccariae** *dissertatio de commentitio Liberii lapsu.*

3. T. IV: **Const. Roncaglia** *animadversiones in eam superiorem potestatem, quam Hadrianus I. exercuit in septima Oec. Synodo.*

4. T. VII. opusc. 3: **Piacevich** *controversia de Primatu Romanae Ecclesiae.*

5. opusc. 1: **Natalis Alex.** *dissert. de Nicaeni Concilii convocatione.*

6. opusc. 2: **Natalis Alex.** *diss. de praeside Nic. Conc.*

7. opusc. 3—8: Eiusdem *diss. de CC. Gen. II—VII.*

8. opusc. 14: Eiusdem *diss. de S. Athanasii ad Iulium Rom. Pontificem confugio.*

9. Eiusdem *diss. de sessione S. Petri Romae.*

10. **C. Roncaglia** *animadversiones quoad infallibilitatem Rom. Pontificibus concedendam, dum quaedam ad facta pertinentia definiunt.*

11. **Onuphrii Panvinii** *de Primatu Petri et Apost. Sedis potestate contra Centuriarum auctores.*

12. **I. Kessels** *tractatus de Cathedrae Petri perpetua protectione et firmitate.*

13. **Petitdidier** *tract. theol. de auctoritate et infallibilitate summorum Pontificum.*

14. **Natalis Alex.** *diss. de controversia, quae secundo seculo emersit circa celebrationem Paschatis.*

15. Eiusdem *diss. de lapsu Marcellini Rom. Pontificis, et de Sinuessana Synodo.*

16. Eiusdem *diss. de Zosimi iudicio in causa Coelestii.*

17. Eiusdem *diss. de epistola S. Leonis dogmatica ad Flavianum, in C. Chalcedonensi approbata.*

18. Eiusdem *diss. de Honorii damnatione in Sexta Synodo Oec.*

19. **Ioan. Gisbert** *de Honorio Pontifice in causa Monothelitarum dissertatio theologica.*

20. **Ioan. Garnerii** *de causa Honorii Summi Pontificis et sextae Synodi Generalis.*

21. Tom. X. opusc. 5—7: **Natalis Alex.** *diss. de controversia, quae S. Cyprianum et Africanos Eppos, Firmilianumque et Orientales cum Stephano R. P. commisit.*

22. opusc. 8: **Petri Coustantii** *diss. qua vera Stephani circa receptionem haereticorum sententia explicatur.*

23. opusc. 9: **Natalis Alex.** *quaestio unica adversus rebaptisantium errorem.*

24. Eiusdem *diss. praecedentis appendix, de Concilio plenario, quod controversiam de baptismo haer. diremit.*

25. Tom. XII: **Natalis Alex.** *diss. de S. Petri et Rom. Pontificum Primatu.*

26. Eiusdem *de sensu Can. VI. Nicaeni diss.*

27. Eiusdem *diss. utrum canon III de secundo Eppi CPni in Ecclesia loco et honoris primatu post Romanum sit in secunda Synodo Oec. constitutus?*

28. Eiusdem *diss. de iure appellationum eppalium ad Sedem Romanam, quod Sardicense Concilium suis canonibus asseruit.*

29. Eiusdem *diss. utrum Marcion a patre pulsus ex Ecclesia Romanum Pontificem appellaverit?*

30. Tom. XIII: *De dissidio inter S. Stephanum et S. Cyprianum super baptismate haereticorum exorto diss. dogmat.*

671—677. **Febronius** *de statu Ecclesiae et legitima potestate Rom. Pontificis liber singularis. Tomus II. ulteriores operis vindicias continens.* Francof. et Lips. 1770. Auctor non tacuit: sed nonnullos ex adversariis suis, qui eum magis pupugere, refutandos suscepit. Continet hic Tomus sequentia:

1. **Universitatis Coloniensis** *de proscriptis a SS. D. N. Clemente XIII Actis Pseudosynodi Ultraiectinae a 1765. et libris I. Febronii a. 1764. Iudicium Academicum, notis et observationibus criticis examinatum, emendatum, et reformatum.* Qualenam de hoc Iudicio depromserit votum Febronius, iam suo loco monuimus.

2. *Responsum ad epistolam, quam quidam sub ‚Ladislai' nomine in Febronium conceptam evulgavit.* Contra *Sappelium,* in forma dialogi.

3. *Notae criticae breves in ea, quae Iesuita Ingolstadiensis ‚P. Fr. X. Zech' adversus pacificum Febronii systema nuper edidit.*

4. **Ioannis a Calore** *ICti apologia pro ‚Iustino Febronio' adversus IV Theologos: G. Kauffmans Prof. Colonienſem, Gregorium Trautwein Abbatem Svevum, N. Sangallo, Minoritam Venetum, et Lad. Sappel Recollectum provinciae Alemanniae.* Apologus vindicias agit scriptorum, e quibus Febronius sua hausit, puta Sarpii et Van Espenii: magnaque insectatur acerbitate Febronii adversarios, cumprimis Trautweinium.

5. **Theodori a Palude** (Febronii) *Flores sparsi ad Iustini Febronii librum — adversus ‚Franc. Ant. Zaccaria' S. I. quondam Ser. Ducis Mutinensis Bibliothecarium.* Zaccariam praecipuum zizaniorum sparsorem compellat.

6. **I. Febronii** *de subtractione obedientiae Romano Pontifici debitae epistola ad Doctores Univ. Coloniensis, ad ‚Fr. X. Zech' S. I. et ad ‚Ios. Kleiner' S. I. Professores Ingolst. et Heidelb.* Defendere nititur tractatum, quem super hoc argumento in suo opere concinnavit.

DCCXXXVIII. **Car. Traversari** O. Serv. *de Romani Pontificis Primatu adversus Febronium theologico-historico-critica dissertatio.* Faventiae. 1771. Auctor, qui in hoc libro nomen *Ennodii Faventini* assumsit, Faventiae coctum quoque adunavit literarium ad confutanda Febronii placita.

DCCXXXIX. **Fr. Ant. Zaccaria** S. I. *Antifebronius vindicatus: seu suprema Rom. Pont. potestas adversus ‚I. Febronium' eiusque vindicem ‚Theodorum a Palude' iterum asserta et confirmata. 4 vol.* Cesenae. 1771.

DCCXL. **Ant. Schmidt** S. I. Professor Heidelbergensis, *Institutiones Iuris Eccles. Germaniae accomodatae.* Heidelb. 1771. Systema Febronii egregie perstringit.

DCCXLI. **Lad. Sappel** *liber singularis contra ‚I. Febronii' tomum secundum: quo nominati auctoris aliorumque scripta hucusque in praeiudicium Ecclesiae edita ulterioribus atque authenticis instrumentis debellantur.* Aug. Vind. 1771. Est velut alter tomus operis Sappeliani contra Febronium.

678. *Urtheile eines protestantischen Schriftstellers über das Buch des ‚I. Febronius' zum Zeitvertreibe der Frauenzimmer im Hornung.* 1771.

679. 680. **Chr. Wilh. Fr. Walch** *Geschichte der neuern Streitigkeiten mit dem Römischen Hofe, in einem systematischen Zusammenhange;* et: *Geschichte des von ‚Iustino Febroni' herausgegebenen Buchs und der darüber entstandenen Streitigkeiten.* Utraque disquisitio continetur in periodico opere Auctoris: ‚Neueste Religionsgeschichte. I. Thl. Lemgo. 1771. p. 55. 145.' Auctor, recensens historiam controversiae Febronianae, una declarat: consilium Febronii de reuniendis dissidentibus per Protestantes acceptari haud posse, cum praeter externum eccles. regimen multa sint, quae Protestantes reiicere debeant in doctrina catholica.

DCCXLII. **Zaccaria** S. I. *Antifebronius vindicatus. Editio nova.* Francof. et Lips. 1772.

DCCXLIII. *Confutazione dell' opera di Febronio.* Faënza 1772. Dirigitur maxime adversus epistolas dedicatorias operi Febroniano praefixas.

DCCXLIV. **Berg** S. I. *disquisitio in Febronii systema de tribus Eppis S. Petri adhuc viventis in Romana Cathedra successoribus.* Colon. 1772. Similis argumenti librum ab auctore

iam prius contra *Nellerum* Trevirensem ICtum vulgatum fuisse suo loco innuimus.

681—685. **Febronii** *de statu Ecclesiae etc. Tomus III. ulteriores operis vindicias continens.* Francof. et Lips. 1772. Huic volumini insunt :

1. **Danielis Bertoni** *bona causa ‚I. Febronii' adversus epistolas Italicas ‚P. Viatoris a Cocaleo' a 1768. ex agro Brixiensi exaratas, et alios Scriptores defensa.*

2. *Examen libelli a. 1770 editi hoc titulo : ‚Iugement d' un Ecrivain Protestant touchant le livre de I. Febronius.'* Librum hunc *Felleri* nominat ‚protestantico-iesuiticum.'

3. *Animadversiones Febronianae in ‚P. Ant. Schmidt' S. I. Institutiones Iuris Eccl. Germaniae accomodatas.*

4. *I. Febronii responsiones ad postulata ‚Chr. W. F. Walch' Th. Doct. et Prof. primarii in Univ. Gottingensi.*

DCCXLV. **Schmidt** S. I. *Vindiciae adversus responsiones a ‚I. Febronio' variis locis Institutionum Iuris Eccles. Heidelbergae 1771. editarum oppositas.* Heidelb. 1772. Recusae in ‚Thesauro I. Eccl. T. II. p. 46.'

DCCXLVI. *Italus ad Febronium de statu Ecclesiae, seu de hac materia epistolae eximiae P.* **Viatoris a Cocaleo,** *O. Capuc. prov. Brix. Provincialis.* Francof. 1773. Est nova editio libri 1770. vulgati.

DCCXLVII. **Ioan. Carrichius** Theologus Coloniensis, *de Ecclesia, Romanique Pontificis et Epporum legitima potestate libri tres, contra perturbatores ecclesiasticae Hierarchiae ac pacis, istorumque principem ‚Iustinum Febronium.'* Tom. I. Colon. 1773. Tomo primo plus non prodivit. Opus eximium.

DCCXLVIII. **Mignarelli** Bononiensis, *in tertium ‚I. Febronii' tomum animadversiones romano-catholicae tribus capitulis comprehensae.* Bonon. 1773.

686. **Febronii** *de statu Ecclesiae etc. Tomus IV. pars prima. Ulteriores operis vindicias continens.* Francof. et Lips. 1773. Continet hic tomus : *Novam defensionem ‚Febronii' adversus ‚Fr. Ant. Zaccaria' S. I. antifebronium vindicatum, et alia recentiorum opera.*

DCCXLIX. **Zaccaria** S. I. *in tertium ‚I. Febronii' tomum animadversiones romano-catholicae tribus epistolis comprehensae : accedit appendicis instar S. Cypriani Eppi Carthagi-*

nensis et Martyris liber de Unitate Ecclesiae cum adnotationibus ill. Massiliensis Eppi, nunc primum ex gallico idiomate latine redditis, aliisque editoris adversus ‚Febronium, Böhmerum et Schubertum,' recentissimum inter Protestantes pontificii primatus oppugnatorem. Romae. 1174. Prout Bononiensis ‚Mignarelli,' ita et auctor per tres epistolas, quaevis Febronii asserta confutat; in appendice autem insuper alios Protestanticos scriptores castigat, qui textus S. Scripturae de Primatu contorquent, et enervare adlaborant.

DCCL. *Italus ad Febronium, pro supplemento ad Tentamina Theologica. Tomus alter, cui Italicae adduntur Vindiciae in larvatum Danielem Bertonum.* Tridenti. 1774. Est continuatio Epistolarum, quae 1770. vulgatae fuere, cum insertis Vindiciis adversus ea, quae Febronius sub nomine Danielis Bertoni Tomo III. P. Viatori a Cocaleo, Epistolarum auctori, opposuerat.

DCCLI. **Clericus Nicol. Paschalius** *de ratione regendae Ecclesiae, deque Pontificis Maximi in Christiana Republica iure et potestate theses theologicae.* Romae. 1774. Theses contra Febronium dirigit, et monarchiam, infallibilitatem ac superioritatem supra Concilia propugnat.

DCCLII. **L. Sappel** *liber singularis contra Febronii tomos III. et IV. quo ostenditur, in quales scopulos huius navarrchi infelix navicula impegerit.* Aug. Vind. 1774. Est tertium volumen operum Auctoris adversus Febronium.

687. **Febronii** *de statu Ecclesiae etc. Tomus IV. pars secunda, ulteriores operis vindicias continens.* Francof. et Lips. 1774. Continuatur nova defensio Febronii contra Antifebronium *P. Francisci Zaccaria.*

DCCLIII. **L. Sappel** *liber singularis contra Febronium, quo exhibetur decennalis belli Febroniani finis, exitus et complementum.* Aug. Vind. 1775. Est quartum volumen operum auctoris contra Febronium.

DCCLIV. **Christoph. Sonnleithner** ICtus, *dissertatio antifebroniana de infallibili Ecclesiae dispersae consensu.* Viennae. 1775.

DCCLV. **Bergier** vulgavit gallicum opus *pro instructione illorum, qui in systemate Febroniano nil nisi illuminationem, veritatem, et soliditatem invenire sibi blandiuntur.* 1775. In

forma epistolae ad Principem virum scriptae castigat systema Febronii.

DCCLVI. **Thomas Mamachius** O. Praed. *Epistolarum ad ‚I. Febronium' ICtum de ratione regendae Christianae Reipublicae, deque legitima Rom. Pont. potestate liber primus.* Romae. 1776. Epistolis his accessit tertia Romae. 1777. In his, quae lucem videre, epistolis, ostendit : Febronium Gallis longius processisse, eum Pufendorfianis stare pedibus, plurimasque ex Protestante Hollando paginas transscripsisse, eiusque doctrinam plurimarum Ecclesiarum et omnium seculorum calculo damnari.

688. **Walch** *Fortsetzung der Nachricht von dem über ‚I. Febronii' Buch : De statu Ecclesiae etc. in der römischen Kirche entstandenen Streitigkeiten.* Continetur in periodico auctoris opere : ‚Neueste Religionsgeschichte. VI. Thl. Lemgo. 1777.' p. 177.

689. **I. Febronius abbreviatus et emendatus,** *i. e. de statu Ecclesiae tractatus ex S. Scriptura, Traditione, et melioris notae catholicis Scriptoribus adornatus ; ab Auctore ipso in hoc compendium redactus.* Colon. et Francof. 1777. Praemittitur epistola Febronii *Mamachio* inscripta, huius epistolarum quasi quaedam refutatio. Opus autem ipsum in nonnullis locis mitigatum, emendatum ac retractatum.

690. *Nachricht von den Febronianischen Streitigkeiten in der kathol. Kirche.* Continetur in Scripto periodico : ‚Die neuesten Religionsbegebenheiten mit unpartheiischen Anmerkungen. Giessen. 1778. p. 501. 806.' Est extractus libri Febroniani.

DCCLVII—DCCLXI. *Acta in Consistorio secreto, habito a SS. D. N. Pio Papa VI feria 6. Dec. 1778.* Romae. 1778. Continentur hic V monumenta summi momenti : 1. *Allocutio Papae de retractatione Febronii ;* 2. *Literae Clementis Venceslai AEppi Trevirensis ad Papam ;* 3. *Epistola Febronii ad Papam ;* 4. *Breve Pii VI ad AEppum ;* 5. *ad Febronium, sive Nicolaum ab Hontheim Suffraganeum Trevirensem.* Omnia haec in Monumentis Primatus per extensum exhibuimus. Febronius itaque, postquam XIV annis doctrinam sui Febronii propugnasset, eandem die 1. Novembris 1778. solemniter retractavit. De *Retractatione* hac plura vulgabantur tam praesenti decennio, quam deinceps quoque, scripta.

DCCLXII. **Buininck** *de retractatione Iustini Febronii recitatio extemporalis.* Düsseldorpii. 1779.

DCCLXIII. Idem, *Erzählung aus dem Stegreife von dem Widerrufe des ‚I. Febronius': aus dem Lateinischen ins Deutsche übertragen von* **Sieger.** Frankf. u. Leipz. 1779.

DCCLXIV. **Iul. Ant. Sangallus,** saepe laudatus, *Romani Pontificis auctoritas summa, ius, et praestantia, Oecumenicorum Conciliorum atque Ecclesiae Gallicanae placitis asserta, defensa, et vindicata. Accedit diss. historica de Isidorianis decretalibus, nec non censura praecipuorum auctorum, quos Iustinus Febronius in suo singulari libro cudendo consuluit; omnia IV libris comprehensa.* Faventiae. 1779.

691. *Einiges über den bekannten Iustinus Febronius, seine Meinungen, seinen Widerruf. Für Nichtgelehrte zusammengetragen von einem Unpartheiischen.* Frankf. u. Leipzig. 1779.

692. **Walch** *zweite Fortsetzung der Nachricht von den über I. Febronii Buch: de statu Ecclesiae etc. in der römischen Kirche entstandenen Streitigkeiten.* Continetur in opere Auctoris periodico : ‚Neueste Religionsgeschichte. VII. Thl. Lemgo. 1779. p. 195. 455.'

693. *Widerruf des Febronius.* Continetur in scripto periodico : ‚Die neuesten Religionsbegebenheiten mit unpartheiischen Anmerkungen. Giessen. 1779. p. 485.'

694. *Urkunden, betreffend den am 1 Nov. 1778. von Herrn Nic. v. Hontheim vor dem päbstlichen Stuhl zu Rom schriftlich gethanen Widerruf seines unter dem Namen ‚Justinus Febronius' herausgegebenen gelehrten Werks — nebst einer Nachricht von diesem Buche und von den über dasselbe entstandenen Streitigkeiten.* Continetur in opere periodico: ‚Acta historico-Ecclesiastica nostri temporis. Weimar. 1779. 39. Thl. p. 853.'

DCCLXV. **Febronii** *Epistola ad Clerum et populum Trevirensem reprobatoria ac prohibitoria suorum librorum sub nomine ‚Iustini Febronii' editorum.* Ratisbonae. 1779. Hanc quoque epistolam inter Monumenta Primatus lector inveniet. Recusa fuit Agriae. 1779.

695. *Reflexiones in Literas retractatorias, ‚Iustini Febronii' die 1 Nov. 1778 Romam missas.* Francof. et Lips. 1779.

DCCLXVI. **Franc. Georg. Ditterich** Professor Argentinensis, *de Primatu Rom. Pontificis dissertationes tres Iustino*

Febronio abbreviato et emendato oppositae. Argentinae. 1779. Carpit et castigat ea, quae Febronius ad extenuandum Primatum iurisdictionis in Compendio suo sive Febronio abbreviato proposuit.

---

d) Literatura de Incredulis.

Gallos incredulos decennio VIII impugnabant:

DCCLXVII. **Flexier de Reval** *Catechisme philosophique ou recueil d' observations propres a defendre la Religion chretienne contre ses ennemis.* Liege. 1772.

DCCLXVIII. **Car. Fr. Champion de Nilon** S. I. *critique posthume d' un ourrage de Voltaire.* Londres. 1772.

DCCLXIX. **Nic. Silv. Bergier** Can. Paris. *Reponse aux conseils raisonnables.* 1772.

DCCLXX. **Nonnotte** *Dictionnaire philosophique de la Religion, ou l' on etablit tous les points de la Religion attaques par les Incredules, et ou l' on repond a toules leurs obiections.* Avignon. 1772.

DCCLXXI. **Paulian** S. I. *Dictionnaire philosophique, theologique.* Nismes. 1774.

DCCLXXII. **Nonnotte** *philosophisches Lexicon der Religion, worinnen alle von den Ungläubigen angefochtenen Religionspuncte festgesetzt, und alle Einwürfe derselben beantwortet werden.* Augsburg. 1775.

DCCLXXIII. **Ios. Kleiner** S. I. *aphorismi incredulorum nostri aevi cum adnotationibus.* Heidelb. 1778.

Decennium IX. a. 1780—1789.

Magna est Literatura huius, et sequentis una ultimi decennii praesentis Seculi: quae tamen, quia potissimum relationem Pontificatus ad Imperium Civile attingit, commodius ad hanc relegatur. Hic duntaxat opera, quae stricte ad literaturam Primatus pertinent, more solito recensemus.

a) Contra Primatum.

696. **Ant. Pereira** *Protestation wider die Römischen Kanzleiregeln, oder Beweis vom Rechte der Metropolitane über*

ihre Bischöfe. Aus dem Portugiesischen ins Deutsche übersetzt, und mit einigen Anmerkungen begleitet von **I. Fr. le Bret.** Frankf. u. Leipz. 1780. Est nova editio libelli, iam citati.

697. **Rob. Curalt** O. Cist. *genuina totius Iurisprudentiae sacrae principia, nova concinna facilique methodo pertractata.* Viennae. 1781. Duplici huic fundamentali sententiae superstruit totum Iurisprudentiae suae aedificium: videlicet claves a Christo immediate Ecclesiae traditas esse, et potestatem Ecclesiae esse pure spiritualem.

698. *Vindiciae S. Gen. Concilii Constantiensis, queis Sessionum IV. et V. auctoritas oecumenica vindicatur.* Pragae. 1781. Duces sequitur Bossuetum, et Natalem Alexandrum.

699. **Henke** *historia antiquior dogmatis de unitate Ecclesiae.* Helmstadii. 1781. Internam duntaxat unitatem admittit, externam seu primatum reiicit.

700. *De l' Eglise, du Pape, de quelques points de controverse, et des moyens de reunion entre toutes les Eglises Chretiennes.* Geneve. 1781.

701. *Von den päpstlichen Reservationen der Gewissensfälle.* Est in scripto periodico: *Der Freimüthige: Eine Monatschrift von einer Gesellschaft zu Freiburg i. B.* I. Ulm und Freiburg. 1782. p. 120.

702. *Von der Nachtmalsbulle oder ‚in Coena Domini.'* 1782. Continetur in eodem periodico scripto p. 189.

703. *Von den Annaten.* 1782. In eodem scripto periodico p. 314.

704. *Tractatus dogmaticus et scholasticus de Ecclesia.* Romae. 1782. Duo tomi. Fictus editionis locus. Auctor pro fallibilitate Papae, proque inferiore auctoritate respectu Concilii, demum pro licita appellatione a Papa.

705. *Abregé de l' origine et du progres du Papisme.* Leyde. 1782.

706. **Gatterer** *memoria seculi Hildebrandini.* Gottingae. 1782.

707. **Bruder M.** *Beruhigung eines Katholiken über die päpstlichen Bullen wider die Freimaurerei.* Cosmopoli. 1782. Contra bullas Clementis XII. et Benedicti XIV.

708. **Car. Baro Tauber** Can. Brunensis, *Abhandlung*

von der hierarchischen Gewalt der heil. allgem. Kirche. Wien. 1782. Potestatem Papalem subiicit potestati Ecclesiae.

709. *Discorso indirizzato al Papa, da un Filosofo Tedesco.* 1782.

710. **Schnaubert** *kurzer Abriss des Papal- und Episcopalsytems.* Giessen. 1782. Disquisitio haec inserta est operi alteri auctoris: ‚Beiträge zum Staats- und Kirchenrecht.'

711. **Casp. Royko** *Geschichte der Kirchenversammlung zu Kostnitz.* Wien und Prag. 1782. Opus contra potestatem Papae directum.

712. *Über Pabstthum und katholische Klerisey. Fragmenta.* 1783.

713. *Il Papa, o siano ricerche sul Primato di questo Sacerdote.* Eleutropoli. (Florentiae) 1783. Liber satyricus.

714. *Einige nicht zu widerlegende Zeugnisse von der Nichtigkeit des Papstthums. Von einem Bibliothecario verfasst, und mit Anmerkungen herausg. von H. C. D. Aus dem Lateinischen übersetzt von Holokleros.* 1783. Novi nil profert, sed potissimum Richerio et Van Espenio magistris nititur.

715. *Bemerkungen über den erzbischöflichen Mechelnschen Hirtenbrief vom 8. Febr. 1783. Vom österr. Pfarrer.* 1783. Aculeos suos dirigit adversus Encyclicam Mechliniensem de Primatu R. P. editam.

716. **Magnus Frid. Roos** Superintendens Lutheranus, *selecta capita doctrinae de Ecclesia, praesenti tempori accomodata.* Tubingae. 1784. Subversionem Papatus proponit tamquam medium reconciliationis.

717. **Raphaël Untersucher** *zwei Kirchenanecdoten.* Leipzig. 1784. Primum anecdoton inscribitur: *Von der Kirchenregierung;* ubi adstruit auctor, primis seculis nulla peculiari potestate instructum fuisse Papam, sed omnes Ecclesias ab invicem independentes extitisse. Alterum sic sonat: *Von der Tradition, dass der heil. Ap. Petrus das römische Bisthum gegründet habe;* hic negat iter romanum et fundationem Eppatus Romani a Petro.

718—724. *Opuscula quaedam satyrica et ludicra tempore reformationis scripta. Ob raritatem nunc recusa. Eme, lege, ride.* Francof. et Lips. 1784. Continet fasciculus opuscula contra auctoritatem Ecclesiae et Papae, de quibus suis locis iam sermo

fuit: signanter 1. Litaniam Germanorum. 2. Lamentationes Germanicae nationis. 3. Passionem M. Lutheri. 4. Mortem et sepulturam doctrinae lutheranae. 5. Sermonem I. Cochlaei. 6. Rhythmos in Romanum quemdam Advocatum.

725. *Von dem Ursprunge und der Gewalt der Bischöfe.* 1784.

726. **Fried. Böhmer** *de iure Epporum innovandi fundationes ecclesiasticas commentatio.* Gottingae. 1784. Eppis tribuit, excluso Pontifice, plenam in quaestione posita potestatem.

727. *Roms gesetzgeberische Gewalt vernichtet: oder flüchtige Untersuchung der Geschichte und Quellen des kanonischen Rechts, worin man dessen Ungewissheit, Missbräuche, und die Nothwendigkeit beweiset, statt desselben einfache Gesetze einzuführen. Aus dem Französischen.* 1784.

728. **Fr. Rudolph v. Grossing** *Pabstengeschichte im Grundriss.* Göttingen und Offenbach. 1784.

729. **Ioan. Godefr. Körner** *tractatus de provocatione ad Sedem Romanam.* Lips. 1785.

730. **I. Mart. Degen** *das bischöfliche Recht, die Coadjutoren bei geistlichen Dignitäten, Präbenden, und Beneficien aufzustellen und zu bestätigen.* München. 1785. Pro iure eppali, et contra ius Pontificis in constituendis Coadiutoribus. Opusculum hoc plura scripta post se traxit:

DCCLXXIV. **Indobler** Chorherr bei dem Stift S. Andrè in Freysing, *Antwort auf das bischöfliche Recht* etc. München. 1786. Pro iure Pontificis.

731. **Degen** *‚Indobler' Chorherrn Antwort auf das bischöfliche Recht.* München. 1786.

DCCLXXV. **Indobler** *Nachtrag zur Antwort auf das von ‚Degen' beleuchtete bischöfliche Recht.* München. 1786.

732. **Venzel Grillparzer** *von der Appellation an den Römischen Stuhl.* Wien. 1785. Dissertatio inauguralis, in Indicem relata a. 1787.

733. **Mich. Ios. v. Pidoll** Canon. Trevir. *Unfug der römischen Quinquennal-Facultäten.* 1785. Scriptiuncula primum a. 1839. in lucem edita per scriptum periodicum ‚Deutsche Blätter für Prot. u. Kath.'

734. *Frage: ob eine allenfallsige Abänderung des Fastengesetzes ‚auctoritate ordinaria' geschehen könne, oder ob es nöthig*

sey, deshalben ‚ad Summum Pontificem' zu rekurriren? 1785. Pro iure Eppi. Quaestio haec proposita fuit Moguntiae pro resolutione, et eius pertractatio continetur in ‚Mainzer Monatschrift von geistlichen Sachen. 1785. p. 695. Auctor erat *Ioannes Jung.*

735. *Ueber die kirchliche Unfehlbarkeit. Von Carl zum M**.* Würzburg. 1786. Auctor oppugnat conciones dogmaticas celebris *Merzii* S. I. de Primatu habitas, huncve duntaxat honorificum, non iurisdictionis esse persvadere cupit.

736. *Von der stufenweisen Erweiterung der päbstlichen Obergewalt zum Nachtheile der Erz- und Bischöfe, besonders in Deutschland.* 1786. : in : ‚Mainzer Monatschrift von geistl. Sachen' p. 962. Pseudo-Isidori decretalibus adscribit augmentum pontificiae potestatis.

737. **Beck** *umständlicher Vortrag über den Ursprung und Fortgang der deutschen Kirche überhaupt, so wie die Gerechtsame der Erz- und Bischöfe insbesondere, dann die von Seiten des Römischen Hofes in beiden versuchten schmälernden Abänderungen,* 1786. Vulgatus fuit praesens articulus in pagellis : ‚Deutsche Blätter für Protestanten und Katholiken. Heidelberg. 1841. II. Heft. p. 93.'

738. **Conte Gian-rinaldo Carli** *dissertazione dell diritto eccles. metropolitano in Italia — e delle elezioni, e dipendenze de' Vescovi.* Milano. 1786. Extollit cum Primatus praeiudicio potestatem Metropolitarum, et contendit: ius convocandi Concilia ad exemplum primorum octo Conciliorum Imperatoribus competere.

739. **Fr. Ant. Haubs** *themata ex historia eccles. de Hierarchia sacra primorum V seculorum.* Treviris. 1786. Contendit: in primitiva Ecclesia numquam fuisse agnitam Primatus monarchicam potestatem aut privilegium inerrantiae, quamdiu solus erat Primas Ecclesiae; item Eppos habuisse potestatem relaxandi leges Ecclesiae commmunes, ignota quavis reservatione papali.

740. 741. **Olaus Gerardus Tychsen** *interpretatio inscriptionis cuficae in marmorea templi Patriarchalis S. Petri Cathedra, qua S. Petrus Apostolus Antiochiae sedisse traditur.* Rostockii. 1787. Cum in inscriptione locus ‚Venetiarum' exmissus sit, perfacile fuit adversariis Primatus coniicere, traditionem de sede S. Petri, quae Romae asservatur, nulli fundamento inniti, siquidem credibile haud sit, ut sedes isthaec inscriptionem mo-

hamedanicam, qualis dictae Venetae cathedrae est, praeseferat. Intercessit de hoc obiecto Auctori operis literarium commercium cum celebri Orientalista *Assemano*, velut patet ex ipsius auctoris opusculo: *Appendix ad inscriptionis cuficae Venetiis in marmorea templi patriarchalis S. Petri cathedra conspicuae interpretationem.* Rostochii. 1790. E quo una intelligitur, auctorem super hoc argumento alios quoque eruditos cum Italos tum Hispanos consuluisse. Ceterum ut in Literatura seculi XIX referetur, historiola de Veneta Sede Petri abusa fuit erudita Anglicana femina *Morgan* ad negandum Primatum, iterque Petri Romanum.

742. **Ferrante Pallavicino** *himmlische Ehescheidung, veranlasst durch die liederliche Aufführung der Römishen Braut. Aus dem Italienischen neu übersetzt, und mit der vollständigern Lebensbeschreibung des Verfassers vermehrt.* Berlin. 1787. Operis istius iam in Literatura Sec. XVII. meminimus.

743. **Thaddaeus Ant. Dereser** *Rechte und Pflichten des Pabstes. Ein Auszug aus den Schriften des heil. Bernardus an Pabst Eugen III.* Bonn. 1787.

744. **Andr. Spitz** O. S. B. *diss. hist. eccles. num attenta historia Ecclesiae universali, ac speciatim attentis Germanorum factis et decretis Basileensibus, a Canonistis Germaniae defendi valeat sententia, quae infallibilitatem Rom. Pontificis, eiusque superioritatem supra Concilium Oec. adstruit. Defendit* **Vischers.** Bonnae. 1787.

745. **Grellmann** *Pontificis Romani Religionis Christianae in Germania auctoritas.* Gottingae. 1787.

746. **Milbiller** *Geschichte des Hildebrandismus.* Leipzig. 1787.

747. *Episcopatui Romano non ita annexum esse dicimus Primatum, ut Ecclesia illum in aliam quamcunque cathedram transferre non possit.* Ticini. 1787. Thesis Ticini publice defensa dicto anno.

748. **Carl Günderode** *das Römische Gesetzbuch. Mit Anmerkungen.* Frankf. u. Leipz. 1787.

749. Idem, *die Römische Religionskasse. Ein Anhang zum Römischen Gesetzbuch, oder die in Teutschland noch zu wenig bekannten Grundsätze des Römischen Hofes. Aus päpstlichen Bullen gezogen.* Karlsruhe. 1787. Opus utrumque summae malitiae, plenum invectivis.

750. **Car. Frid. Dieterich** *de iure convocandi Concilia Oecumenica.* Erfordiae. 1787. Romano Pontifici abiudicat ius convocandorum Conciliorum.

751. Idem, *de Coadiutore Eppi.* Erfordiae. 1787. Aeque contra ius Primatus.

752. **Ioan. Weimer** *iusta Hierarchiae sacrae idea.* Colon. 1787. Centri Unitatis potestatem tantis circumscribit limitibus, ut fere tota potestas Primatialis evanescat.

753. **Köhler** *quid iuris sit circa Coadiutorias in Germania, et num Coadiutor solvere teneatur annatas? Diss. inauguralis.* Mogunt. 1787.

754. **Georg. Wilh. Böhmer** *Magazin für das Kirchenrecht.* 1787. Inseri fecit promtuario suo articulos confictae per Protestantes formulae professionis fidei, praetensive in Hungaria usitatae, quos iam repetitis vicibus in Literatura nostra memoravimus. Cum autem in promtuario Böhmeriano falsa quoque contineretur narratio de formula dicta reapse in usum occasione conversionis duorum Protestantium deducta: Eppus Hildesiensis praemissa investigatione Redactorem promtuarii ad retractandam falsam relationem provocavit, ipseque circumstantiam hanc in Ephemeridibus Hamburgicis vulgari fecit.

755. **Wigandus Kamper** *historia Indulgentiarum cum reflexionibus dogmaticis.* Moguntiae. 1787. Multa congerit contra ius Papae concedendi Indulgentias.

756. **Ios. Petzek** *Untersuchung: ob der Kirchenablass eine Nachlassung der göttlichen Strafe sei, und ob dessen Wirkung sich auf die Seelen der Verstorbenen erstrecke?* Freiburg. 1788. Eiusdem, ac prior, argumenti.

757. **Butschanj** *Untersuchung der Vorzüge des Apostels Petri.* Hamburg. 1788.

758. **Guil. Ios. Castello** *diss. historica de variis causis, queis accidentalis Romani Pontificis potestas successive ampliata fuit.* Aug. Trevir. 1788.

759. *Theses ex Iure Canonico in Universitate Portugalliae Conimbricensi defensae.* 1788. Palam affirmatur in iisdem ‚Primatum iurisdictionis Romano Pontifici non ad sensum hodiernorum Theologorum transmontanorum, sed ad sensum antiquorum Patrum competere.' Huic praemissae accomodantnr positiones de Rom. Pontifice.

760. **Fraitzheim** *diss. inauguralis de 5 praecipuis fontibus Iuris Eccl. Coloniensis specialissimi.* Bonnae. 1788. De textu Matth. XVI. pro Primatu classico pronunciat auctor: ‚omnem traditionem Religionis Christianae iis adversari, qui exinde maiorem Primatis ac reliquorum Praesulum auctoritatem derivant.'

761. *Istoria dei Concilj, e Sinodi approvati dei Papi, arricchita della Cronologia dei Pontefici da S. Pietro sino a Pio VI.* 1788. In Indicem relata.

762. **Meister** *kurzgefasste Geschichte der römischen Hierarchie, und ihrer heiligen Kriege bis zur Vertilgung der Tempelherren.* Zürich. 1788.

763. **Thadd. Dereser** *commentatio biblica in effatum Christi Matth. XVI. 18. 19. Defendit* **Adrianus Wipperfurth.** Bonnae. 1789. Promissionem Christi Petro factam tantopere circumscribit, ut praeter primatum temporis vix ulla realis praerogativa remaneat. Libellus est Indici illatus.

764. *Theses selectae in Univ. Moguntina propugnatae.* Mogunt. 1789. Concernunt tempus schismatis magni Occidentalis, quo ex incidenti proponuntur ea, quae potestatem Primatus infringunt.

765. **Sittig** *funus Papatui paratum.* Vittebergae. 1789.

766. **Alb. Menon. Verpoorten** *diss. de Gregorio VII. Pont. Romano.* 1789.

767. Idem, *Prognostica de potestate Romani Pontificis.* Gedani. 1789. Utut contra Primatum scribat, ad positam tamen sibi quaestionem: an Papa his temporibus suam auctoritatem porro sit manutenturus? affirmative respondet, cum Catholici, ut ait, necessitatem unitatis in Ecclesia propugnent.

768. **Georg. Christoph. Neller** *idea verae Christi Ecclesiae.* Dissertatio in Opusculis auctoris Coloniae 1789. editis Vol. II. contenta. Non negat Primatum institutionis divinae, sed potestatem eiusdem extenuat.

769. *Promemoria über die Macht der Bischöfe in Ansehung der sogenannten vollkommenen Ablässe.* In: ‚*Mainzer* Monatschrift von geistl. Sachen. 1789. p. 1000.' Contra iura Pontificis.

b) Pro Primatu.

DCCLXXVI. **Candidus Romanus** (Monachus O. S. B.) *Honorius I. Pontifex Maximus ab haeresi Monothelitarum vindicatus, adversus P. Car. Güntherodum O. Serv.* 1780.

DCCLXXVII. **Franc. Demarco** S. I. *Difesa di S. Pietro e di altri Pontefici Romani accusati di errore.* Roma. 1780. 35 Pontifices erroris postulatos defendit, et in appendice controversiam Cypriani cum Stephano pertractat.

DCCLXXVIII. **Ioan. Christoph. Döderlein** celebris Protestantium Theologus, in *Institutione Theologiae Christianae*, quam ad vota Hungarorum Altorfii theologiae studentium a. 1780. in lucem edidit, sequentia profert memorabilia verba: ‚Inter hos — pastores, episcopos, doctores — res ipsa svadet, et salus Ecclesiae postulat, et Ecclesiae Apostolicae consvetudo fert, ut pro curarum diversitate ac pondere locorumque ambitu diversa ministeria ordinentur, — ita, ut unus super alterum emineat: — qua ratione minime dubitarem ad Eppum Romanum Capitis Ecclesiae Christianae nomen et honorem deferre, eumque propter potentiorem principalitatem inter Eppos primum salutare.‘

DCCLXXIX. **Pietro Ciminnita** *il diritto delle Romane appellazioni vendicato dalle ingiurie di Edmondo Richer, rinnovate oggidi dalla setta de' Richeriani.* Roma. 1780.

DCCLXXX. **Ioan. Kowalski** S. I. *Conciones de plena a Christo super universam Ecclesiam collata S. Petro Apostolo eiusque successoribus Rom. Pontificibus potestate, pluribus in locis Poloniae dictae: Varsaviae a. 1754 impressae, nunc in unam concionem redactae.* Leopoli. 1780.

DCCLXXXI. **Zaccaria** S. I. *Dissertazioni varie italiane a Storia Eccles. appartenenti.* Roma. 1780. Inter dissertationes continetur una *de Cepha a Paulo reprehenso.*

DCCLXXXII. **De la Tour** Can. Montalbanensis, *Discours sur la Stabilite du S. Siege.* 1780. Inserta est eximia dissertatio Operibus Auctoris, recentius editis. T. III.

DCCLXXXIII. Idem, *Panegyrique de S. Pierre.* Pro Primatu insignis elucubratio.

DCCLXXXIV. **Ioan. Fr. Confortius,** *Anti-Grotius, qui complectitur prolusionem et exercitationes criticas XII, tot-*

idem Grotianis Capitibus oppositas. Cum una exercitatione in Blondellum. Neapoli. 1780. Auctor refellit, quae Grotius ac Blondellus ad infirmandam vim et auctoritatem Primatus Rom. Pontificis proposuere.

DCCLXXXV—DCCLXXXIX. **Fr. Ant. Zaccaria** S. I. *de rebus ad historiam atque antiquitates Ecclesiae pertinentibus dissertationes latinae.* Fulginiae. 1781. Ex dissertationibus his huc spectant: 1. *De decretis ad Romani Pontificis auctoritatem spectantibus a Concilio Nicaeno I editis.* 2. *De commentitio Liberii lapsu.* 3. *De formula, qua Eppi se ‚Apostolicae Sedis gratia Eppos' inscribere consveverint.* 4. *De iureiurando, quo AEppi Pallio donati, et Eppi in sacra ipsorum ordinatione obedientiam Romano Pontifici pollicentur.*

DCCXC. **Laur. Veith** olim S. I. *diss. theologica de Primatu et infallibilitate Rom. Pontificis. Defendit* **Ios. Ant. Wildt.** Aug. Vind. 1781.

DCCXCI. *Lebens- und Regierungsgeschichte Pius VI.* Cesena. 1781. ss. Memorabilem epocham Pontificatus Pii VI describit auctor, plenam insignibus monumentis pro tuenda suprema auctoritate Primatiali.

DCCXCII. **Herm. Dominicus Christianopulus** O. Praed. *Theses ex Iuris Can. Prolegomenis. Defendit* **Ios. Ant. Eyrle** *Tirolensis.* Romae. 1781. Magna pars thesium auctoritatem pontificiam respicit; de qua asseritur: ‚Caput Ecclesiae visibile, Petrum eiusque successorem Rom. Pontificem, iure divino Eppis Ecclesiisque omnibus cum suprema potestate praesidere.

DCCXCIII. **Conr. Eberth** O. S. B. *Programma historico-iuridicum de eo, quod superior et eminentior quaedam auctoritas penes Ecclesiam Romanam eiusque Praesulem per tria prima nascentis Ecclesiae secula ab aliis Eppis fuerit agnita.* Fuldae. 1781.

DCCXCIV. **Aemilius Hermogenes Pacificus** *Braschei-dos libri VIII, seu de rebus praeclare gestis a I. Aug. Braschio, nunc Pio VI Pont. Max. usque ad annum septimum eiusdem Pontificatus.* Romae. 1781.

DCCXCV—DCCCII. **Aloysius Merz** S. I. quemadmodum prioribus decenniis, ita hoc quoque decennio egregie dimicabat per suas controversas conciones aliaque opuscula pro suprema Rom. Pont. auctoritate, non unum eapropter expertus adversa-

rium. Ad annos 1781 et sequentem pertinent sequentia scripta: 1. *Systematische Methode Dr. Al. Merzens, Protestanten von der Wahrheit der kath. Religion zu überzeugen.* 1781.

2. *Ist ‚Hr. Alois Merz' ein römisch-katholischer Gottesgelehrter und steht der Mann an seinem Orte? Eine Frage von einem kath. Oesterreicher aufgeworfen, und dem künftigen Verfasser einer pragmatischen Geschichte des Exjesuitismus zum Gebrauch beantwortet.* 1781.

3. **Merz** *steht dem Verfasser der Schmächschrift, die den Titel führt: ‚Ist Herr etc.' das Herz und der Kopf am rechten Orte?* 1781.

4. *Antwort für den Kopf und das Herz ‚Herrn Al. Merz.'* 1782.

5. *Text der Augsburgischen Intoleranten mit den Noten eines toleranten Oesterreichers.* 1782.

6. **Merz** *Frage: ob man über die Lehre vom Pabste oder sichtbaren Oberhaupt der Kirche gleichgiltig seyn könne.* Augsburg. 1782.

7. Idem, *Antwort auf die Antwort des katholischen Österreichers.* Augsburg. 1782.

8. **Steininger** *Antwort dem Thoren nach seiner Thorheit d. i. gründliche Widerlegung des sogenannten katholischen Österreichers, der unlängst eine Schmähschrift wider ‚Merz' herausgab.* 1782. Subiicimus Breve Pii VI, quo auctorem controversorum scriptorum, Aloysium Merz, a. 1782. honoravit: „Dil. fili etc. Literas tuas et sermones polemicos, germanico idiomate a te compositos, quos dono nobis dedisti, libenter et grato animo accepimus. Dolet sane, nos patriam lingvam tuam ignorare, eosque non posse sermones perlegere, quos recte ac sapienter scriptos esse confidimus. Dudum iam te plurima divinarum sacrarumque rerum scientia praestare, ac strenuam navare operam pro incolumitate Religionis, tutelave Ecclesiae, ex fama veri nuntia certisque auctoribus intelleximus. Quapropter vehementer optamus, ut salubre polemicarum exercitationum institutum minime intermittas, sed eadem doctrina, eodemque robore ac virtute constanter pergas ut hactenus consvevisti. Rem non modo te dignam, nobisque periucundam facies, sed uberem quoque in coelis mercedem consequeris. Macte igitur animo, et malignos despice obtrectatores, qui a luce veritatis oculos aver-

tunt, ac sese ipsos fallere student, ut ambulent in tenebris. Iam vero omnia, quae usui tibi esse poterunt, facile debes expectare a paterna caritate et benevolentia nostra, in cuius hodie pignus apost. benedictionem tibi peramanter impertimur. Datum Viennae pridie Non April. 1782."

DCCCIII. *Vertheidigung des Pabstes von einem Protestanten.* Berlin. 1782.

DCCCIV. *Die entdeckte und ganz nahe Erscheinung des päpstlichen Antichrists.* Speier. 1782. Ironicum scriptum contra adversarios Papatus.

DCCCV. **Rittler** *Ecclesia Dei vivi supra immobilem petram fundata. Defendit* **Gmachl.** Salisb. 1782.

DCCCVI. **Kuhn** *fides catholica de Primatu a Christo in Ecclesia instituto proposita et defensa. Dissertatio theologica.* Moguntiae. 1782.

DCCCVII. **Clemens Becker** *Historia Ecclesiastica practica.* Monasterii. 1782. ss. Opus hoc per plura volumina diffusum egregie pertractat omnes eas quaestiones, quae qualemcunque relationem ad Primatum praeseferunt. Tomo I. controversiam Cypriani et Stephani; Tomo II. appellationes Chrysostomi et aliorum; Tomo III usum et auctoritatem potestatis papalis in iudiciis ecclesiasticis, etc.

DCCCVIII. *Lettera sopra la podesta del Papa.* Assisi. 1782.

DCCCIX. **Auxentius Krupp** O. Min. *diss. theologica de vero ac genuino a Christo instituto societatis ac potestatis eccles. systemate.* Bonnae. 1782. Probat in Ecclesia verum adesse regimen, praecipue penes Rom. Pontificem residens.

DCCCX. **Marchetti** *dissertazione polemico-canonica del concilio di Sardica e de suoi canoni, del diritto delle appellazioni romani.* Roma. 1783.

DCCCXI. *Wer war denn Gregor VII, von dem man so vieles schreibt und redet? beantwortet von einem Petriner im Reiche.* 1783.

DCCCXII. **Merz** S. I. *Frage: ob jener verkappte Bibliothecar gemäss seinem auf dem Titelblatt seiner Brochüre gemachten Versprechen die Nichtigkeit des Papstthums aus den*

bewährtesten Schriftstellern der römischen Kirche dargethan habe. Augsb. 1783.

DCCCXIII. *Was ist die Kirche?* 1783. Primatus necessitatem evolvit ex dogmaticis concionibus docti Iesuitae *Aloysii Merz*, quas pluribus locis laudavimus.

DCCCXIV. **Sanctes Veronesius** Card. Eppus Patavinus, *de necessaria fidelium communione cum Apostolica Sede.* Brixiae. 1783. Opus posthumum, cuius iam mentionem fecimus.

DCCCXV. **Pergens** *Abhandlung über die Frage: ob die Unkatholischen mit uns kath. Christen in den auch wichtigsten Glaubenslehren so gleich und einig, dass sie in wenig von uns unterschieden und daher auch die Nächsten an uns sind.*' Wien. 1783.

DCCCXVI. Idem, *Abhandlung über die Frage: ob man in einer jeden Kirche, Glauben und Religion, das Heil und die Seligkeit finde und erhalten könne?* 1783.

DCCCXVII. Idem, *Frage: ob die wahre und alleinseligmachende Kirche sichtbar oder unsichtbar seyn müsse.* 1783. In omnibus his opusculis Primatum insigniter vindicat.

DCCCXVIII. **Ildephonsus Dunkelberg** O. S. B. *diss. inauguralis de eo, quod iustum est circa origines Hierarchiae Ecclesiasticae, una cum variis doctrinis sacris huic argumento insertis.* Erfordiae. 1783. Plenam Ecclesiae gubernandae potestatem Petro eiusque successoribus a Christo concessam ostendit.

DCCCXIX. *Schriftmässige und gründliche Rechtfertigung der kath. Kirche und ihrer Glaubenslehre.* 1783. Egregie disserit de Papa.

DCCCXX. *Betrachtungen über das kath. Kirchenrecht.* 1783. Bene evolvit Primatum.

DCCCXXI. **Fröreisen** Superintendens Argentinensis, *Rede über den elenden Zustand der Kirche von der Augsburgischen Confession.* Strassburg. 1783. Dictio haec et propria confessio Superintendentis Lutherani multa subministrat pro necessitate Primatus argumenta.

DCCCXXII. **Maximus Mangold** S. I. *reflexiones in P. Alexandri a S. Ioanne de Cruce Carmelitae continuationem Historiae Eccles. Claudii Fleury Abbatis.* Aug. Vind. 1783. Ea perstringit, quae Primatus iuribus inimica occurrunt in dicta Historia. Respondit Continuator per librum:

770. *Anti-Mangoldus, sive Vindiciae Historiae Eccles. Cl. Fleurii, ex monumentis genuinis, ac potissimum ex nondum antea editis et locupletibus concinnatae.* Amstelodami et Ulmae. 1784.

DCCCXXIII. **Ios. Alb. Hohlmann** (iuxta alios Hosemann) Professor Dilingensis, *diss. dogmatica de finali Ecclesiae dispersae iudicio in causis dogmaticis, contra modernos hypercriticos.* Dilingae. 1783. Papae infallibilitatem asserit.

DCCCXXIV. **Merz** S. I. *Frage: ob ‚Edm. Richerius, Petr. de Marca, Florimundus Raymundus, und Zegerus van Espen' als Zeugen für die Nichtigkeit des Papstthums angeführt werden können.* Augsb. 1784.

DCCCXXV. Idem, *Frage: ob jene, welche die Untrüglichkeit der allzeit sichtbaren und allgemeinen Kirche bestreiten, nicht alle Grundsätze des Christenthums vollkommen untergraben.* Augsb. 1784.

DCCCXXVI. **Patritius Bened. Zimmer** Professor Dilingensis, *diss. dogmatica de vera et completa potestate ecclesiastica, illiusque subiecto, prout illa a Christo instituta et hoc ab eodem determinatum est. Defendit* **Isenbühl.** Dilingae. 1784. De centro unitatis, Romano Pontifice, peculiariter disserit, eiusque potestatis amplitudinem evolvit.

DCCCXXVII. **Molinelli** e Sch. Piis, *Del Primato dell'Apostolo S. Pietro, e dei Romani Pontefici suoi successori, in Confutazione del libro: ‚Il Papa o siano ricerche sul Primato di questo sacerdote.'* Roma. 1784.

DCCCXXVIII. **Felix Hofstetter** S. I. *das Bild des Pabstes.* 1784. A Pio VI. propter opus istud nummo aureo donatus.

DCCCXXIX. **Anton. Décsy** *Replica polemico-diplomatico-legalis contra ‚Lampe.'* 1784. Lampium Transilvaniae acatholicae historicum castigans, obiectione X. et XI. vindicat Primatum e legibus Corporis Iuris Hung. signanter S. Stephani et S. Ladislai Regum, quem qua veri nominis potestatem super universam Ecclesiam agnitum fuisse ostendit.

DCCCXXX. **Titus Caricus Perpenna** *(Raphael Nuix* S. I.) *orationes quinque ad Quirites pro tuenda Rom. Pontificis auctoritate in fidei controversiis dirimendis.* Assisii. 1784.

DCCCXXXI. *Lezioni pastorali opportune ai Vescovi secondo la mente di Pio VI. espressa nell' Enciclica ‚Inscrutabile*

divinae sapientiae consilium'; con appendice di riflessioni dommatiche tendenti a stabilire il Primato della S. Ap. Sede. Bologna. 1784.

DCCCXXXII. **Ant. di Foppoli** *l' ultimo Tribunale degl' appelli, lettere dommatiche.* Como. 1784.

DCCCXXXIII. **Alexander Ughi** *de Honorio I. Pont. Max. liber.* Bononiae. 1784. Admittit, Honorium a Synodo qua haereticum fuisse proscriptum, sed addit: acta, e quibus Synodus condemnationem tulerat, interpolata extitisse, iisque deceptam Synodum anathema enunciasse.

DCCCXXXIV. **Clemens Becker** *diss. canonica de regimine Epporum per tria prima secula.* Monasterii. 1784. Per theses suam proponit sententiam, secundum quas Primatus Petri praerogativam Vicariatus Ordinarii per totam Ecclesiam habuerit, eique Romani Pontifices successerint.

DCCCXXXV. *Falsch angeführte Zeugen wider das Pabstthum.* Disquisitio in scripto periodico: *Mainzer Religions-Journal. Beilage.* 1784. p. 491. contenta, scriptores castigans, qui falsos testes pro suis adversus primatum assertis in medium proferunt.

DCCCXXXVI. *Hielt es der heil. Cyprianus Bischof zu Carthago in Betreff der höchsten geistlichen Jurisdiction der Päbste mit einem Febronius, mit einem Richerius, mit den Jansenisten, und anderen Neuerern? Eine aus dem lateinischen Original gemachte Übersetzung.* 1784. Praeclara pro suprema auctoritate Pontificia exercitatio.

DCCCXXXVII. **Selig** *Anmerkungen über die Geschichte der grossen allg. Kirchenversammlung zu Kostnitz von ‚C. Royko.'* Gratz. 1784. Refutat, quae *Royko* contra Primatum protulit.

DCCCXXXVIII. **Ioan. de Stracutio** *in pontificii Primatus iurisdictionem exercitatio.* Panormi. 1784.

DCCCXXXIX. *Der Stuhl Petri, wie er bis an's Ende der Tage feststehen wird. Für Katholiken und Protestanten, geistliche und weltliche Reformatoren. Matth. XVI. 18.* Riga. 1785. Ex epistolis Petri probat Primatum, eius praerogativas, et perdurationem.

DCCCXL. **Marcellinus Molkenbuhr** O. S. Fr. *dissertatio: quod Cephas, qui a S. Paulo Antiochiae Gal. 2, 11. reprehensus est, non sit S. Petrus Apostolus.* Paderbornae. 1785.

DCCCXLI. Idem, *diss. de Ieiuniis et abstinentiis; contra ‚Iungium,' Theologum Moguntinum, qui sparso libro persvadere voluerat Eppis Germaniae, ut leges eccles. ieiuniorum et abstinentiarum cunctas (saltem praeter diem Parasceves) abrogarent inconsulto Papa.* Paderbornae. 1785.

DCCCXLII. **Lüpker** Vicarius Osnabrugensis, *Etwas über religiöse Macht und ihren Hauptverweser den Römischen Papst.* Münster. 1785. Brevis sed fundata pertractatio Primatus, cuius praerogativas evolvit.

DCCCXLIII. *Beantwortung wichtiger Fragen über die Gewalt einzelner Bischöfe in Betreff der Kirchengebräuche. Aus dem französischen Lüttichschen Journal übersetzt.* 1785. Pro suprema Papae potestate in rebus ritualibus.

DCCCXLIV. **Nic. Valletta** *partitiones Iuris Canonici.* Neapoli. 1785. potestatem Rom. Pontificis ex iure divino supra omnem potestatem eminere demonstrat.

DCCCXLV. **Ioan. Devoti** Eppus Ananiensis primum, dein AEppus Carthaginensis, *Institutiones Canonicae.* Romae. 1785. Opus praesens, saepissime editum summam Primatus praerogativam in eo ponit, quod Papa, quem Christus Ecclesiae praeposuit, errare in fide haud possit, quippe cui incumbat, cogere quodammodo Christianos ad eandem secum unitatem, meritoque eum, qui a doctrina Papae discedit, haereticum haberi ac schismaticum.

DCCCXLVI. **Ioan. Mich. Lorenz** Canon. Argentin. *examen decreti Imp. Phocae de Primatu Rom. Pontificis.* Argentor. 1785. Reiicit obiectionem, quasi Phocas primo contulisset Romanis Eppis Primatum et titulum ‚Oecumenici.'

DCCCXLVII. **Alphonsus Muzzarelli** Can. Rom. *il buon uso della Logica in materia di religione.* Ferrara. 1785. ss. Opus praeclarum, in quo obiectiones novatorum quemadmodum contra plures alias Ecclesiae doctrinas ac institutiones, ita contra Primatum solide refelluntur: cumprimis tribus opusculis, quippe de Primatu et infallibilitate Rom. Pontificis, de haeresi duorum Capitum, et examine super origine iurisdictionis Epporum in particulares Dioeceses.

DCCCXLVIII. **Tobias Mollik** O. S. B. *dissertationes dogmaticae de thesibus hocce specialius aevo disceptatis.* Agriae.

1785. Inter quaestiones opusculo hocce docte pertractatas occurrit praeferenter Primatus.

DCCCXLIX. **Ios. Glötzge** *tractatus de variis in Hierarchia eccles. ordinibus.* Aug. Vind. 1786. Connexionem Primatus cum Sede Romana ex divina institutione derivat, et praecipuum ius Primatus in definitionibus dogmaticis reponit.

DCCCL. **Polychronius Gassmann** O. S. Fr. *Meditationes historico-canonico-criticae ad prima IV Oecumenica in Oriente habita Ecclesiae universalis Concilia.* Aquisgrani. 1786. Tum infallibilitatem R. P. tum superioritatem supra Concilia Oecumenica defendit.

DCCCLI. **Zimmer** *wie weit und auf was für Gegenstände erstreckt sich die geistliche Gewalt der obersten Vorsteher der Kirche.* Kempten. 1786.

DCCCLII. *Vrais principes de la Constitution de l' Eglise Catholique, opposes aux speculations modernes destructives de la Hierarchie et de la Iurisprudence canonique.* 1787.

DCCCLIII. **Iul. Laur. Selvaggio** Presb. Neapol. *Antiquitatum Christianarum Institutiones.* Mogunt. 1787. Libro I cap. 3. habet: *Excursum de S. Petro unico Ecclesiae Capite,* fere ad verbum exscriptum ex Commentariis *Iosephi Simioli* Theologi, contra illos, qui in communionem Primatus Paulum Apostolum advocant. Eiusdem Libri cap. 16. uberius agit de Romano Pontifice.

DCCCLIV. **Ant. Valsecchi** *la Verita della Chiesa Cattolica Romana.* Padova. 1787. Opus insigne: cuius auctor et Launoyi animadversionem, quasi in Ecclesiae definitione obedientiae Romano Pontifici debitae mentio fieri non debeat, retundit, et interpretationes locorum Traditionis de Primatu per Protestantes confictas refutat.

DCCCLV. **Cuccagni** *opere varie della Potesta del Rom. Pontefice.* Roma. 1787.

DCCCLVI. **Marchetti** *Esercitazioni Cyprianiche circa il Battesimo degl' Eretici e scismatici, e il libro ‚de Unitate Ecclesiae' del medesimo Santo.* Roma. 1787.

DCCCLVII. **Loth. Fr. Phil. Marx** *propositiones dogmatico-polemicae.* Romae. 1787. Magna earum pars Primatum respicit.

DCCCLVIII. *Vertheidigung des Pabstes. Von einem Protestanten. Mit erforderlichen Noten beleuchtet von A. M.* 1787.

DCCCLIX. *Was hielt Luther von dem Pabste und der Römischen Kirche vor seiner Trennung? wie schrieb dieser nach seiner Trennung?* 1787.

DCCCLX. *Was hielten die heil. Väter, andere grosse Männer, und das ganze Alterthum von der Untrüglichkeit des Pabstes, oder Nachfolgers des h. Petrus?* 1787. Evolvit testimonia pro infallibilitate Papae usque Sec. XV.

DCCCLXI. *Was hielten die allgemeinen KVersammlungen von der Untrüglichkeit des Pabstes als Nachfolgers des heil. Petrus?* 1787.

DCCCLXII. *Ist der Pabst über das allgemeine Concilium, oder dieses über den Pabst?* 1787. Fuse et docte proponit argumenta pro superioritate Papae.

DCCCLXIII. *Merkwürdiger Widerruf alles dessen, was ‚Aeneas Sylvius' noch als ein Laie für das Baslersche Concilium und wider Eugen IV geschrieben hat.* 1787.

DCCCLXIV. **Desiderius Nardi** *nuovo Compendio storico delle vite di Romani Pontefici.* Roma. 1787.

DCCCLXV. **Tob. Pide Cinque et Raph. Fabrinius** *Vitae et res gestae Summorum Pontificum et Cardinalium ad ‚Ciacconii' exemplum continuatae.* Romae. 1787.

Mentio est hic inniicienda **Ioannis Augusti Starck,** antea Protestantici Concionatoris Aulici Darmstadtensis, subin ad fidem salvificam reversi, et eggregii doctrinae catholicae atque Primatus propugnatoris. Viri huius intentio iam praevie divulgata, occasionem praebuit Protestantibus, contra eundem varios concinnandi libellos, queis Ecclesiae Catholicae institutiones, ac cumprimis auctoritas sacra Pontificum impetebantur. Elenchum horum libellorum vulgamus :

DCCCLXVI. **Starck** *über Krypto-Katholicismus, Proselytenmacherey, Jesuitismus, geheime Gesellschaften, und besonders die ihm selbst von den Verfassern der Berlinischen Monatsschrift gemachte Beschuldigungen, mit Aktenstücken belegt* Frankf. u. Leipz. 1787. Opus a. 1788. continuatum et in 3 tomis vulgatum.

DCCCLXVII. Idem, *Nachtrag über den angeblichen Krypto-Katholicismus etc.* Giessen. 1788.

DCCCLXVIII. *Der Berlinismus oder Freundschaftsgespräch über ‚D. Starck' und seine Gegner.* Templin und Ephesus. 1788. Est apologia Starckii.

771. **Charlotte Elisabeth Constantia von der Recke geb. Gräfin v. Medem** *Etwas über des Herrn Oberhofpredigers ‚Starck' Vertheidigungsschrift, nebst einigen andern nöthigen Erläuterungen.* Berlin und Stettin. 1788.

DCCCLXIX. *Nicolai, Gedike, und Biester, in gefälligen Portionen dem Publicum vorgesetzt. Erste Portion.* 1788. Apologia pro Starckio.

856. **Ioan. Paleopisti** *Apologia pro Clero Ecclesiae Batavorum Romano-Catholicae, seu rationes, ob quas Clerus censuit in locum AEppi Sebasteni non esse illico recipiendum Theodorum Cockium.* Delphis. 1702. Cockius in Vicariatu Hollandico per S. Sedem surrogatus fuit Coddeo Iansenistae.

857. *Casus Conscientiae, a quodam provinciae confessario propositus, circa quemdam ecclesiasticum eius directioni commissum, atque a pluribus Parisinae Fac. Theol. Doctoribus dissolutus.* 1702. Quesnelliani fabricarunt hunc casum, quo eum absolvi posse decideretur, qui Iansenium perperam fuisse damnatum, et obsequiosum sufficere silentium propugnaret. Tribuitur prima Casus fabricatio *Rulando*, *Petitpied*, et *Anquatillo*, suppetias ferente *Pariero* Canonico Claromontano. Doctores 40 casum probarunt: Roma a. 1703. damnavit, prout et Facultates Theol. Lovaniensis, Duacena, Parisina.

858. **Ianus Parrhasius** *notae in decretum, quod Inquisitionis nomine circumfertur contra AEppum Sebastenum.* 1703.

859. Idem, *literae ad AEppum Sebastenum nomine S. Congr. de Prop. fide 25. Aug. 1703. ut fertur, scriptae, notis vero brevibus illustratae.* 1703.

860. *Assertio iuris Ecclesiae Metr. Rom. Cath. adversus quosdam, qui eam adinstar Ecclesiarum per infidelium persecutiones destructarum iure pristino penitus excidisse existimant, per I. C. E. eiusdem Ecclesiae Canonicum.* Delphis. 1703.

861. **Christiani Philireni** *Cleri Catholici per Foederatum Belgium, et AEppi Sebasteni religio vindicata.* Traiecti. 1703.

862. *Lamenta et querelae Sponsae Sebastenae per Clementem XI viduatae, ad eundem pro Sponso suo.* 1703.

863. **Quesnellus** *dogmata, disciplina, et doctrina morum Ecclesiae.* 1703. Opusculum hoc tunc, dum auctor Bruxellis interciperetur, inter chartas eius inventum, perfectam tradit aequalitatem inter Petrum et Paulum App.

864. *Decretum AEppi Mechliniensis notis illustratum.* 1704.

865. *Defensio Petri Coddei AEppi Sebasteni.* 1704.

866. *Dilemmata theologica Molinistis et Iansenistis mitigatis proposita.* 1704.

867. **Casp. Iuenin** Oratorianus, *Institutiones Theologicae ad usum Seminariorum.* Lugd. 1704.

868. **Irenaeus** *causa Ianseniana.* Colon. 1704.

869. **Desiderius Paleophilus** *imago Pontificiae dignitatis, penicillo SS. Scripturarum, ac Traditionis native delineata; ubi quid Pontifici Romano competat, vel non competat, collectis ex ecclesiastica supellectile documentis luculenter ac compendio demonstratur.* Constantiae. 1704.

870. *Iesuitarum aliorumque Romanae Curiae adulantium de Summi Pontificis auctoritate commenta regnis regibusque infesta, ac specialiter supremis praepotentibusque Foederati Belgii Ordinibus periculosa, fideliter proposita per ICtum Batavum Ecclesiae et Patriae amantem.* Amstelod. 1704.

871. *Disquisitio theologica de potestate et iurisdictione, quibus in Foederati Belgii provinciis etiamnum fruitur AEppus Sebastenus ablato licet Vicariatu Apostolico.* 1704.

872. **Petri Coddei** *AEppi Sebasteni, denunciatio apologetica, sinceris solidisque documentis firmata, quam circa praecipua causae suae capita evulgandam duxit.* 1704.

873. **Vaës** *causa Quesnelliana.* Bruxellis. 1704.

874. *Causa Coddeana, sive collectio scriptorum, quibus Petri Coddei AEppi Sebasteni, Vicarii Apostolici in foederato Belgio fides orthodoxa, vivendi disciplina, regendi ratio, iurisdictio et potestas ordinaria in Ecclesia Batava Rom. Cath. contra obtrectatorum calumnias adseruntur.* Antwerpiae. 1705.

875. **I. Opsträt** *theses theologicae.* 1706.

876. *Colloquium parallelum de condemnatione Redemtoris N. I. C. et de causa AEppi Sebasteni.* 1707.

877. **Petrus Gratianus** *gratia Christi, seu causa Dei ab Augustino defensa, seu malleus magnus Magni et Aurelii Augustini, plenissime conterens Liberium Antigratianum, ac totam Molinianam cohortem minime liberam, quia oppugnat veram gratiam, qua homo vere fit liber. Oblatus Summo Pontifici Clementi XI.* 1708.

878. *De quaestione facti Ianseniani variae quaestiones iuris et responsa.* 1708. Prodiit etiam: *Assertio libelli: de quaestione etc.* 1708.

879. **Gotthardus Heidegger** (sub nomine *Nicolai Tornesii*) *Clementis XI P. M. Homilia habita nuper in Natalitiis:*

et in eam variae lectiones, coniecturae, et scholia. Colon. 1708. Satyra.

880. **Withe** *denunciatio solemnis Bullae Clementinae, quae incipit: ‚Vineam Domini Sabbaoth', facta universae Ecclesiae Catholicae, ac praesertim omnibus Hierarchis eius, tamquam evertentis doctrinam gratiae qua Christiani sumus, tamquam resuscitantis Pelagium* etc. 1709.

881. Idem, *depulsio excommunicationis per D. Nuntium Pontificium Coloniae attentatae contra Mathiam Thorium: ubi eadem excommunicatio demonstratur plane nulla, evanida, cassa, irrita.* 1709.

882. **Henr. a S. Ignatio** Exprovincialis Carmel. *Ethica amoris sive theologia Sanctorum.* Leodii. 1709.

883. **Nic. l' Herminier** Can. Cenomanensis, *summa Theologiae ad usum scholarum accomodatae.* Paris. 1709.

884. **Wernherus Thummermuth,** *responsum iuris, quo evincitur, Rescripta Pontificia, falsis suggestionibus in praeiudicium tertii, parte in iudicio non audita, cum gravi scandalo inde proveniente, impetrata, iure non subsistere.* 1709.

MXXX. **Hyacinthus Bandoni** (Ioan. de Benedictis) *defensio bullae Alexandri VII ‚Ad sanctam' contra conatus duarum postremarum epistolarum provincialium, aliasque insultationes et cavillationes Iansenistarum.* Panormi. 1700.

Hyacinthi Serry O. Praed. controversiae. Pluribus involutus fuit controversiis: quippe cum Iesuitis ob suam *de Congregationibus Auxiliorum* historiam; tum ob sua de gratia ac praedestinatione opuscula rursum cum Soc. Iesu. Prior controversia iam a. 1698. initium cepit, dum Serryus ‚Congregationum de auxiliis gratiae divinae' sub Pontificibus Clemente VIII, et Paulo V habitarum historiam edere parabat; unde opera, quae in lucem prodierant, ab illo anno recensemus:

MXXXI. **Barthol. Germonius** S. I. *Lettre a M. l' Abbé *** sur la nouvelle histoire des Disputes ‚de Auxiliis' qu' il prépare.* Liege. 1698.

885. **Abbé le Blanc** (Serry) *auteur de l' histoire de Congr. de Auxiliis, lettre, pour servir de reponse a la lettre du Secretaire de Liege.* 1699.

886. **Augustini le Blanc** (Serry) *historiae Congregationum de auxiliis divinae gratiae sub Summis Pontificibus Clemente VIII et Paulo V libri quatuor, quibus etiam data opera confutantur recentiores huius historiae depravatores, maxime vero auctor libelli gallice inscripti: ‚Remonstrance a M. l' Archeveque de Reims sur son Ordonnance du 15 Iuillet 1697,' et actorum fides adversus inanes epistolae Leodiensis argutias vindicatur.* Lovanii. 1700.

887. Idem, *Addenda suis locis in historia Congregationum de Auxiliis sub Summis Pontif. Clem. VIII et Paulo V celebratarum.* Lovan. 1701.

MXXXII. **Car. Casp. Metzenius** *querela adversus Auctorem historiae Congr. de Auxiliis.* Treviris. 1701. Querela in eo consistebat, quod Serry de Academia Trevirensi minus honorifice scripserit.

888. **Aug. le Blanc** *defensio historiae Congr. de Auxiliis adversus querelam C. C. Metzenii, Academiae Trevirensis Syndici.* Lovan. 1701.

MXXXIII. **Germon** *lettres et questions importantes sur l' histoire des Congregations de Auxiliis.* Paris. 1701.

889. **Thomas de Lemos** O. Praed. *Acta omnia Congregationum ac disputationum, quae coram Clemente VIII et Paulo V Summis PP. sunt celebratae in causa et controversia illa magna de Auxiliis divinae gratiae, quas disputationes ego eadem gratia adiutus sustinui contra plures ex Societate.* Lovanii. 1702.

890. **Blanc** *l' Histoire des Congregations de Auxiliis justifiée contre l' auteur des Questions importantes.* Louvain. 1702.

MXXXIV. **Germon** *Errata de l' Histoire de la Congr. de Auxiliis, composée par l' Abbe le Blanc et condamnée par l' Inquisition generale d' Espagne, avec une refutation de la reponse au livre des Questions importantes.* Liege. 1702.

891. **Blanc** *le Correcteur corrige, suite de la Iustification de l' Histoire des Congregations de Auxiliis, contre l' auteur du faux Errata de cet ouvrage, avec une lettre au meme auteur, touchant sa pretendue refutation de la reponse aux questions importantes.* Namur. 1704.

MXXXV. **Theodorus Eleutherius** (*Livinus Meyere* S.I.) *Historiae controversiarum de divinae gratiae auxiliis sub Sum-*

mis Pontificibus Sixto V. Clemente VIII et Paulo V libri sex: quibus demonstrantur ac refelluntur errores et imposturae innumerae, quae in Historia Congr. de Auxiliis edita sub nomine Augustini le Blanc notatae sunt, et refutantur Acta omnia earumdem Congregationum, quae sub nomine Thomae de Lemos prodierunt. Antverpiae. 1705.

892. **Hyac. Serry** *historia Congregationum de auxiliis divinae gratiae sub Summis Pontificibus Clemente VIII et Paulo V. in quatuor libros distributa, sub adscititio nomine ‚Augustini le Blanc' Lovanii primum publicata: nunc autem magna rerum accessione aucta, insertisque passim pro re nata adversus nuperos oppugnatores vindicationibus adserta, defensa, illustrata; cui praeterea accedit liber quintus, superiorum librorum apologeticus adversus Theodori Eleutherii eodem de argumento pseudo-historiam.* Antverpiae. 1709.

MXXXVI. **Livinus Mayere** S. I. *historiae controversiarum de divinae gratiae auxiliis ab obiectionibus Hyacinthi Serry vindicatae libri tres.* Bruxellis. 1715.

893. **Serry** *Divus Augustinus Divo Thomae eiusque Angelicae Scholae conciliatus in quaestione de gratia primi hominis et Angelorum.* Patavii. 1723.

894. Idem, *Epistolae ad amicum scriptae theol. hist. polemicae, in quibus doctrina de gratia se ipsa efficaci et de praedestinatione gratuita ad gloriam ante omnem praevisionem meritorum, contra Scholae Thomisticae adversarios asseritur ac vindicatur.* Romae. 1728. 3. vol.

895. Eiusdem, *ad historiam controversiarum de divinae gratiae auxiliis Praefatio, nunc primum seorsim edita, et veritatis amatoribus exhibita.* Venet. 1745.

Altera Hyacinthi Serry controversia cum Gabriele Daniel S. I. in negotio gratiae. Opuscula sequenti ordine se excepere:

896. **Iean de Launoy** *la veritable tradition de l' Eglise sur la predestination et la grace.* Liege. 1702. Librum hunc, S. Augustino nimis derogantem, Clemens XI. PP. Brevi anni 1704. tamquam impium, blasphemum, et fulgidissimo Ecclesiae Cath. lumini maximoque Doctori Augustino iniuriosum damnavit.

MXXXVII. **Tellier** AEppus Remensis *epistola pastorali* fusiore ac summa cum eruditione concinnata librum Launoyi prostravit. 1703.

MXXXVIII. **Gabr. Daniel** S. I. *Defense de S. Augustin, contre un livre, qui a paru depuis peu sous le nom de M. Launoy, ou l' on fait passer ce S. Pere pour un Novateur sur la predestination et la grace.* Paris. 1704.

897. **Serry** *Divus Augustinus, summus praedestinationis et gratiae Doctor, a calumnia vindicatus, adversus Ioannis Launoii traditionem, foetu posthumo recens editam, et peculiari Clementis XI. P. M. decreto nuper inustam.* Colon. (Patavii.) 1704.

898. Idem, *epistola Ioannis Launoii ex Elysio, ad Generalem S. I. Praepositum data, qua conceptum ex lata in suam de gratia et praedestinatione traditionem sententia dolorem amice significat, Augustini abs se traducti culpam Societatis theologorum exemplo depellit, nihil demum ferme libello scriptum ostendit, quod ab iis summa fide non delibaverit. In campis Elysiis.* 1705.

MXXXIX. **Daniel** S. I. *Lettre au T. R. P. Antoine Cloche, General de l' Ordre de S. Dominique, touchant le livre du P. Serry contre le Sieur de Launoy, et touchant une lettre imprimée contre les Iesuites, attribue a ce religieux.* Paris. 1705.

899. **Serry** *Lettre au P. Daniel pour servir de response a la lettre de ce Pere adressée au P. General de l' Ordre de S. Dominique.* Cologne. 1705.

MXL. **Daniel** *response a la lettre que le P. Serry lui a ecrite.* Paris. 1705.

900. *Reflexions proposées au P. Daniel sur la lettre adressee au P. General de l' ordre de S. Dominique contre le P. Serry.* Grenoble. 1705.

MXLI. **Daniel** *seconde lettre au P. Serry, touchant un nouveau libelle d' un de ses confreres contre les Iesuites.* 1705.

901. *Remarques sur la Comedie du Ianseniste malgre luy, donnée per le P. Daniel dans sa premiere lettre au P. Serry.* 1705.

MXLII. **Daniel** *Traite theologique touchant l' efficacite de la grace ou l' on examine ce qui est de Foy sur ce sujet, et*

ce qui n' en est pas; ce qui est de S. Augustin, et ce qui n' en est pas. Paris. 1705. Luxemb. 1706.

902. **Serry** *confutatio responsi epistolaris a Gabr. Daniel S. I. ad primarii Academiae Patavinae Theologi literas, qua singula eiusdem responsi continuata serie refelluntur.* Colon. 1706.

MXLIII. **Daniel** *troisieme lettre au P. Serry.* Paris. 1706.

903. **Serry** *schola Thomistica vindicata, seu tractatus theologicus Gabr. Daniel S. I. adversus gratiam seipsa efficacem censoriis animadversionibus confutatus, quibus Moliniana inventa pro fidei dogmatibus ab eodem Daniele venditari, Augustini doctrinam non exponi sed impeti, scholam Angelicam inique traduci ac sugillari demonstratur.* Colon. 1706.

MXLIV. **Daniel** *Traite theologique touchant l' efficacite de la Grace, Tome II, ou l' on repond au livre du P. Serry intitule: Schola Thomistica vindicata.* Paris. 1706.

Sfondrati liber, de quo in praecedentis seculi literatura egimus, hoc quoque seculo ventilabatur. Scripta eo spectantia sunt :

904. *Augustiniana Ecclesiae Romanae doctrina a Card. Sfondrati Nodo extricata per varios S. Augustini discipulos.* Colon. 1700.

905. *Epistolae quaedam nomine puerorum absque baptismo ante usum rationis mortuorum ex campis Elysiis ad Sfondratismi defensores scribentium.* 1706.

906. *Animadversiones in Nodum praedestinationis Card. Sfondrati.* Colon. 1707.

907. **I. Wolfgangus Jäger** *Sfondrati nodus Praedestinationis examinatus.* Tubingae. 1712.

MXLV. *Deliberatio* **S. Facultatis Theol. Parisiensis** *adversus libellum, cui titulus est: Cas de Conscience.* 1704.

MXLVI. *Iudicium* **S. Fac. Th. Lovaniensis** *de octo articulis inter alios excerptis ex Casu Conscientiae in Sorbona a 40 Doctoribus subscripto.* 1704.

MXLVII. **Ant. Bonuccius** S. I. *Vindiciae aequissimi decreti Alexandri VIII. P. M. adversus propositiones 31 in eo damnatas.* Romae. 1704.

MXLVIII. *Causa Quesnelliana, sive motivum iuris pro Procuratore Curiae Eccl. Mechliniensis contra Paschasium Quesnel.* Bruxellis. 1704.

MXLIX. **Livinus Meyere** S. I. *SS. D. N. Clementis XI confirmatio et innovatio Constitutionum Innocentii X et Alexandri VIII adversus Iansenianam haeresim editarum, cum nonnullis declarationibus pro debita illarum observatione adiectis.* 1705.

ML. **Ioan. Laur. Lucchesini** S. I. *de Iansenianorum haeresi eorumque captiosis effugiis a S. Trid. Concilio in antecessum damnatis, neque solum proscriptis famosis V propositionibus, sed etiam diruto universo theologico Iansenii systemate Enchiridium.* Romae. 1705.

MLI. *Processus officii Fiscalis Curiae Eccl. Mechliniensis contra Gabrielem Gerberon O. S. B. Congr. S. Mauri Presbyterum.* Bruxellis. 1705.

MLII. **Lescius Crondermus** *elucidatio Augustinianae de divina gratia doctrinae, quae in libris Iansenii Eppi Iprensis triplicem ecclipsin passa est in triplici statu humanae naturae, innocentis, corruptae, et reparatae. Ostenduntur huiusmodi ecclipses et removentur. Accedit* **Francisci Diroysii** *diss. pro iustificanda condemnatione, qua S. Sedes V propositiones sub nomine Iansenii atque in sensu ab ipso intento proscripsit.* Colon. 1705.

Livini Meyere S. I. controversia cum Antonio Reginaldo O. Praed. Controversia his scriptis absolvitur:

908. **Ant. Reginaldi** Tolosani Professoris, *de mente S. C. Tridentini circa gratiam efficacem opus posthumum.* Andegavi. 1706.

MLIII. **Liberius Gratianus** (Meyere) *de mente S. C. Tridentini circa gratiam physice praedeterminantem diss. prima, contra librum, qui sub nomine Ant. Reginaldi nuper prodiit.* Antverpiae. 1707.

MLIV. Idem, *diss. II, qua argumenta Ant. Reginaldi ex C. Tridentino refelluntur et in illum retorquentur.* Bruxellis. 1708.

MLV. Idem, *diss. III contra librum, qui sub nomine Reginaldi prodiit et nuperos eius defensores.* Bruxellis. 1708.

MLVI. Idem, *de Pelagianorum et Massiliensium contra fidem erroribus diss. IV, qua Iansenii et aliorum in hac materia errata referuntur et confutantur. Cum appendice I. qua tertia dissertatio ab obiectis vindicatur; II. adversus recentem Clementis XI denunciatorem schismaticum Aegidium de Witte, Theologum Lovaniensem.* Bruxellis. 1709.

909. **Hier. Henneguier** O. Praed. *ad larvatum Liberium Gratianum super dissertatione de mente S. C. Tridentini circa gratiam physice praedeterminantem epistolae quatuor.* Antverpiae. 1712.

MLVII. **Henr. Rob. Stephani** S. I. *vera defensio auctoritatis Ecclesiae, in qua asseritur gravissimum pondus eius Constitutionum, et novella quaedam principia illi iniuriosa, cum epistola Leodiensi de formula Alexandrina refelluntur.* Leodii. 1707.

MLVIII. **Dominicus Viva** S. I. *damnatae theses ab Alexandro VII, Innocentio XI, et Alexandro VIII, nec non Iansenii ad theologicam trutinam revocatae iuxta pondus Sanctuarii.* Neapoli. 1708. 3. vol.

MLIX. **Ant. de Luca** *(Alph. Huylenbroucq* S. I.) *haeresis Ianseniana praeclusa effugia.* 1708. s. 2. vol.

MLX. **Bern. Desirant** Regens Fac. Lovan. *consolatorium pro Romano-Catholicis per unitas provincias dispersis.* 1709. Opus contra protestationem Ultraiectensem editum.

MLXI. **Stephani** S. I. *auctor Epistolae Leodiensis denuo confutatus.* Leodii. 1709.

1710.

Hoc decennio pars literaturae maior e scriptis consurgit, quae ex incidenti Constitutionis celeberrimae ‚Unigenitus' contra Quesnellum editae pro et contra vulgabantur.

910. **La Lane,** 40 opusculorum pro Iansenismo elucubratorum auctor, *de conformitate Iansenistarum cum Thomistis.*

1710. Ostendere voluit doctrinam Iansenii cum illa D. Thomae conspirare.

911. **Aegidius Albanus,** *Augustinus Iprensis vindicatus, atque e damnatione RR. PP. Urbani VIII, Innocentii X, Alexandri VII, et Clementis XI ereptus et erutus; sive Apologeticus Cornelii Iansenii, in quo controversiae Iansenianae prima elementa et principia statuuntur. Anno afflictae gratiae 70, aerae vulgaris 1711.*

912. *Considerationes circa exactionem formulae Alexandrinae, variasque de hoc argumento difficultates, ac pugnantes inter se opiniones.* 1712.

913. *Defensio piae memoriae Petri Coddei AEppi Sebasteni et per Foederatum Belgium Vicarii Apostolici ad Clariss. Dominum ***.* 1712.

914. **Quesnellus** *epistola ad Clementem XI occasione Congregationis, ab eodem pro examine considerationum moralium in N. T. a Cardinale de Noailles AEppo Parisiensi approbatarum, institutae.* 1712.

915. *Thesis: Pontificias constitutiones per viam iudicii acceptandi ius Eppis competit.* 1713. Hanc thesim Iansenistae post editam Constitutionem ‚Unigenitus' palam propugnabant: quae tamen per Regis Galliae decretum suppressa est.

916. **I. Wolfg. Jäger** *Bulla novitia P. M. Clementis XI cum fulmine damnationis vibrata contra doctissimum virum Quesnellum eiusque N. T. sub examen vocata.* Tubingae. 1714.

917. **I. Fr. Buddeus** *diss. de Pelagianismo, in Ecclesia Romana per Bullam Anti-Quesnellianam die 8 Sept. 1713 a Clemente XI R. P. promulgatam, triumphante.* Ienae. 1714.

918. **Ioan. Frick** *inclementia Clementis examinata, h. e. Bulla Clementis XI adversus Quesnellii observationes et meditationes morales in N. T. protrusa cum fulmine, nunc recusa et gemina dissertatione discussa.* Ulmae. 1714.

919. **Gottlob Frid. Jenichen** *historia et examen Bullae Clementis XI P. R. contra N. T. Quesnellii emissae.* Lips. 1714.

920—922. **Van Espenius,** consiliorum Iansenisticorum Antoninus, quum iam per vastum suum opus ‚Iuris Ecclesiastici universi' a. 1700 primum vulgatum, ac deinceps saepe recusum, id ageret, ut depressa S. Sedis atque Praesulum auctoritate,

seculari duntaxat potestati summum in rebus etiam ecclesiasticis ius adscribat: id ipsum amplius adhuc praestitit in duplici Tractatu, quem praesente decennio in vulgus emisit: altero *de Recursu ad Principem*, altero *de promulgatione legum Regioque Placeto;* quibus accessit discussio *de Censuris*. In priori totam pene iurisdictionem ecclesiasticam, a qua sibi et sociis timebat, in secularia transfert tribunalia; in posteriori omnes bullas pontificias contra Iansenismum editas a Iansenistarum cervicibus avertere volens, Placeti Regii necessitatem relate ad bullas etiam dogmaticas persuadere adnisus est; in tertio demum laicae potestati tribuit ius de aequitate ac iustitia censurarum iudicandi.

923. **Grecourt** *Philotanus, i. e. satyra in Constit. ‚Unigenitus', 1068 versibus constans.* 1715.

924. **Christoph. Sonntag** *tria capitula orthodoxa, in quorum primo quaedam Quesnelliana, in altero et tertio quaedam adiaphoristica cum epicrisi exhibentur.* Altorfii. 1716.

925. **Mart. Chladenius** *examina doctrinae Quesnellianae de fide iustificante, de ecclesia eiusque membris, capite, notis et attributis, bulla papali condemnatae.* Vitemb. 1716—1718. 3. diss.

926. **Corn. Dietericus Koch** *annotationes evangelicae in Clementis XI bullam.* Helmstadii. 1716.

927. **Quesnellus** *expostulatio ac protestatio adversus Constit. Clementis XI.* 1716.

928. **Schrör** *diss. de iure Epporum in Gallia, a Papa ad Concilium provocandi.* Vitemb. 1717.

929. *Antiquae Fac. Th. Lovaniensis, qui adhuc per Belgium superstites sunt, discipuli, ad eos, qui hodie Lovanii sunt, Theologos: de declaratione S. Fac. Th. Lovaniensis recentioris circa Const. ‚Unigenitus.'* 1717.

930. *Veritas toti mundo conspicua reddita contra defensores Const. ‚Unigenitus.'* 1717.

931. **Christ. M. Pfaff** *synoptica historia Constitutionis Clementinae, praemissa dissertationi, qua corpus doctrinae moralis a Fac. Th. Parisiensi, quae Sorbona vulgo audit, haud ita pridem editum et notis illustratum continetur.* Tubingae. 1718.

932. *Asylum innocentiae Quesnellianae, Quesnellio, meliora in considerationibus suis in N. T. auctoritate illustr. Galliae Epporum inter suos docenti, sed ob ista a Pontifice damnato,*

demum in ipsa Romanae Curiae cynosura, i. e. in Iure Canonico quaesitum, examinatum et inventum. Francof. 1718.

933. **Theod. Crüger** *diss. tres exhibentes observationes selectas ad historiam censurae eccl. papalis a Sec. VII usque ad XI. post Chr. n.* Viteb. 1718.

934. *Parisiensis Universitatis declaratio super appellatione ad futurum Conc. Generale a Constitutione ‚Unigenitus' et a literis pontificiis Romae affixis.* Paris. 1719.

935. **I. Frick** *Zosimus in Clemente XI redivivus, sive diss. duae eccl. ‚Christophoro Leopoldo' oppositae, cum diss. iubilea de schismate Protestantibus immerito imputato; itemque Instrumentum appellationis IV Epporum Galliae.* Ulmae. 1719.

936. **Amandus Gottholdus Fehmelius** *diss. de Constit., Unigenitus', qua Clemens XI quasdam doctrinas Paschasii Quesnelli damnavit.* Hildburgh. 1719.

937. **Chr. Henr. Schilling** *historia bullarum Clementis VI et XI ‚Unigenitus' dictarum, Curiae Romanae fatalium, documentis praecipuis ad pleniorem historiae huius cognitionem facientibus illustrata.* Helmstadii. 1719. Continuatam historiam Constitutionis vulgavit. 1724.

938. **G. F. Schrör** *diss. de gratia Adami a Quesnellio et Iansenio adserta.* Vitemb. 1719.

939. **Bern. van Sanden** *praeiudicia contra bullam Clementis XI Papae, Unigenitus dictam.* Regiomonti. 1719.

940. *De auctoritate Papae dissertatio bipartita.* 1719. Contra infallib. et superioritatem Papae.

MLXII. **Gerberonius** O. S. B. Maurinus, multis (ut indicavimus) operibus causam Iansenianam succolans, cum in custodia Vincennensi detentus ad 80 aetatis annum et simul ad viciniam mortis pertigisset, a. 1710. errores Iansenisticos coram Vicario APraesulis Parisiensis eiuravit, atque in libertatem assertus retractatione confirmata, paulo post obiit.

MLXIII. **Henr. Rob. Stephani** S. I. *diss. theol. de condemnatione libri Ianseniani.* Leodii. 1710.

MLXIV. Idem, *conclusiones theologicae miscellaneae, quibus excutiuntur calumniae, notantur errores, repelluntur iniuriae, ex quibus conflatur libellus anonymus et prohibitus dis-*

trahi: cui titulus est: ‚Specimen doctrinae a Iesuitis in Seminario Leodiensi traditae.‘ Leodii. 1710.

MLXV. 941. 942. **Livinus Meyere** S. I. *epistola curiosa Theodori Eleutherii ad ‚F. Norbertum Delbecque‘ O. Praed. responsoria.* Bruxellis. 1710. Epistolae occasionem dedit litera Delbeckii anno adhuc 1709. scripta, in qua vir hic pro sententiis sui confratris Hyacinthi Serry, historiae Congr. de Auxiliis scriptoris, pugnabat. Duo autem exaravit opuscula adversus Livinum Meyere, in nexu memoratae Epistolae: 1. *De inconcussa SS. Augustini et Thomae doctrina, irrefragabili auctoritate, in materia praesertim de gratia, ad theses eo de argumento in proximis comitiis provincialibus propugnandas positiones prolusoriae. Accedunt aliquot monumenta huc pertinentia, item et Postscriptum ad Pseudo-Theodorum Eleutherium.* Lovanii. 1711. — 2. *Vindiciae gratiae divinae adversus novantiquos eius impugnatores, ad mentem gemini Ecclesiae solis, SS. Augustini et Thomae Aquinatis. Propter eos haec scribimus, qui, cum defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, sic ipsi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam.* Bruxellis. 1711.

MLXVI. **Ioan. Laur. Lucchesini** S. I. *polemica historia Iansenismi, contexta ex bullis et brevibus pontificiis, literis Cleri Gallicani, Sorbonae decretis, aliisque authenticis actis, quae omnia nullo ademto verbo dantur in fine voluminis: in quo statuitur iudicandum esse infallibili actu fidei divinae, quod in Iansenii libro sensus et doctrina haeretica contineantur; ostenditur vanam esse oblationem silentii, et frustra tentari alias quascunque elusiones a Iansenii asseclis. Enchiridii pars 2. et 3.* (Prima prodivit 1705.) Romae. 1711.

MLXVII. **Dominicus Viva** S. I. *damnatae theses ab Alexandro VII, Innocentio XI, et Alexandro VIII; nec non Iansenii ad theologicam trutinam revocatae iuxta pondus Sanctuarii; in qua Michaelis Baii, Michaelis de Molinos, aliaeque theses superiore seculo profligatae in calce operis recensentur, et nonnullae discutiuntur.* Francof. 1711. — Patavii. 1713. 1720. 1723. 1727. 1732.

MLXVIII. **Livinus Meyere** S. I. *Parallelum antiquae et praesentis Ecclesiae in praescribenda et exigenda fidei formula adversus haereses exortas, et veterum ac recentiorum refra-*

ctariorum in eadem formula impugnanda. Bruxellis. 1711. Contra librum hunc scripsit anonymus quidam:

943. *Considerationes circa exactionem formulae Alexandrinae, variasque de hoc argumento difficultates, ac pugnantes inter se opiniones, et ostensa via pacis conformiter ad mentem Summorum Pontificum.* Delphis. 1711. Exagitavit mox opusculum istud:

MLXIX. **Decker** Can. Mechliniensis, *responsio ad libellum exquisita ad fallendum arte compositum, cui titulus: Considerationes* etc. Lovanii. 1711. Sed anonymus rursum calamum acuit:

944. *Epistola ad Theologum Lovaniensem contra parallelum P. de Meyere, et responsionem D. de Decker.* Delphis. 1711.

MLXX. **Dominicus Viva** S. I. *Trutina theologica, qua expenduntur propositiones Iansenii, et aliae a Summis Pontificibus novissime damnatae.* Patavii. 1712.

MLXXI. *Praedicatorii Ordinis fides et religio vindicata.* Colon. 1712. Contra obiectiones Ordini positas, quasi Ianseni-smum protegeret.

MLXXII. **Clementis XI** *damnatio quamplurium propositionum, excerptarum ex libro, gallico idiomate impresso, et in plures tomos distributo sub titulo: ‚Le Nouv. Test.' ac aliter: ‚abrege de la morale de l' Evang.' cum prohibitione eiusdem libri et aliorum quorumcunque in eius defensionem tam hactenus editorum, quam in posterum edendorum.* Romae. 1713. Editio celeberrimae Bullae, quae incipit ‚Unigenitus.'

Henricus a S. Ignatio Carmelita, cuius librum iam superius commemoravimus, opere suo litem suscitavit, cui *Livinus Meyere* Iesuita involutus fuit. Opuscula hoc ordine se excepere:

945. **Henr. a S. Ignatio** *Ethica amoris, sive theologia Sanctorum, magni praesertim Augustini et Thomae Aquinatis, circa universam amoris et morum doctrinam adversus novitias opiniones strenue propugnata, et in materiis principaliter hodie controversis fundamentaliter discussa.* Leodii. 1709. Libro hoc per Eppum Leodiensem proscripto, cuiusmodi proscriptionem Roma quoque ratam habuit, idem auctor novum in prioris defensionem concinnavit opus:

946. Idem, *Gratiae per se efficacis, sive Augustinianae et Thomisticae doctrinae adversus iniustam Iansenismi accusa-*

tionem iusta defensio; ubi etiam theologia moralis Sanctorum adversus iniustos detractores defenditur. Leodii. 1713.

MLXXIII. **Livinus Meyere** S. I. *iusta defensio contra iniusta probra, scommata, convicia et calumnias P. Henrici a S. Ignatio.* Colon. 1714.

947. *Gratiae per se efficacis, theologiaeque moralis Sanctorum adversus iniustos obtrectatores, iniustamque Iansenismi accusationem iusta defensio vindicata, signanter adversus libellum famosum falso inscriptum: Iusta defensio etc. Per eruditissimum D. E. A. Licentiatum Lovaniensem, Henrici a S. Ignatio partes suscipientem.* 1714.

MLXXIV. **Livinus Meyere** *responsio ad librum Henrici a S. Ignatio, cui titulus: Gratiae per se efficacis etc.* Bruxellis. 1715.

MLXXV. *Decretum pastorale Epporum Lucionensis et Rupellensis ex gallicó latinum redditum.* Dilingae. 1714. Celebre decretum: quo et Quesnellistarum effugia conteruntur, et honor Bossueti Meldensis defenditur, de quo in Literatura prioris seculi sermo fuit.

MLXXVI. **Fenelon** AEppus Cameracensis, *tractatus pro Constitutione: Unigenitus.* Versaliis. 1714.

MLXXVII. **Martianay** O. S. B. *Apologia Constitutionis: Unigenitus.* 1714.

MLXXVIII. **Roncaglia** *effectus reformationis a Luthero et Calvino factae, et de Iansenismo.* Lucae. 1714.

MLXXIX. **Assermet** Minor. *tractatus scholastico-theologicus de divina gratia ad mentem S. Romanae Ecclesiae.* Paris. 1715.

MLXXX. **Lucchesini** S. I. *de propositionibus 101 nuper damnatis a SS. P. N. Clemente XI libri tres, in quorum primo plurimae illae, quae innovant famosas quinque Iansenii haereses, evertuntur auctoritate S. Augustini; in secundo eaedem demonstrantur pugnantes apertissime cum Evangelio; in tertio reliquae prorsus omnes ostenduntur execratione dignissimae. Enchiridii in Iansenianos pars quarta.* Romae. 1715.

MLXXXI. Idem, *Operum tomus secundus, in quo editio altera — Historiae polemicae Iansenismi, et ostensio, quod in antecessum haec haeresis damnata fuerit a S. Syn. Tridentina;*

solutio cavillationum, quibus Ianseniani utuntur, et acta omnia authentica contra hanc sectam. Romae. 1715.

MLXXXII. **Barthol. Bosses** S. I. *Epistolae Abbatis N. ad Eppum N. quibus demonstratur aequitas Constitutionis: Unigenitus, nec non libellis adversus hanc Constitutionem editis respondetur. E Gallico latine redditae. Accedit declaratio S. Fac. Theol. Lovaniensis circa dictam Constitutionem.* Colon. 1715. — Lovanii. 1716. — Graecii. 1716.

MLXXXIII. **Georg. Gengel** S. I. *admiranda Iansenismi tribus exposita tractatibus.* Brunsbergae. 1715.

MLXXXIV. **Van Ranst** O. Praed. *veritas in medio.* 1715. Pro Constit. Unigenitus.

MLXXXV. **Cock** *de Petro Codde AEppo Sebasteno, in Hollandia Vicariatus Ap. potestate potito, functo, ac defuncto libri tres: ubi de apost. Sedis in eum iudicii aequitate disseritur.* Romae. 1715.

MLXXXVI. **Henr. Hinsberg** S. I. *Onocephalus, sive vindiciae S. Fac. Theol. Coloniensis, tecto nomine scriptae contra Iansenistas confines, qui ulturi obedientiam nuper ab Univ. Coloniensi delatam bullae dogmaticae ‚Unigenitus', tenebrionum more sparserant libellum, quem epistolas eloquentium virorum baptisarunt, imitaturi eos, qui olim obscurorum virorum epistolas consarcinarunt contra hanc eandem catholicam Universitatem, eo, quod se Luthero et Rabbinisantibus neotericis opposuerat.* Colon. 1715.

MLXXXVII. **Livinus Meyere** S. I. *quaestio theologica: an liceat iuxta mentem Ap. Sedis, et nominatim iuxta declarationem Const. Clementis XI, quae incipit ‚Vineam Domini Sabaoth,' iurare formulam Alexandri VII, retento interius obvio, proprio et naturali sensu V propositionum, quem reipsa in libro Iansenii habent, soluta.* Bruxellis. 1716.

MLXXXVIII. **Franc. Herzig** S. I. *Calvinus Cornelii Iansenii Iprensis Eppi S. Scripturae, Pontificibus, Conciliis, et SS. Patribus, praeprimis Augustino e diametro oppositus.* Wratislaviae. 1716.

MLXXXIX. **I. C. Deckerus** *animadversiones in librum damnatum, cui titulus: Tractatus de promulgatione legum eccles.* Hasseleti. 1716. Contra Van Espenium.

MXC. **Christoph. Leopoldus** S. I. *dissertationes histo-*

rico-polemicae octo, quibus Constitutio Clementis XI. contra ‚Frickium' propugnatur. Aug. Vind. 1717.

MXCI. **Christoph. Iac. Paderbornius** *(Iac. Fontaine* S. I.) *SS. D. N. Clementis P. XI. Constitutio ‚Unigenitus' theologice propugnata.* Romae. 1717.

MXCII. **Franc. Herzig** S. I. *propositiones Quesnellii per bullam ‚Unigenitus' iustissime damnatae, et una cum bulla legitimoque earumdem propositionum sensu editae.* Wratislaviae. 1717.

MXCIII. **Iac. Spreng** S. I. *Constitutio ‚Unigenitus' SS. D. N. Clementis XI. vindicata, ac publice propugnata.* Bruntruti. 1717.

MXCIV. **Alph. Huylenbroucq** S. I. *errores et synopsis vitae Paschasii Quesnel presbyteri Galli, cuius 101 propositiones, Constitutione SS. D. N. Clementis XI. ‚Unigenitus' per Ecclesiam damnatae, SS. Literis ac doctrinae SS. Patrum opponuntur. Accedunt instrumenta publicationum, quibus eadem Constitutio per Europam est anunciata.* Antverpiae. 1717.

MXCV. **Dominicus Viva** S. I. *trutina theologica thesium Quesnellianarum.* Beneventi. 1717. — Genevae. 1721.

MXCVI. **Iac. Longueval** S. I. *tractatus de schismate, ex gallico latine redditus. ‚Christianus mihi nomen, Catholicus cognomen.'* Lovanii. 1718. Versor est *Livinus Meyere* aeque S. I.

MXCVII. *Veritas catholica circa Constitutionem SS. D. N. Clementis XI, quae incipit, ‚Unigenitus', compendio demonstrata pro instructione piorum fidelium ADiocesis Trevirensis.* Trev. 1718.

MXCVIII. **Deckerus** *annotationes in librum, cui titulus: Ius Ecclesiasticum universum.* Leodii. 1718. Contra *Van Espenium.*

MXCIX. **Petr. Govarts** Vicarius Apost. Buscoducensis, *epistola ad AEppum Mechliniensem, de Constit. Unigenitus.* 1718. Epistola haec, in qua inclytus auctor *Espeniana* opera severe perstringit, velut pomum discordiae evasit in Belgio.

Livini Meyere S. I. controversia cum Ioanne Opsträto Doctore Lovaniensi. Diuturnior haec erat contentio

inter duos eruditos, quorum posterior Iansenismo favebat. Scripta prodierant sequentia:

MC. **Ant. Parmentier** Regens et Praeses Collegii Theol. Lovan. *Statera rationum, quibus aliqui ex Facultate Artium innixi, 7 Nov. 1718. protestati sunt contra propositionem venerabilis atque eruditissimi D. Decani, et conclusionem Facultatis de palam facienda submissione sua erga Const. Unigenitus.* Lovanii. 1718.

948. **Ioan. Opsträt** *Statera Antonii Parmentier Doctoris in S. Facultate Lovaniensi recentiore, appensa in statera per discipulos S. Fac. Lov. antiquae, et inventa minus habens.* 1719.

MCI. **Livinus Meyere** S. I. *dogma triplex a paucis Lovanii protestantibus assertum, utrique Potestati, ecclesiasticae et seculari expendendum. Proponitur per fidelem Pontifici et Caesari Theologum Romano-Catholicum.* Lovanii. 1719.

949. **Opsträt** *fraus septuplex libelli seditiosi, qui inscribitur: Dogma triplex etc. detecta per discipulos Fac. Th. Lov. antiquae, et utrique Potestati, eccl. et seculari, denunciata.* 1719.

MCII. **Meyere** *statera protestantium in duobus primis ipsorum paragraphis expensa. Per theologum Romano-Catholicum.* Lov. 1719.

950. **Ioan. Opsträt** *responsio ad stateram protestantium expensam, sive advocatus Antonii Parmentier Doctoris in S. Fac. Lov. recentiore frustra laborans clientem suum a crimine calumniae purgare, et ipse de calumnia per discipulos S. Fac. Lov. antiquae convictus, atque a iudicio repulsus.* 1719.

MCIII. **Parmentier** *Statera secunda, in qua appenduntur rationes, quibus innixus advocatus protestantium sustinet sibi non imputandum, quod scriptum suum neque nomen auctoris expressum praeferat, neque nomen typographi, neque impressionis locum, neque approbationem censoris. ‚Iustificationem meam, quam coepi tenere, non deseram.‘* Lovanii. 1719.

MCIV. *Epistola ad auctorem scripti, cui titulus: Statera Antonii Parmentier* etc. 1719. Auctor uberius probat infallib. Pontificiam, per anonymum opellae dictae scriptorem in dubium vocatam.

MCV. **Meyere** *refutatio responsionis ad stateram protestantium expensam per theologum Rom. Cath.* Lov. 1719.

MCVI. Idem, *appendix, qua refutatur scriptum, cui titulus: Fraus septuplex.* Lov. 1719.

951. **Opsträt** *advocatus Antonii Parmentier non ita pridem publica orbis sententia a iudicio repulsus, dum se iterum iudicio ingerit, et nihilo melius ratiocinatur quam ante, e foro ad logicam detrusus.* 1719.

952. *Statera Antonii Parmentier — appensa in statera per discipulos S. Fac. Lov. antiquae, et inventa minus habens, in tres partes distributa. Accedit Statera secunda, item responsa varia ad advocatum Antonii Parmentier.* Delphis. 1719.

MCVII. **Meyere** *circa verba S. Augustini: ‚Roma rescripta venerunt, causa finita est,' refutantur cavilli protestantium per theologum Rom. Cath.* Lov. 1719.

953. **Opsträt** *advocatus Antonii Parmentier non ita pridem e foro ad logicam detrusus, dum iterum circa verba S. Augustini ‚Roma rescripta venerunt causa finita est' pessime ratiocinatur, nisi magis in logica profecerit, ad rhetoricam dimittendus.* 1719.

MCVIII. **Meyere** *causam Liberii et Concilii Ariminensis non favere sed obesse causae protestantium ostenditur per theologum Rom. Cath. Accedit appendix, qua refutatur scriptum: Advocatus — e foro ad logicam detrusus.* Lov. 1719.

954. **Opsträt** *advocatus Antonii Parmentier, e logico rhetor, in causa Liberii et Concilii Ariminensis sine logica declamans. Accedit appendix, qua vindicatur scriptum: Advocatus — e foro ad logicam detrusus.* 1719.

MCIX. **Meyere** *aurea sententia S. Augustini: ‚Roma rescripta venerunt, causa finita est,' infallibilitati Summi Pontificis favere ostenditur, et a nuperis patroni protestantium cavillis vindicatur per Theologum Rom. Cath.* Lov. 1719.

MCX. *Dissertation sur ce mot de S. Augustin: ‚Causa finita est', — avec un avertissement ou l' on refute en particulier un petit ecrit latin publié a Louvain sur le meme sujet.* 1719.

MCXI. **Meyere** *causam Cypriani non favere sed obesse causae protestantium ostenditur per theologum Rom. Cath. Accedit Appendix, qua refutatur scriptum: Fraus septuplex.* Lov. 1719.

955. *Le faux schisme des appellans et le vrai schisme de l' Archeveque de Malines demontres par la lettre pastorale de ce Prelat. Avec des remarques sur quelques libelles.* 1719. Tota appendix impugnat praecedentem librum.

956. **Opsträt** *advocatus Antonii Parmentier quia in exhibenda causa S. Cypriani ostendit se nihil profecisse in logica, ad docendam rhetoricam dimissus. Accedit appendix, qua adversus appendicem Advocati defenditur scriptum: Fraus septuplex.* 1719.

957. Idem, *advocatus Antonii Parmentier rhetorice in causa S. Cypriani declamando lassus, et ad finem anhelans. Accedit appendix, qua iterum vindicatur scriptum: Fraus septuplex, adversus appendicem, qua iterato illud impugnat advocatus.* 1719.

MCXII. **Meyere** *ultimus conatus patroni protestantium circa causam S. Cypriani refutatur per theologum Rom. Cath. Accedit appendix, qua fraus septuplex iterum recocta refutatur, et in ipsum fraudis auctorem retorquetur.* Lov. 1719.

MCXIII. Idem, *patronus protestantium in causa Liberii et Concilii Ariminensis ad extrema redactus ostenditur per theologum Rom. Cath. Accedit appendix, qua refutatur appendix patroni protestantium; item appendix altera, qua idem non unius mendacii reus agitur.* Lov. 1719.

MCXIV. **Guil. Poelmann** O. Praed. *Theses theol. de actibus humanis, defensae Lovanii: quibus annexa quaestio facti* (de Iansenio) *solvitur hac conclusione: Summi Pontificis, dum ex cathedra de rebus fidei et morum definit, infallibilitatem sanctus et angelicus Doctor Thomas et constantissime semper docuit, et evidentissime multis scriptorum suorum locis demonstravit.* 1719.

958. **Opsträt** *Pondus novum adiectum ad partem tertiam Staterae appensae in statera; contra Postscripta Poëlmanni: seu quaestio facti, an S. Thomas docuerit, Summum Pontificem esse infallibilem in decidendis quaestionibus fidei et morum? ex ipso S. Thoma et Thomistis soluta.* Delphis. 1719.

MCXV. **Phil. van Wawre** O. S. Aug. *Sanctus Augustinus docens, quam sit dolosa statera, opponens Constitutioni Clementinae ‚Unigenitus.'* Lovanii. 1719.

MCXVI. Idem, *de appellationibus a Papa ad Concilium Generale.* Lovan. 1719.

MCXVII. Idem, *privilegium S. Petri ac successorum eius ex S. Augustino assertum.* Lov. 1719.

MCXVIII. Idem, *Causa dispar inter oppositionem S. Cypriani Carthaginensis Eppi contra rescriptum S. Stephani Papae, ac inter oppositionem quorumdam contra novissimam Clementis XI bullam ‚Unigenitus', corde pacifico elucidata.* Lovan. 1719.

MCXIX. Idem, *peremtoria S. Augustini sententia: ‚Causa finita est', ab iniquo staterae libramine ex ipso Augustino vindicatur.* Lovanii. 1719.

MCXX. **Petr. Malleus** presb. Antverpiensis, *Bellarminus de Rom. Pont. infallibilitate vindicatus a cavillis et calumniis patroni protestantium Lovanii, damnatorum operum Launoii et Dupinii plagiarii fere perpetui, Lutheranorum et Calvinistarum armis pugnantis.* Lovan. 1723.

MCXXI. Idem, *responsa antiqua ad nova interrogata a Novatore Quesnelliano proposita DD. Damen et De Quareux librorum censoribus, in quibus Malleus, Fontanus, Deckerius atrocibus calumniis proscinduntur.* Lov. 1723.

MCXXII. **Emmanuel Navarro** *pro Constitutione Unigenitus.* Matriti. 1719.

MCXXIII. **Aug. Michel** *confutatio libri: Expostulatio, qua reclamat adversus decretum pontificium Quesnell.* Landishuti. 1719.

MCXXIV. *Acta Ecclesiae Mechliniensis circa bullam Unigenitus.* 1719.

MCXXV. **Petr. Malleus** *dialogus* (1—3.), *quo ostenditur, Const. Unigenitus a tota Ecclesia acceptatam esse.* Antverpiae. 1719—1722.

MCXXVI. **Anselmus Gudenus** *diss. de aequitate et veritate Clementis XI constitutionis dogmaticae ‚Unigenitus', proposita ac remonstrata.* Erfordiae. 1719.

MCXXVII. **Huylenbroucq** S. I. *scriptum, cui titulus: ‚Quaestiones de Const. Unigenitus' refutatum a Belga Catholico.* Bruxellis. 1719.

MCXXVIII. **Vinc. Mascarell** S. I. *tractatus theologicus, dogmaticus, et canonicus de libertate actus divinae fidei, ex quo 43 Quesnelli propositionum iusta deducitur damnatio, ad mentem Clementis XI P. M. in Const. Unigenitus.* Salmanticae. 1719.

MCXXIX. **Brocardus a S. Nicolao** Carmel. *diss. polemica de Primatu, iurisdictione, infallibilitate, et superioritate tam in quam extra Concilium Generale, Romani Pontificis, item de Bulla Unigenitus, et nullitate appellationis ad futurum Concilium Gen.* Aug. Trev. 1719.

1720.

959. *Veritas propositionis inter 101 tertiae, per SS. Patres et Scripturam demonstrata, et inde conclusum, Bullam ‚Unigenitus' non esse receptam ab Ecclesia.* 1720. Propositio III sic sonat: ‚In vanum Domine praecipis, si tu ipse non das, quod praecipis'.

960. **Schrör** *diss. de sententiis, quas de peccato originis tulerunt Iansenius, Quesnellius, et Pontificii.* Vitemb. 1720.

961. Idem, *diss. de sententiis, quas de gratiae doctrina tulerunt Iansenius, Quesnellius, et Clemens XI.* Vitemb. 1721.

962. **Basil. Casp. Wideburg** *annotationes et confutationes in ‚Petri de Marca' exercitationem de singulari primatu Petri.* Helmstadii. 1720. Pro bicipiti Capite Ecclesiae a Ianseni-stis Seculo XVII defenso.

963. **I. I. Müller** *annotationes et confutationes posteriores* etc. 1720. Prioribus additae.

964. **Christoph. M. Pfaff** *historia constitutionis ‚Unigenitus', quae primum locum habet in Actis publicis Constitutionis a Clemente XI P. R. contra Paschasium Quesnellum conditae, usque ad declarationem regiam Parisiensem, quae silentium disceptantibus imposuit.* Tubingae. 1721.

965. *Epistola ad SS. D. Innocentium Papam XIII occasione Constitutionis Unigenitus.* 1721. Epistolae huic septem Praesules Galliae subscripti erant, qui Constitutionem recipere tergiversabantur.

966. **Sebast. Knippenberg** *doctrina S. Thomae in materia de Gratia ab erroribus ipsi falso impositis liberata. Ad-*

iungitur compendium doctrinae Cornelii Iansenii Iprensis Eppi in V famosis propositionibus illius damnatae. 1722.

967. Idem, *opusculum contra librum anonymi auctoris: Praedicatorii Ordinis fides et religio vindicata.* 1722.

968. *Obedientiae credulae vana religio, seu silentium religiosum in causa Iansenii explicatum, et salva fide ac auctoritate Ecclesiae vindicatum adversus Theologum Leodiensem.* 1722.

969. **Pfaff** *acta publica Constitutionis ‚Unigenitus'. Nova editio, cui accessit illud novius, quod Card. Noaillius cum Eppis Gallicanis Constitutionem ‚Unigenitus' suis dilutam explicationibus acceptavit.* Tubingae. 1723.

970. **Corn. Koch** *annotationes evangelicae circa Const. Unigenitus.* 1724.

971. *Relatio stupendi miraculi, quod die 31. Maii 1725. SS. Corpori Christi sacra patratum fuit, una cum salutari instructione ad fideles.* 1725. Referunt Quesnellistae in libro praesenti, mulierem quamdam occasione processionis sub ductu parochi appellantis factae repente sanatam extitisse, hocque ipsum instar novi argumenti pro veritate causae Appellantium a Constit. Unigenitus habendum esse.

972. *Explicationes SS. D. N. Papae Benedicti XIII circa bullam ‚Unigenitus' in Franciam missae.* Trecis. 1725. Liber Quesnellisticus cum XII articulis a Cardinale Noaillio propositis, quos nimirum ad pacem componendam aptos censebat: sed quos Papa haud acceptavit, simplicem Constitutionis receptionem desiderans.

973. *Praeconium miraculi in nova hemorrhoisa.* 1726.

974. *Sibylla Capitolina, Publ. Virgilii Maronis poëmation, interpretatione et notis illustratum. Oxonii e theatro Sheldoniano.* (Hollandia.) 1726. Satyra in bullam ‚Unigenitus.'

975. *Commentarii de Consiliis Iansenistarum.* Paris. 1728. Legitimare nititur auctor appellationem ad Concilium.

976. **Theodoricus** *instrumentum denunciationis ad universam Ecclesiam, et ad futurum Concilium Generale liberum, oecumenicum, Molinismi, Suarismi, Sfondratismi, Bullae Unigenitus, tamquam apertarum haeresum, et directe fidei adversantium.* 1728.

977. *Nachdenkliche Vergleichung der Sittenlehre der Heiden mit derjenigen, die man heutiges Tages bei den Jesuiten und in der Constitution Pabsts Clem. XI. ‚Unigenitus' antrifft.* Köln. 1728.

MCXXX. **Marianus Brockie** O. S. B. *examen theologicum doctrinae Quesnellianae, quo aequitas et iustitia Constitutionis dogmaticae ‚Unigenitus' demonstratur.* Erfurti. 1720. In opus hoc nonnullas animadversiones scripsit:

978. **Honoratus a S. Maria** Carmel. *difficultates propositae auctori Examinis theologici.* Paris. 1720.

MCXXXI. **Martinus Lucernensis** Capuc. *Iansenius exarmatus in epistolis instructivis et antihexaplis: contra modernos errores Iansenismi, et praesertim contra 101 propositiones Quesnelli.* Solodori. 1720. 3. vol.

MCXXXII. **Franciscus Martin** *motivum iuris pro bullae Unigenitus orthodoxia, contra novissimas Quesnelli literas.* 1720.

MCXXXIII. Idem, *S. Thomas pro infallibilitate Pontificia vindicatus contra Natalis Alexandri, et Opsträti cavillos.* Lovanii. 1720.

MCXXXIV. *Synopsis historiae Quesnellianae.* Pragae. 1720.

MCXXXV. **Ios. Languet** *institutio pastoralis super Constitutione Unigenitus.* Duaci. 1720.

MCXXXVI. **Casimirus Huiensis** Carmel. *Collatio elocutionum Scripturae S. Conciliorum, SS. Patrum et Doctorum Ecclesiae cum verbis Quesnelli, eiusque 101 propositionibus damnatis per bullam Unigenitus.* Leodii. 1720.

MCXXXVII. **Bern. Desirant** O. S. Aug. *Consilium pietatis de non sequendis errantibus, sed corrigentibus, ad Appellantes.* Romae. 1720. 3. vol.

MCXXXVIII. **Dumas** Dr. Sorbonicus, *historia V propositionum.* Paris. 1720.

MCXXXIX **Fructuosus Correa** S. I. *iudicium S. Facult. Theol. Academiae Eborensis circa Constit. dogmaticam ‚Unigenitus' a SS. D. N. Clemente XI. datam.* Eborae. 1720.

MCXL. **Steph. de Segueyra** S. I. *oratoria propugnatio*

pro Constit. Apostolica SS. D. N. Clementis XI. Pont. O. M. quae incipit: Unigenitus. Eborae. 1720.

MCXLI. **Marc. Iulian** vulgo **del Rio** O. S. F. *de infallibilitate Rom. Pont. in definiendo, et contra cavillationes Iansenismi armamentum.* 1720. 2. vol.

MCXLII. **Bern. Desirant** *S. Augustinus vindicatus contra 101 damnatas Paschasii Quesnelli propositiones, et contra Frickium, Jägerum, Jenichen, etc.* Romae. 1721. 7. vol.

MCXLIII. **Mart. Hlawaczek** S. I. *concordia dogmatum Quesnelli cum Iansenio adversus genuinam Romanae Eccl. Cath. et D. Aurelii Augustini doctrinam explicata et refutata.* Olomucii. 1721.

MCXLIV. **Ant. Mayr** S. I. *S. Augustinus Doctor gratiae et libertatis theologice propugnatus.* Ingolstadii. 1721.

MCXLV. **Stanisl. Glowczynski** S. I. *opus contra Iansenistas.* 1722. Operi immortuus auctor, illud in Mss. duntaxat reliquit.

MCXLVI. **Franc. Hertzig** S. I. *propositiones Quesnelli 101 a SS. D. N. Clemente XI. per bullam Unigenitus damnatae et una cum bulla legitimoque earumdem propositionum sensu theologicis thesibus publice propugnatis annexae.* Brunsbergae. 1722. Nova editio.

MCCCXIII. **Pallavicini** *vera Oec. C. Tridentini — historia contra haereses nec non varias universae reipublicae christ. revolutiones et falsam ‚Petri Suavis Polani' narrationem scripta et fideliter asserta.* Colon. 1717. Ed. nova.

MCCCXIV. **Tremblay** *Critique de l' histoire du Concile de Trente de ‚Fra Paolo', des lettres et des memoires de ‚Vargas'.* Rouen. 1719. Acriter castigat Sarpium.

MCCCXV. *Instruction pastorale et ordonnance de l'* **Archeveque d' Embrun,** *portant condamnation du livre: Histoire du Concile de Trente par Fra Paolo Sarpi.* 1738. Est damnatio editionis *Courayerianae.*

MCCCXVI. **Thadd. Fr. Schwaiger** Praem. *selectarum quaestionum theologico-polemicarum iuris et facti rotulus, de Conciliis Oecumenicis.* Pragae. 1740. Peculiares instituit disquisitiones super C. Tridentino, eiusque legitimitatem et auctoritatem adversus Sarpium, Molinaeum, Gentiletum, Chemnicium vindicat.

MCCCXVII. **Mignot** *histoire de la reception du Concile de Trente dans les Etats Catholiques.* Amsterdam. (Paris). 1756.

MCCCXVIII. **Appiano Bonafede** S. I. *della malignita istorica discorsi tre, contro ‚P. Fr. le Courayer', nuovo interprete della Istoria del Concilio di Trento di ‚Pietro Soave,'* Bologna. 1757.

MCCCXIX. **Ios. Biner** S. I. *dissertatio: an Protestantes iustam excusationem habeant, cur in Concilio Tridentino non comparuerint, eique obedire detrectarint?* Praesens dissertatio ex ‚Apparatu ad Iurisprudentiam Ecclesiasticam' desumta, continetur in *Thesauro Theologico, edito a ‚Fr. Zaccaria' Venet. 1762. Tom. VII.*

MCCCXX. **Venantius Glavina** O. S. Pauli, *Conc. Tridentinum acceptatum in Dioecesi Zagrabiensi, imo in tota Hungaria.* Zagrabiae. 1771.

MCCCXXI. **Petr. Fontidonius** Segoviensis Canonicus Salmantinus, *Apologia pro sacro et oecumenico C. Tridentino adversus ‚Ioannem Fabritium Montanum' ad Germanos.* Aug. Vind. 1775. Adiecta est haec apologia novae editioni historiae Pallavicinianae : sed et separatim prodivit Salisburgi.

MCCCXXII. **Aloysius Merz** S. I. *Frage: ob die protestantischen Christen nicht eben so, wie die Katholischen im Gewissen verbunden seien, den Entscheidungen des allgemeinen Kirchenraths zu Trient sich zu unterwerfen, und dessen Glaubensformel anzunehmen.* Augsburg. 1777.

MCCCXXIII. **Zaccaria** S. I. *Istoria del Concilio di Trento scritta dal ‚Sforza Pallavicino', ove insieme rifiutasi con autorevoli testimonianze un' Istoria falsa divolgata nello stesso argomento sotto nome di ‚Pietro Svave Polano.' Ora divisa in 5 tomi ed illustrata con annotazioni.* Faënza. 1792. ss.

MCCCXXIV. **Gervasio** Abbate della Trappa, *l' onore della Chiesa Cattolica e dei Sommi Pontefici difeso contro alle calunnie, imposture, e bestemmie della Storia del Concilio di Trento di ‚Fra Paolo', e particolarmente nelle Note che ci ha aggiunte.* Napoli. 1792.

Literatura de Ecclesia Graeca.

a) Contra Primatum.

1078. **Allix** *Nectarii Patr. Ierosolymitani confutatio imperii Papae in Ecclesiam.* Londini. 1702. Est latina versio operis graeci a. 1662. conscripti et 1682. editi, ut in Literatura Sec. XVII. monuimus.

1079. **Stephanus Jaworsky** Metropolita Rezanensis et Muromiensis, vices Patriarchae Moscovitici obiens, *signa adventus Antichristi et finis mundi e S. Scriptura demonstrata quomodo cum Apostolorum quaestione Matth. 24. consentiant.* Moscoviae. 1704. Sat clare enunciat, Romanum Pontificem esse Antichristum, inde a temporibus illis, quo Papae monarchis Orientis despectis, in Occidente novos coronarunt monarchas.

1080. Idem, *brevis responsio ad famosum scriptum de nato his temporibus Babyloniae Antichristo.* Moscvae. 1707. Respondet anonymo censori libri prioris.

1081. **Standley** ADiac. Londinensis, *treuherzige Warnung an die Moscovitische Kirche, vor den Nachstellungen der Römischen Kirche sich zu hüten.* Berlin. 1708. Versio ex Anglico.

1082. **Alexander Helladius** *de statu praesenti Ecclesiae Graecae.* Altorfii. 1714. Instar supplementi adiecit controversias nonnullas, quibus ecclesiae Graecae adversariis satisfacere conatur.

1083. **Theophanes Procopowicz** AEppus Novogrodensis, plurium scriptorum auctor, ac cumprimis processionis Spiritus S. iuxta doctrinam Graecorum defensor, vulgavit: *Responsum Ecclesiae Graeco-Russicae ad proiectum Sorbonae de unione Ecclesiae Orientalis cum Occidentali.* 1718. Proiectum unionis Doctores Sorbonici exhibuerunt Petro I. Russorum Czaro, quum Parisiis moraretur.

1084. Idem, *disquisitio historica bigae quaestionum: 1. quibus de causis et quo sensu Imperatores Romani tam ethnici quam christiani appellati fuerint Pontifices, sive archierei gentilis religionis? 2. num christianae religionis summi Imperantes dici possint Episcopi et Archierei et quo sensu?* Petropoli. 1721. Russorum Monarcham qua Caput Ecclesiae schismaticae defendit.

1085. Idem, *argumenta ex Conciliis, decretis, et Caesareis legibus, pro suprema inspectione Caesarum in rebus ecclesiasticis.* 1722. Est quasi appendix prioris op.

1086. *Epistola synodica C. CPni a. 1722. habiti a Patriarchis Graecis Hieros. Antioch. et CPno, praesentibus XII AEppis et Eppis, transmissa ad Melchitas.* Errores schismaticos propugnat, et Primatum negat.

1087. *Ecclesia Graeca lutheranisans, sive exercitatio de consensu et dissensu Orientalis Graecae, speciatim Russicae, et Occidentalis lutheranae Ecclesiae in dogmatibus, ex variis, quae de religione Graeca extant, monumentis eruta. Cui ob materiae affinitatem adiecta in calce est dissertatio ‚I. Quistorpii' de Christianismo Graecorum hodiernorum, opposita Leoni Allatio Theologo Romano.* Lubecae. 1723.

1088. **Gabriel Philadelphiensis** AEppus Graecorum Venetorum, *discordia Ecclesiae Orientalis Graecanicae ab Ecclesia Latina Occidentali in rebus fidei et disciplinae.* 1725. Est

iniquus tractatus adversus Rom. Pont. Primatum, et apologia doctrinae Graecorum.

1089. **Ioan. Fr. Buddeus** *Ecclesia Romana cum Ruthenica irreconciliabilis: seu scriptum aliquod Doctorum quorumdam Sorbonicorum Augustissimo Russorum Imperatori ad utriusque Ecclesiae unionem ei svadendam exhibitum, modeste expensum et animadversionibus illustratum.* Ienae. 1729.

1090. Idem, *Erörterung der Frage: ob eine Vereinigung der römisch-katholischen und russischen Kirche zu hoffen sei?* Jena. 1729.

1091. **Procopowicz** *adductio anglicanae eppalis ecclesiae ministri ‚Michaelis Franc. Malardi' ad Orientalis Graeco-Rossiacae vere orthodoxae apostolicae Ecclesiae professionem.* 1733. Inter 8 puncta, quae in opusculo hoc expenduntur, occurrit Primatus, quem a Romano Eppo usurpatum esse ait auctor.

1092. **Chr. Matth. Pfaff** *diss. historico-polemica de titulo Patriarchae oecumenici, pomo Eridos inter Graecam et Latinam Ecclesiam.* Tiguri. 1739. Inserta est dissertatio scripto periodico: ‚**Tempe Helvetica.** Tiguri. 1739. IV. 99.'

1093. **Guil. Frid. Lütiens** Holsatus, *dissert. hist.ecclesiastica de religione Ruthenorum hodierna.* Gottingae. 1745.

1094. **Heliae Meniatae** *Lapis offendiculi, sive expositio originis et causae discidii duarum, Orientalis et Occidentalis Ecclesiarum, cum quinque controversiis. In Latinum conversa a* **Nic. Mothonis,** *et* **Gregorio Kositzki.** Vratislaviae. 1752. Primatum singulariter oppugnat, unicamque esse dicit causam perseverantis dissidii.

1095. **I. Frid. Le Bret** *acta Ecclesiae Graecae annorum 1762. 1763. sive de schismate recentissimo in Ecclesia Graeca subnato commentatio.* Stuttgardiae. 1764. Invehitur in Brevia Clementis XIII. de Eppo Graeco Venetiis ex schismaticis electo, ac per Pontificem reprobato.

1096. **Elias Meniates** *der Stein des Anstosses. Übersetzt von* **Jac. Kemper.** Wien. 1787.

---

b) Pro Primatu.

MCCCXXV. **Ioan. Salerni** S. I. *specimen Orientalis Ecclesiae ab origine ad C. Nicaenum I: ab alumnis collegii Grae-*

corum exhibitum. In quo — paucis exponitur, quae fuerit Orientalis Ecclesia primis tribus a Christo seculis, et quid senserit de Primatu Petri et Romani Eppi. Adiecta brevi paraenesi qua Photiani Orientales ad catholicam unionem sub Clemente XI. Graecae nationis amantissimo revocantur. Romae. 1702.

MCCCXXVI. **Mart. Szentiványi** S. I. *dissertatio chronologico-polemica de initio, progressu, et decremento Graeci schismatis, et de exoptata magno desiderio reunione Graecorum cum Romana Ecclesia; in gratiam Valachorum, Ruthenorum, et Rascianorum sub corona Hungariae conscripta auctoritate et iussu ‚Leopoldi de Kollonicz.'* Tyrnaviae. 1702.

MCCCXXVII. **Ant. Vaira** Venetus, Professor Patavinus, *de praerogativa oecumenicae nomenclationis et potestatis Romani Pontificis a CPnis Praesulibus usurpata historica dissertatio.* Patavii. 1704. Opus insigne pro Primatu, et contra Graecos.

MCCCXXVIII. **Salerni** S. I. *Specimen Orientalis Ecclesiae a C. Nicaeno I. usque ad CPnum Generale II. Pars prima historica.* Romae. 1706.

MCCCXXIX. *Quaestiones Graeco-Russicae.* 1713. Anonymus auctor in libro hocce, russica et polonica lingva concinnato, percurrit singula fere dogmata Catholica, et ea non modo e Sacris paginis, Patribus etc. sed etiam e libris Russico-Graecorum scriptorum illustrat ac confirmat. Librum hunc refutare adnisus est:

1097. **Steph. Pribüilowitsch,** *responsio ad libellum papisticum: Graeco-Russicae quaestiones.* Sed opusculum mansit ineditum.

MCCCXXX. **Aloyzius Andruzzi** *vetus Graecia de S. Romana Sede praeclare sentiens, sive responsio ad Dositheum Patr. Hieros.* Venet. 1713. Solida refutatio Dosithei, cuius opus in literatura Sec. 17. recensuimus.

MCCCXXXI. **Steph. Jaworski,** *Lapis sive Petra fidei, orthodoxis S. Ecclesiae ad confirmationem et spiritualem aedificationem, offendentibus autem ad lapidem offensionis et scandali ad resurrectionem et emendationem.* Moscuae. 1713. Auctor cum ante paucos annos adhuc contra Sedem Romanam scripsisset, in praesente libro se quasi Catholicum exhibet, et dogmatum utriusque Ecclesiae, Orientalis et Occidentalis, consensum, Confessionis contra Lutheranae ab utraque Ecclesia dissensum

uberrime comprobat. Liber, anno 1713. compositus, sed primum 1728. typis vulgatus, plura provocavit ex parte Lutheranorum scripta. Seriem controversorum horum scriptorum paucis exhibemus:

1098. *Acta Eruditorum.* Lipsiae. 1729. p. 229. vehementiori stylo concepta recensio dicti operis.

1099. **I. Fr. Buddeus** *epistola apologetica pro ecclesia lutherana contra calumnias et obstrectationes ‚Stephani Jaworskii' ad amicum Moscuensem.* Ienae. 1729.

1100. **I. Theod. Jablonski** *genius Stephani Jaworscii ex eius opere posthumo theosophico ‚petra fidei' dicto, in epistola familiari revelatus.* 1730. Auctoris frater *Daniel Ernestus* etiam refutationem operis Jaworskiani scripsisse perhibetur, sed scriptum eiusdem typis editum non est.

1101. **Bulfinger** *Stephani Jaworskii discursus de poena haereticorum noviter ab Ecclesia se avellentium, ex opere illius polemico, quod ruthenico sermone prodiit, in latinum idioma translatus et notulis adauctus.* Tubingae. 1731. Discursus praesens, ex opere Jaworskiano extractus, constituit caput postremum operis.

1102. **I. L. Moshemius** *disputatio de poenis haereticorum contra Steph. Iaworskium.* Helmstadii. 1731.

1103. *Malleus contra petram fidei.* 1731. Scriptum vehemens adversus librum Jaworskii. Post tot oppugnationes pro Jaworskiano libro vulgata sunt plura opuscula:

MCCCXXXII. **Theoplylactus Lopatinski** AEppus Twerensis, *opus contra doctrinam Lutheranam et Calvinianam, instar appendicis ad librum: Petra fidei.* 1731. Auctor tum ob hoc opus, tum quod Jaworskiani libri patrocinium susceperit, per Synodum Russicam depositus, sed auctoritate Caesarea subin Sedi suae restitutus fuit.

MCCCXXXIII. *Responsum ad pasquillum lutheranum: ‚Malleus contra petram fidei', qui malleus velut cera se exhibet, et prout haec in igne colliquescit, sic ille per Verbum Dei et veritatem omnem suam vim amittit.* 1731. Libellus hic dicitur in Mss. conservari, quin hactenus lucem adspexisset.

MCCCXXXIV. **Bern. Ribera** O. Praed. *responsum Antapologeticum Ecclesiae Catholicae contra calumniosas blasphemias, Ioannis Fr. Buddei nomine evulgatas, in orthodoxos lati-*

nos et graecos, quo ‚petrae fidei' a Stephano Jaworskio ad evertendum Lutheranismi pantheon iactae repetitur ictus. Viennae. 1731. Contra lucubrationem *Buddei.* Huic oppositi erant duo libelli :

1104. **Procopowicz** *reflexiones criticae in responsum Riberianum.* Petropoli. 1733.

1105. **Pfaff** *breves stricturae in scriptum Riberianum.* Tubingae. 1733. Sed respondit :

MCCCXXXV. **Ribera** *Echo fidei ab orientali Ecclesia Moscoviae personans, Romanam vocem vix non ingeminans, arctoae hydrae strepitus superans, photiano licet vinculo balbutiens, angelicae theologiae pharmaco convalescens, heterodoxia repurgata Ecclesiam adunans; opus theologicum.* Viennae. 1734. Ipsa S. Congregatio de Propaganda opus Jaworskianum denuo latine excudi curavit. Post hanc digressionem prosequimur recensionem literaturae :

MCCCXXXVI. **I. Laur. Lucchesinus** S. I. *demonstrata impiorum insania: — et eversio fundamentorum schismatis Orientalis.* Romae. 1714. Partem libri primam iam suo loco citavimus, dum de opusculis pro Primatu altero seculi decennio vulgatis sermonem fecimus : pars posterior stricte huc pertinet.

MCCCXXXVII. **Stephanus de Altimura** Ponticensis, *(Mich. le Quien) Panoplia contra schisma Graecorum, qua Romana et Occidentalis Ecclesia defenditur adversus criminationes Nectarii, nuperi Patriarchae Ierosolymitani, quas congessit in libro de Primatu Papae.* Paris. 1718.

MCCCXXXVIII. **Laur. Cozza** *historia polemica de Graecorum schismate ex eccles. monumentis concinnata.* Romae. 1719. 5. Vol.

MCCCXXXIX. **Abdalla Zacherus** Melchita Alepinus, *confutatio amplissima epistolae synodicae conciliabuli CPni ad omnes orthodoxos, ut aiunt, datae 1722, et in capita 17 distributae.* 1722. Disquisitione prima probatur Primatus. Vulgavit doctum opus *Card. Maius* in Coll. Vet. Script. IV. Romae. 1831.

MCCCXL. **Max. Wietrowski** S. I. *historia de magno schismate Graecorum in Oriente, in compendium reducta.* Pragae. 1723.

MCCCXLI. **Christoph. Peichich** Bulgarus Missionarius, *speculum veritatis inter Orientalem et Occidentalem Ecclesias*

refulgens, in quo separationis Ecclesiae Graecae a Latina brevis habetur recensio, item in fine opusculi catholica veritas Scripturae S. et SS. Patrum, Orientalium praesertim, testimonio roboratur. Venet. 1725. Praeclara pro Primatu lucubratio.

MCCCXLII. **Dorotheus** Capucinus, *confutatio epistolae synodicae CPnae, lingva arabica.* 1726. Apud *Card. Maium* l. cit.

MCCCXLIII. **Ant. Balsarinus** *confutatio eiusdem epistolae synodicae, lingva vulgari graeca.* 1726. Ibid.

MCCCXLIV. **Nicol. Saieghi** hieromonachus Basilianus in monte Libano, *confutatio epistolae synodicae, per modum dialogi inter Theophilum et Demetrium monachos concinnata.* 1726. Ibid.

MCCCXLV. **Abd. Zacherus** *antidotum sanans a veneno Gabrielis Philadelphiensis, sive confutatio errorum Graecorum schismaticorum, a praedicto Gabriele adversus Romanam Ecclesiam propugnatorum.* 1726. Ibid.

MCCCXLVI. *Ad SS. Concilia a ‚Phil. Labbeo et Gabr. Cossartio' S. I. presbyteris edita apparatus alter.* Venet. 1728. In eo continetur: **Hier. Donati** patritii Veneti *apologeticus ad Graecos de Principatu Romanae Sedis, et epistola ad Oliverium Card. Neapol. de primatu Eccl. Romanae* iuxta edit. Rom. anni 1525.

MCCCXLVII. **P. de Rubeis** *dissert. de sententia damnationis in Acacium.* (Patr. CPnum) Venet. 1728.

MCCCXLVIII. **Emmanuel a Schelstrate** *Acta Orientalis Ecclesiae contra Lutheri hacresim, monumentis, notis ac dissertationibus illustrata.* Romae. 1739. Nova editio post illam anni 1692.

MCCCXLIX. **Antonellus** *consultatio de commemoratione Romani Pontificis in publicis supplicationibus, et sacrosancto Missae Sacrificio apud Graecos.* Romae. 1746. Producit multa Orientis monumenta pro facienda memoria Summi Pontificis.

MCCCL. **Franc. Pejacevich** S. I. *controversiae Ecclesiae Orientalis et Occidentalis de Primatu et additione ad Symbolum, dialogo inter Graecum et Latinum propositae.* Graecii. 1752.

MCCCLI. *Flosculus veritatis de Ecclesiarum Unione, ex variis Orientalis Ecclesiae libris studio Basilitarum Balásfal-*

vensium prius idiomate valachico collectus, nunc vero eorumdem opera in latinum versus. Viennae. 1752.

MCCCLII. **Ioan. Andr. Tipaldi** S. I. *la Guida alla vera Chiesa di Gesu Cristo, proposta principalmente a Sequaci di Fozio, ma utile per ricondurre alla medesima ogni traviato, e di profitto ad ogni vero fedele.* Roma. 1752. ss. 3 vol.

MCCCLIII. **Anonymus S. I.** *defensio religionis graeco-ruthenicae cum Ecclesia Romana unitae.* Leopoli. 1753.

MCCCLIV. **Ant. Werntle** S. I. *Controversiae Ecclesiae Orientalis et Occidentalis disputationi publicae propositae in Academia Zagrabiensi.* Zagrabiae. 1754.

MCCCLV. **Ant. Kanislich** S. I. *Lapis offensionis, seu causa separationis Ecclesiae Orientalis ab Occidentali. Opus posthumum.* Eszekini. 1780.

MCCCLVI. **Bergier** *Eglise Grecque.* 1788. Est articulus Dictionarii theologici Auctoris.

MCCCLVII. **Franc. Boaretti** *dottrina de Padri Greci relativa alle circonstanze della Chiesa nel secolo XVIII.* Venezia. 1791.

II. Pontificatus et Civile Imperium.

1. Literatura ab initio Seculi usque a. 1779.

a) Contra auctoritatem Pontificiam.

In exhibenda Literatura Seculi XVIII quoad relationem Pontificatum inter et Imperium Civile, cum sit amplissima, eum sequemur ordinem, ut illam in duas Sectiones maiores partiendo, primum opera inde ab initio Seculi usque finem decennii octavi; dein illa, quae ab initio regiminis Iosephi II Imperatoris usque finem seculi prodivere, recenseamus. Epocha quippe Iosephina, ut notum est, literaturae fuit feracissimae, plurimis scriptis in ipsa Metropoli Imperii procusis. In ipsa porro recensione operum sic versabimur, ut ea, quae ad *Concordata*, *Placetum*, *Nunciaturas Sedis Apostolicae*, rem *Universitatum* seu *Academiarum*, item ad *Hetruriam* pertinent, prout et literaturam *Gallicanam* distinctis capitibus pertractemus.

1700.

1. **Frid. Spanheim** *de ficta collatione Imperii in Carolum M. per Leonem III Pontificem, contra Baronium.* Opp. T. 2. a. 1703. p. 558.

2. *Päbstlicher Unfug wider die Krone Preussens, welchen Clemens XI in einem a. 1701. ausgestreuten irrigen Brevi zur Verkleinerung aller gekrönten Häupter begangen.* Cöln. 1703. Refert se liber hic ad Breve Clementis XI de Electore Brandenburgico, qui se Regem Borussiae nominavit, improbante factum hoc S. Sede Apostolica.

3. **Wagner** *de iuribus ecclesiasticis Magistratui politico a Romano Pontifice ereptis.* Lipsiae. 1704.

4. **Franc. Frid. Andlern** *Corporis Constitutionum imperialium Tomus II bipartitus, sive notae theologicae, canonicae, politicae, historicae, et iuridicae in tomum I, de Summo*

Pontifice, statu itidem ecclesiastico, et religione, Maiestatis Imperialis suprema auctoritate, praeeminentia, regalibus et reservatis etc. digestae. Francof. 1704.

5. **Ioan. Fr. Albani** *(Ludewig) naeniae Pontificis de iure Reges appellandi. Una cum opusculo eidem adiecto, quod inscribitur: Perillustris cuiusdam viri eidem diplomati Clementino oppositus libellus. Romae novae typis Aldinis.* 1706. Refert se, prout iam paulo ante notatus liber, ad factum Clementis XI PP. Regem Borussiae titulo ‚Regis' neutiquam compellantis.

6. **Matth. Tindalius** *iura Ecclesiae Christianae asserta contra Pontificios atque omnes alios sacerdotes, qui independens regimen in Ecclesiam sibi vindicant.* Londini 1706. Pro Principum iuribus ecclesiasticis. Auctor dum praesens opus componeret, adhuc Religioni Christianae bellum non indixit, tardius incredulis nomen dans.

7. **Ludewig** *de iure Annatarum.* Halae Venedorum. 1707. Adstruit: ius annatarum quoad bona ecclesiastica in Statibus Principum protestanticorum sita ad hos transivisse.

8. **Gulielmi Barclaii** liber: *de potestate Papae, an et quatenus in Reges et Principes seculares ius et imperium habeat?* 1709. Recusus fuit Londini.

9. **Ioan. Frid. Krebs** *schediasma de iure alienandi imperia, cum animadversionibus politicis, historicis, et theologicis ad ‚Caesaris Baronii' Annalium eccl. t. IX. a. 800.* Hamburgi. 1709.

10. **Ant Alb. Scottelius** *diss. historica de ludibriis Aulae Romanae in translatione imperii Romani.* 1709.

11. **Amand Flavian** *Extrait de l' Examen de la Bulle du Pape Innocent X contre le Paix de l' Allemagne concliie a Munster l' an 1648. fait en Latin.* 1709.

1710.

12. **Iustus Christoph. Dithmarus** *vita Gregorii VII Pont. Romani.* Francof. ad Viadrum. 1710. Defendit ius Caesareum Investiturarum contra facta Gregorii VII Papae.

13. Idem, *historia belli inter imperium et sacerdotium, sive controversiae de investitura Epporum inter Imp. Henricum*

IV et V, et Pontifices Rom. Victorem III, Urbanum, Paschalem et Calixtum, horum nominum secundos, ad famosum usque Henrici Vet Calixti istius pactum.

14. **Ern. Sal. Cypriani** *diss. hist. theol. de Caesare Maximiliano I. Pontificatum Maximum affectante.* Ienae. 1710. Recusa 1716. Contendit: Eppos Romanos sub ethnicis Caesaribus Pontificatum Maximum sibi nunquam vindicasse, Eppos quoslibet titulo Pontificis Maximi ornatos fuisse, Imperatorem Maximilianum de resumendo honore ac officio Pontificatus, qualem ethnici Caesares gerebant, cogitasse, nec obstare, quominus Imperator utramque potestatem coniungere possit.

15. **Thomas Bray** *papale dominium et persecutio antiquis et recentioribus temporibus tam in Principes quam plebem exercita.* Londini. 1712. Totum opus constat ex collectione tractatuum contra potestatem Rom. Pontificis in temporalia Regum.

16. **Immanuel Weber** *Papa quid facis? seu de vanis et iniquis Pontificum circa electiones Imperatorum moliminibus.* Gissae. 1719. Francof. 1720.

1720.

17. **I. Wolfg. Jäger** *historia ecclesiastica cum parallelismo profanae, in qua Conclavia Pontificum Rom. aperiuntur.* 1720.

18. **Theodosius Gibellinus** *(Matth. Göbelius* ICtus et Consul Budissinensis) *Caesareopapia Romana.* Budissin. 1720. Tota libri structura ad inducendum Papae odium vergit: papatum e politicis rationibus oppugnat.

19. **Ludewig** *naeniae Pontificis de iure Reges appellandi.* Dissertatio haec, iam a. 1706. vulgata, reimpressa est in: ‚Opusculis miscellis. Halae. 1720.'

20. **Franc. Martin** *tractatus brevis, quo Pontificibus nullam potestatem deponendi reges competere demonstratur.* 1721.

21. **Fra Paolo Sarpi** *les droits des Souverains defendus contre les Excommunications et les Interdits des Papes.* Haye. 1721. Nova editio libri, quem famosus Servita occasione dissi-

diorum Venetorum initio Seculi XVII. vulgavit, ut suo loco diximus.

22. *Discorso anonimo sopra l' Esclusive de Papi.* Venezia. 1722.

23. **Otto** *diss. de iure Imperatoris circa electionem Papae Romani;* et: *oratio de iure Imperatoris et Statuum Imperii circa sacra.* Ambae disquisitiones insertae sunt: ‚Dissertationibus Iuris publici et privati. Ultraiecti. 1723.'

24. **Kemmerich** *de iure Imperatoris Romano-Germanici circa constitutionem Pontificis Romani.* Vittebergae. 1724. Evolvit ius Imperatoris quoad electionem Papae.

25. **Iac. Frid. Georgii** *Imperatorum Imperiique procerum totiusque nationis germanicae gravamina adversus Sedem Romanam totumque eccles. Ordinem, iam inde a translata ad Germanos imperatoria dignitate usque ad tempora Caroli V.* Francof. et Lips. 1725.

26. *Memoires pour servir a l' Histoire du Differend entre le Pape et le Cantone de Lucerne, a l' occasion du Bannisement des terres de Lucerne, du nomme au per Matt Cure d' Udlingensweil.* 1727. Controversia cum Cantone Lucernensi.

27. **Aletophili** *catholici sacerdotis ad Aretophilum amicum suum: Lucerna lucens.* 1727. Iura Cantonis defendit contra Papam.

28. **Ioan. Burchardus Maius** *commentatio de Rom. Pont. electione, Caesarumque circa eam iure, cum disquisitione de Friderico I Oenobardo Imp. ab Alexandro III Pontifice pede non conculcato.* Kilonii. 1729. Edidit hanc commentationem **Henr. Muhl**, eique praefationem adiecit pro Caesarum causa contra Papam.

1730.

29. **Göbel** *Caesareopapia Romana, worin die politischen Geheimnisse des päbstlichen Stuhles. Mit einer Vorrede von* **Hoffmann.** Leipzig. 1730. Editio nova.

30. **Ant. Orechius de Avalo** *diss. de iure Imperatoris circa canonisationem Hildebrandinam.* 1730. recusa a. 1734.

31. **Andr. Christoph. Zeller** *kurzer Unterricht von dem*

nachtheiligen Beginnen Pabsts Benedicti XIII, das Officium Sacrum P. Gregorii VII vulgo Hildebrands durch völlige Eintragung in das Breviarium und Missale Romanum — einzuführen etc. Tübingen. 1731. Impugnat ius Pontificis. Legendam de Gregorio VII. PP. Principibus infestam, pro Ecclesiis praescribendi.

32. **Franke** *epistola ad ‚I. Erh. Kappium' de gravaminibus nationis germanicae Norimbergensibus adversus Curiam Romanam, ab erroribus Scriptorum vulgaribus liberatis.* Lipsiae. 1731.

33. *Relation de l' acroissement de la Papaute, et du gouvernement absolu en Angleterre, particulierement depuis de la longue prorogation de Nov. 1675. la quelle a fini le 15 Febr. 1676. jusques a present.* 1732.

34. **Tob. Eckhard** *Henrici Leonis Germaniae Principis auctoritas circa sacra in constituendis atque confirmandis Eppis.* Quedlinburgi. 1732.

35. **Estor** *wie und woher die Bezahlung der Annaten in Teutschland enstanden?* In: ‚Auserlesene kleine teutsche Schriften. Giessen. 1732. Tom. 1.'

36. *Bellum Sacerdotii Romani et Imperii Germanici perpetuum, multa per secula gestum nondumque debellatum: ex ipsis Imperii actis conciliisque, ut et optimae notae scriptis et documentis recensitum a I. F. G.* Francof. et Lips. 1733.

37. *Traite des Bornes de la Puissance eccles. et de la puissance civile avec un sommaire chronologique des entreprises des Papes, pour étendre la puissance spirituelle.* Amsterdam. 1734.

38. **Henr. Andr. Koch** *tractatio iuridico-historica de Expectativis et Investitura eventuali.* Helmstadii. 1735.

39. *Anecdotes eccles. contenant la Police et la Discipline de l' Eglise Chretienne, depuis son etablissement jusqu' au XI Siecle; les Intrigues des Eveques de Rome, et leurs usurpations sur le Temporel des Souverains, tirées de l' Histoire du Royaume de Naples de ‚P. Giannone' brulée a Rome en 1726.* Amsterdam. 1738.

1740.

40. **Estor** *de iure Exclusivae, ut appellant, quo Caesar Augustus uti potest, quum Patres Purpurati in creando Pontifice sunt occupati.* Ienae. 1740.

41. **Bergantini** ‚*Pauli Sarpii collectanea, quotquot domi forisque inveniri potuerunt, in unum congesta.* 1740.

42. **Helferichii** *diss. de Ecclesia Romana, Sedeque cumprimis Pontificia, morte Augusti Romanorum Imperatoris Caroli VI summo Advocato orbata.* Tubingae. 1741.

43. **Gottlieb Sam. Treuer** *investituram per sceptrum feudis eccles. et secularibus communem fuisse. Defendit* **Windheim.** Gottingae. 1741.

44. **Bouhier** *diss. de Pontificatu Maximo Imperatorum Romanorum.* Divione. 1742.

45. **Baro de la Batie** *de Pontificatu Imp. Romanorum Maximo.* 1742. Inserta est dissertatio Tomo XII Commentariorum Academiae Inscriptionum.

46. **Pesler** *de postulato Pontificis Romani, confirmandi electionem Regis Romanorum.* Francofurti. 1742.

47. **Ludewig** *ob Kaiser Max I Pabst werden wollen?* 1743.

48. Idem, *des Papstes und der Geistlichen Eingriff in weltliche Gerichte und Streithändel.* 1743. Tam prior, quam haec dissertatio continetur in Auctoris: ‚Gelehrte Anzeigen.'

1750.

49. **Kemmerich** *de investitura per baculum et annulum, et iure patronatus regio.* Ienae. 1750.

50. **Otto Christ. de Lohenschiold** *de investituris Epporum per annulum et baculum.* Tubingae. 1750.

51. **Estor** *Anmerkungen über das Staats- und Kirchenrecht aus den Geschichten und Alterthümern erläutert.* Marburg. 1750. Totum opus dirigitur ad extollendam Principum, et constringendam Romani Pontificis potestatem.

52. **Quirinus Philalethes** (*Augustinus Thomas de Quiros,* apostata sacerdos Hispanus) *de malis ex Ecclesiae Romanae*

dogmatibus, disciplina et praxi Principibus Reipublicae humanaeque societati obvenientibus, diatribae XII. Lausannae. 1752.

53. **Foscarini** *della Letteratura Veneziana.* Padova. 1752. Excurrit peculiariter in laudes *Pauli Sarpii* ob defensum adversus Papam Senatum Venetum.

54. **Bernhold** *de summa maiestate Imp. Caroli M. Romae agnita, in adorante Leone III P. M. conspicua.* Altorfii. 1752.

55. **La Borde** Pere de l' Oratoire, *Principes sur l'essence, la distinction, et les limites des deux puissances spirituelle et temporelle. Ouvrage posthume.* 1753. Ecclesiae ac Summi Pontificis potestatem ita seculari subiicit dominationi, ut huic relinquat omnem pene externam Ecclesiae gubernationem. Liber Bordii eodem anno a quodam, qui se *Nobilem Polonum* dixit, in idioma polonicum translatus, et praefatione auctus Vratislaviae prodivit. Quo ex incidenti Benedictus XIV PP. a. 1755. Breve dimisit ad Eppos Poloniae contra praedictum librum. *(Monumenta Catholica.* III. 154.)

56. **Bergmann** *diss. de ducum Boioariae iure regio.* Monachii. 1754. Longa disquisitione enarrat et tuetur iura Principum in rebus ecclesiasticis.

57. **Fr. Ant. Chionius** Professor Taurinensis, *de regimine Ecclesiae.* Taurini. 1754. Potestatem Ecclesiae et Rom. Pontificis circumscripsit, civilique subiecit imperio: sed errata paulo post solenniter retractavit. *(Armonia.* 1858. p. 1031.)

58. **Wolf** *de Summi Eppi confirmatione.* Lips. 1755.

59. **Buder** *de confirmatione pontificia Epporum et Praelatorum Germaniae.* 1756.

60. *Histoire du démélé de Henri II Roi d'Anglettere avec Thomas Becket Archeveque de Cantorbery, precedée d' un discours sur la iurisdiction des Princes et des Magistrats seculiers sur les personnes ecclesiastiques.* 1757.

61. **Häberlin** *flores sparsi ad ius Caesareum de electione Pontificis. Defendit* **Frick.** Helmst. 1758.

1760.

62. *Historische Vorstellung der Streitigkeiten, welche zwischen den Königen in Portugal, und den Römischen Päbsten, wie auch der Geistlichkeit vom Anfange des Portugiesischen*

Reichs bis auf gegenwärtige Zeit sich zugetragen haben. Halle. 1760.

63. **Chr. Conr. Wilh. Friederici** *gründliche Abhandlung von der Freiheit der deutschen Kirche, derselben besonderen Rechten und Verfassung, nach den Grundgesetzen des heil. Röm. Reichs.* Frankf. u. Leipz. 1760. Libertatem Ecclesiae Germanicae ponit in independentia a Papa, et quam maxima subiectione a Caesare!

64. *Raccolta di documenti memorie e manifesti fin ora pubblicati, intorno agli affari correnti fra la Corte di Roma, e la Republica di Genova.* 1760. ss.

65. **Paul Sarpi** *Histoire du Demele du Pape Paul V avec la Rep. de Venise.* Avignon. 1760. Editio nova.

66. **Griselini** *memorie aneddote spettanti alla vita e agli studii del Sommo Filosofo e Giureconsulto ‚Fra P. Sarpi' Servita.* Lausanne. (Venezia.) 1760.

67. Idem, *Denkwürdigkeiten des berühmten ‚Fra Paolo Sarpi.' Aus dem Ital. übersetzt, und mit wichtigen Zusätzen vermehrt.* Ulm. 1761.

68. *Vollständige Sammlung aller urkundlichen Schriften, welche in der neuesten Streitigkeit des Römischen Hofes und der Republik Genua wegen des Königreichs Corsica zum Vorschein gekommen.* Ulm. 1761.

69. **Estor** *neue kleine Schriften.* Marburg. 1761. s. Prout priores auctoris collectiones, ita et praesens continet disquisitiones de relatione Imperii ad Rom. Pontificem, cum continua potestatis pontificiae depressione et imperialis elevatione.

70. **Aut. Ern. Klausingii** *historia controversiae recentissimae inter Pontificem Romanum et Rempublicam Genuensem super legato in Corsicam misso.* Lips. 1765. Qui hic legatus dicitur, erat proprie visitator apostolicus.

71. **Estor** *Freiheit der teutschen Kirche, vornemlich in Rücksicht auf Seine Kais. Majestät, und in Betreff der teutschen Reichsstände wider die Eingriffe der Curialen zu Rom.* Frankf. 1766.

72. **Iusti Febronii** *principia Iuris publici eccles. Catholicorum ad Statum Germaniae accomodata.* Ulmae. 1766. Non confundendus auctor cum altero Febronio, qui se Iustinum appellavit.

73—84. **Pütter** Gottingensis ICtus, pluribus dissertationibus pertractavit quaestionem de translatione Imperii Romani ad Germanos, quam auctoritate Sedis Apost. factam fuisse constat ex iis, quae in literatura priorum seculorum iam monuimus: 1. *de prima instauratione imperii Romani sub Carolo M. facta* 1766. — 2. *de altera instauratione sub Ottone M. eiusque successoribus facta.* 1767. — 3. *de primae instaurationis veris effectibus.* 1770. — 4. *de secundae instaurationis veris effectibus.* 1774. — 5. *de mutatione, quae in titulis regum et imperatorum a secunda illa instauratione contigit, eiusque effectibus.* 1774. — 6. *de erronea, quae a secunda instauratione invaluit, opinione: imperium romanum esse quartam monarchiam a Deo ordinatam, eamque Dei iussu ac nomine ad Germanos translatam.* 1774. — 7. *de iuncta cum instauratione imperii Romani advocatia Ecclesiae Romanae, indeque nata denominatione sacri illius imperii.* — 8. *de erronea opinione, Germaniam ipsam esse Romanum Imperium, aut, si mavis, saltem partem Rom. Imperii.* — 9. *de erronea opinione, Imperatores nostrates esse successores pristinorum Romanorum et vel CPnorum imperatorum.* 10. *de valore Iuris Romani tamquam effectu erroneae opinionis de translato ad Germanos Romano imperio.* 11. *de dominio mundi Imperatori olim attributo tamquam altero erroneae istius opinionis effectu.* 12. *de pluribus iuris publici nostri quaestionibus ex eodem hocce fonte derivandis.*

85. **Pestel** *Erörterung des Entscheidungsrechts in zwiespaltigen Wahlen geistlicher Reichsfürsten.* Frankf. 1766.

86. *Gebet dem Kaiser was des Kaisers ist, und dem Pabst was des Pabstes ist.* 1766. Pro iuribus Caesaris quoad Papam. Instar appendicis comparent theses de fallibilitate Papae, de Concilii supra Papam potestate etc.

87. *Autorite legitime des Eveques et des Souverains pour proceder a la Reformation des Reguliers sans l' autorite du Pape.* 1767.

88. **Ant. Pereira** Prete dell' Oratorio di Lisbona, *Dottrina dell' antica Chiesa intorno la suprema potesta de i Re eziandio sovra gli Ecclesiastici, cavata de SS. Padri, e da monumenti incorrotti de primi secoli, ed illustrata co' suffragi de medesimi Teologi, e cogli esempi de Principi Cristiani.* Venezia. 1767.

89. **Felix Balthasar** *de iuribus Helvetiorum circa sacra d. i. kurzer historischer Entwurf der Freiheiten der Eidgenossen in geistlichen Dingen.* Zürich. 1768. Liber multis invectivis contra Curiam Romanam plenus.

90. 91. **Pilati** *Riflessioni di un Italiano sopra la Chiesa in Generale, sopra il Clero si Rigolare, che secolare, sopra i Vescovi, ed i Pontefici Romani, e sopra i diritti ecclesiastici de' Principi.* In Borgofrancone. 1768. Contra potestatem R. P. Prodivit etiam germanice: *Reflexionen eines Italieners über die Kirche überhaupt, über die regulare und seculare Geistlichkeit, über die Bischöfe und Römische Päbste, und über die kirchlichen Rechtsamen der Fürsten.* Freiburg. 1769.

92. **Barclaii** *Abhandlung von der Macht des Pabstes in zeitlichen Dingen.* München. 1768. Editio nova operis, initio Sec. XVII. evulgati.

93. **Ant. Pereira** *diss. hist. et theol. de gestis ac scriptis Gregorii VII. PP. adversus Henricum IV Imper.* Olyssipone. 1768.

94. **L. Maimbourg** S. I. *Geschichte von dem Verfalle des Römischen Reichs nach Carl dem Grossen, und von den Streitigkeiten des Kaisers mit den Päbsten. Aus dem Französischen mit Anmerkungen von* **I. D. Bartholomäi.** Ulm. 1768. Originale prodiit a. 1676. ut suo loco retulimus.

95. **A. Pereira** *demonstracao theol. canon. e hist. do Direito dos Metropolitanos de Portugal para confirmarem, e mandarem sagrar os Bispos suffraganeos nomenados per Sa Maesta.* Lisboa. 1769.

96. **Eberhard** *Versuch einer pragmatischen Erläuterung der kais. Wahlkapitulation, bei Gelegenheit der gegenwärtigen Streitigkeiten des päbstlich römischen Hofes mit weltlichen Mächten entworfen.* 1769.

1770.

97. *Autorita legitima de' Vescovi e de' Sovrani per procedere alla riforma de Regolari senza che vi concorra l' autorita del Papa.* 1770. Ex Gallico, quod a. 1767. prodivit, translatum.

98. *Iugement impartial sur des Lettres de la Cour de Rome en forme de Bref, tendantes a deroger a certains edits du Duc de Parme.* Madrid. 1770.

99. *Anpreisung des Churbaierischen Generalmandats, die den Churb. Landesregenten zustehende Schutz- und Schirmsgerechtigkeit über das Religions- und Kirchenwesen, und kraft derselben gemachte Verordnung wider etliche in den Klöstern eingeschlichene Missbräuche betreffend.* 1770.

100. **Rautenstrauch** *Institutiones Iuris Ecclesiastici Germaniae accomodatae.* Pragae. 1772. Auctor iam in praesenti opere proposuit Iosephinismum, quem annis octvagesimis, ut paulo post narrabimus, plene evolvit, fuitque unus e primis ac praecipuis systematis Iosephini propugnatoribus.

101. *Dissertatio de libertatibus Ecclesiae Germanicae.* Bambergae. 1772.

102. **Curtius** Mecklenburgensis, *de donationibus regnorum et regionum a Rom. Pontificibus factis.* 1772.

103. **Bened. Stattler** *demonstratio catholica, sive Ecclesiae Cath. — genuinum systema — cum ostensione felicis nexus potestatis spiritualis cum temporali, seu concordiae sacerdotii catholici cum imperio politico, modo soli divinae institutionis regulae et iuri naturae sociali rite insistatur.* Pappenheimii. 1775. Fata huius operis, in Indicem relati, suo loco iam recensuimus: hic ideo denuo citamus illud, quod de relatione Ecclesiae ad Civitatem tractet.

104. **Rautenstrauch** *synopsis Iuris Eccl. publici et privati, quod per terras haereditarias Mariae Theresiae obtinet.* Vindobonae. 1776. De auctore paulo superius congruam fecimus observationem.

105. **Christian G. Schwarz** *entlarvte Bulle Pabsts Silvester II, die er an den heil. Stephan König in Ungarn abgeschickt haben soll: sammt ihren widerlegten Behelfen aus der Legende Chartuitii und Gregorii VII Briefen.* Lemgo. 1777.

106. **Valent Eybel** *Introductio in Ius Ecclesiasticum Catholicorum.* Viennae. 1778. Auctor pariter ac Rautenstrauch, unus e primis ac praecipuis Iosephinis Scriptoribus.

107. *Gravamina Nationis Germanicae centum in Comitiis Norimbergensibus 1522. exhibita contra Curiam Romanam.* Francof. et Lips. 1778. Nova editio.

108. **Schmidt** *von den Schicksalen der kaiserlichen Rechte bei der Wahl und Bestätigung der Päbste.* Continetur diss. haec in ‚Actis Acad. Electoralis Moguntinae. Francof. 1778. T. II.'

109. **Eybel** *Einleitung in das Kirchenrecht der Katholiken.* Wien. 1779. Ex Latino in germ. versum.

110. **Aloys Arbesser** O. S. Pauli, *Iurisprudentia naturalis cum christiana collata in doctrina de civitate et maiestate.* Vindobonae. 1779. Opus in sensu principiorum Iosephinorum compilatum, potestatem Ecclesiae et Papae fere omnem a Civili Imperio dependentem faciens.

111. **Greg. Norb. Korber** Can. Regul. *dialogus inter clericum et militem super dignitate papali et regia. Edidit, praefatus est, et notas adiecit* **Ios. Wratislaus Monse** Brunae. 1779. In sensu liberali. Oppositus fuit ei mox sequens libellus:

I. **Ios. Fr. Petsch** Parochus in Mohelno, *colloquium inter parochum eccles. et candidatum clericalis ordinis de libello continente dialogum inter clericum et militem super potestate Praelatis Ecclesiae atque Principibus terrarum commissa.* 1779. Cui respondit:

112. **Korber** *dialogi inter clericum et militem de dignitate Papali et Regia defensio.* Brunae. 1780.

---

b) Pro auctoritate Pontificia.

II. **Ioan. Mabillonius** *observationes de gestis Gregorii VII contra Investituras etc.* Paris. 1701. Observationes has sive apologiam Pontificis complectitur ‚Praefatio auctoris ad acta Sanctorum O. S. B.'

III. **Thomas Georgius** *tractatus breviusculus, in quo ostensum: tam electiones Epporum quam ordinationes ad nullam potestatem secularem, sed ad solos Ecclesiarum Praesides pertinere.* Londini. 1704.

IV. **Bellarmini** *tractatus de potestate Summi Pontificis in rebus temporalibus adversus Guil. Barclaium.* Monachii. 1712. Nova editio.

V. **Noris** *l' Istoria delle investiture delle dignita ecclesiastiche.* Montova. 1741.

VI. **Benedicti XIV** *Papae Epistola instructiva ad AEppum Laodicenum Nuntium Coloniensem de iure primariarum precum.* 1747. Epistolam hanc, in qua firmissimis rationibus ostenditur, ius dictum unice e Pontificia concessione descendere, vulgavimus in ‚Monumentis Catholicis pro independentia potestatis eccl. ab imperio civili T. V. p. 395.

VII. **Frid. Aug. Lud. Schnell** *disquisitio theol. historica de Epporum electionibus iuxta veterem et novam Ecclesiae disciplinam.* Wirceburgi. 1749. Disciplinam Ecclesiae evolvendo, opportunis locis refutat cumprimis haereticorum cavillationes, tum declarat: ius Principum in electionibus Praesulum unice concessioni Ecclesiae deberi, ad Romanum autem Pontificem supremam spectare auctoritatem.

VIII. *Canonica Epporum Germaniae constitutio in Eppi Wirceburgensis Caroli Philippi electione, confirmatione et consecratione auspicatissima refulgens, discursibus et votis academicis celebrata.* Wirceburgi. 1749. Disserit de confirmatione Romana Epporum et iuramento Epporum, atque ius utrumque Romano Pontifici vindicat contra argumenta opposita, iuramentum speciatim adversus *Buderum* defendens.

IX. **Ioan. Adamus Ickstadt** *commentatio de iusta et efficaci Summi Pontificis protestatione contra Pacem Religiosam et Westphalicam, obligationem tamen eiusdem intrinsecam et pactitiam inter compaciscentes haud infringente.* Ingolstadii. 1749. Recusa. 1758.

X. **Perez Valiente** Hispanus, *apparatus Iuris publici Hispanici.* Matriti. 1751. Pro indirecta in temporalia potestate Romani Pontificis pugnat.

XI. **Collegium Romanum S. I.** *dissert. polemica adversus Richeristas de ecclesiastica ac politica potestate, deque investituris iuste proscriptis per S. Gregorium VII. eiusque successores ad Callistum II.* Romae. 1752.

XII. Idem, *diss. polemica de iure Regaliae et primarum precum contra Publicistas Protestantes, ac praecipue Vitriarium, Pfeffingerum, Grutnerum, Böhmerum.* Romae. 1753.

XIII. **Petr. Gallade** S. I. *dissertatio ad Cap. Hadrianus 22. Dist. 63.* Heidelb. 1755. Contra ICtos Protestantes, qui ex hoc Capitulo educere volunt ius Principum in eligendo Romano Pontifice et coordinanda Sede Apostolica.

XIV. **Neureuther** *diss. de iusto et iniusto Regalium usu.* Mogunt. 1755.

XV. **Eus. Amort** *reflexiones et principia meliora de Iurisdictione Eccles. opposita principiis ‚Poloni Nobilis.'* Francof. et Lips. 1757. Contra opus *Labordii* a *Polono Nobili* versum. 1753.

XVI. **Const. Roncaglia** *animadversiones in illam ‚Natalis Alexandri' propositionem: Legitima fuit S. Athanasii de sententia Tyrii conciliabuli ad Constantinum Imp. appellatio.* 1759.

XVII. **Petr. Ios. ab Hontheim** Can. Trevir. *de Romani Imperatoris genuina idea dissertatio.* Treviris. 1760. Doctrinam de duplici gladio evolvendo, demonstrat, Rom. Pontificem in spiritualibus supremum Caput esse, cui omnes Eppi subiecti sunt; Imperatorem vero Romanum esse supremum omnium terrae Principum, cui reliqui Principes respectu finis sacri seu boni Ecclesiae subiaceant.

XVIII. **I. C. P. von Rhol** *(Steinhäuser) unpartheiische Abhandlung, ob den Herzogen in Baiern das von so vielen hochgepriesene ‚ius regium in ecclesiasticis' zustehe?* Frankf. u. Leipz. 1762. Auctor, Professor Salisburgensis, sub nomine assumto *Rathe* vulgavit praesens opusculum, contra praetensum ius, a *Bergmanno* a. 1754. defensum.

XIX. Idem, *vertheidigte unparteiische Abhandlung.* 1763. His disquisitionibus se opposuere auctores bini :

113. *Vertheidigtes ‚ius regium in ecclesiasticis' der Herzoge in Baiern.* Frankf. u. Leipz. 1763.

114. **Weisse** *Beweis der Landeshoheit der Herzoge in Baiern über die baierischen Bischöfe.* Frankf. 1763.

XX. **Almici** oratorianus, *Meditations sur la vie et les ecrits de Paolo Sarpi.* 1765. Crisis operum Servitae Veneti.

XXI. **Aloys. Merz** S. I. *Frage: ob der Verfasser der Schrift: ‚Gebt dem Kaiser was des Kaisers ist etc.' eine ächte und evangelische Austheilung gemacht habe.* Augsburg. 1766.

XXII. Idem, *Frage: was die Kaiser von dem Luther, dessen Lehre, und hingegen von der Würde und obersten Kirchengewalt der Päbste gehalten haben: nach den Aussprüchen sowohl griechisch- als lateinischer Kaiser beantwortet.* Augsburg. 1767.

XXIII. **Bellarmini** *Abhandlung von der Macht des Pabstes in zeitlichen Dingen, oder Vertheidigung seines ersten Werkes wider ‚Barclaium.'* München. 1768. Nova editio celebris libri.

XXIV. **Dürr** *diss. de iudice controversiarum in causis electionum Epporum Germaniae.* Moguntiae. 1768. Invictis refutat argumentis *Pestelium*, qui a. 1766. iura Rom. Pontificis impugnabat, et Caesari iudicium in praevia controversia obtulit.

XXV. **Moser** *päbstliches Entcheidungsrecht in zwiespaltigen Wahlen geistlicher Reichsfürsten geprüft und vertheidigt.* 1768. Inest dissertatio isthaec opusculis Auctoris: ‚Neueste kleine Schriften', et ‚Staatsrecht. III. und XI. Thl.'

XXVI. **Felice Garcia Alonzo Gunman** *dimostrazione della ignoranza, e della empieta dello Scrittore delle ‚Riflessioni sopra la Chiesa etc.'* Napoli. 1770.

XXVII. *Lettera di risposta ad un amico sopra l' opera: ‚Autorita legitima de' Vescovi e de' Sovrani etc.'* 1771. Refutat opus a. 1767. gallice, et a. 1770. italice evulgatum.

XXVIII. **Schwarzhueber** *de celebri inter sacerdotium et imperium schismate tempore Friderici II diss. historica.* Salisburgi. 1771.

XXIX. **Schmidt** *vindiciae de iusta et efficaci Summi Pontificis protestatione adversus Pacem Religiosam et Westphalicam.* Heidelb. 1772. Defendit dissertationem ‚Ickstadtii' superius (1749) citatam.

XXX. **Fr. Georg. Ditterich** *primae lineae Iuris publici ecclesiastici.* Argentinae. 1776. Stricte tantum relationem inter Ecclesiam, Pontificem, et Imperium pertractat, atque cetera inter evolvit: iure nullo gaudere Imperantem seu in electione Papae, seu in constituendis Eppis.

---

2. Literatura ab a. 1780. usque finem Seculi.

Uti iam innuinus, sic dicta *Iosephina* periodus peculiari in Literatura sectioni tribuit ansam. Ubi Caesar *Iosephus II*, anno 1780. Imperii gubernacula capessens, preli vincula sic laxaverat, ut integrum esset, non tantum omne id, quod non systematice doctrinam catholicam evertit, bonosve mores corrumpit, typis dare;

sed et omnium, ne ipsum Imperatorem excipiendo, actiones vellicare et exagitare: tum profecto nullus erat, inprimis Vindobonae, libros faciendi finis: tunc de omni scibili in libris, qui una die nascebantur, altera vendebantur, tertia iis, qui piper et caseum, et quidquid chartis amicitur ineptis, vendunt, distrahebantur, disserebatur ac disputabatur: tunc libros elucubrare res facilis esse credebatur, et Horatianum illud ‚nonum prematur in annum' invertebatur: tunc quisque auctoris nomen aucupabatur, et monstrari digito anhelabat velut is, qui et ipse symbolam suam contulisset in illuminando humano genere, promovendoque praeclaro illo, quod Caesar conceperat, reformationis et repurgationis a superstitione et abusibus opere: tunc illuminatrix haec sapientia, ob quam multi suas cristas attollebant, erat paucis obolis in omnibus compitis venalis, nec desiderabantur emtores; quis enim voluisset esse peregrinus in Israel? aut quem, quaeso, nulla tetigisset cura et sollicitudo libellorum, quibus vel Augustus Caesar inter multiplices Imperii curas evolvendis tempus sacrabat? Qui primis librariae huius foecunditatis diebus lucem viderant libri: ii ad decempedam inscriptionis ‚von' et ‚über' exigebantur; omnis ordinis et conditionis et aetatis officia, munera, et proprietates scribendi praebebant argumentum. Aerae huic successit aera quaestionum: ‚Was ist der Pabst. etc.' quarum nullus erat finis. Augebatur scribendi ardor per *Tolerantiae*, et *Matrimonii* leges, per Edicta de cultus divini forma nova, de reliquiis ac indulgentiis etc. Quis in tanta libellos publicae luci edendi contentione mirabitur tam magnum eorum numerum, ut intra 18 menses aequaverit 1157? Haec scribillandi libido non modo exitiosa fuerat, nam vel ipsas res sanctissimas, Verbi Divini oracula, et Ecclesiae dogmata petebantur, verum omne quoque Scriptorum genus sic in contemtum adduxerat, ut Scriptores iam pene furibus aequipararentur, eorumve occupatio pene sordidis officiis annumeraretur. Et haec ipsa ratio forte quamplurimos absterrebat a scribendo. Extitere attamen viri cordati, qui in medio quoque torrentis inanium scriptorum pro Religione et Ecclesia Catholica, eiusque Visibili Capite, item pro piis ac salutaribus Institutis calamum strinxerunt.

Universa scriptorum horum, potissimum Viennae procusorum, seges percommode in tres classes distribui potest, ita, ut ad primam classem opuscula *de relatione Pontificatus ad Civile*

Imperium, *reformationibusque ecclesiasticis;* ad alteram *de Tolerantia;* ad tertiam *de Institutis Religiosorum Ordinum* referantur. Has proin sectiones adoptando, proponemus Literaturam de anno in annum usque exitum seculi, tam *pro* quam *contra:* libellos, qui longiori controversiae occasionem ministrarunt, sub uno conspectu exhibituri, et in Sectione ista pariter ac in priore literaturam de Concordatis, Placeto, Nuntiaturis etc. distinctae rubricae reservaturi.

A) *Literatura de relatione Pontificatus ad Imperium et reformationibus ecclesiasticis ab a. 1780—1799.*

Annus 1780. et 1781.

a) Contra Ecclesiam et Papam.

115. **Christoph Gottlieb Berger** *das System der Ewigkeit zur Erkenntniss Gottes.* 1780.

116. Idem, *Untersuchung von der Beschaffenheit der künftigen Schöpfungen.* Berlin. 1780.

117. Idem, *Antediluviana, oder schrift- und vernunftmässiger Beweis von den grossen Fähigkeiten und Kenntnissen der Einwohner der ersten Welt.* Berlin. 1780.

118. Idem, *fasslicher und gründlicher Unterricht und Lehrbegriff von der Religion Jesu Christi.* Berlin. 1780.

1025. **Epporum Pistoriensis, Collensis et Clusio-Pientini** *libellus ad S. Augustini tum personam, tum doctrinam defendendam, item ut apologetico consultoris AEppi Pisani respondeatur.* 1787.

DXVII. **AEppi Pisani** *consultor ad observationes Epporum trium in apologeticum suum de S. Augustini doctrina libellum factas respondet.* 1787.

1026. **Epporum Pistoriensis** *etc. protestatio et declaratio contra ea, quae AEppi Pisani consultor de S. Augustini persona et operibus in medium protulit.* 1787.

1027. **Palmierii** *Canonici, Theologi Regii annotationes breves in Lampredii consultoris AEppi Pisani apologiam, trium Epporum animadversionibus — oppositam.* 1787.

DXVIII. *Libellus de propositione ab* **AEppo Sennensi** *facta, de eo nempe, an studia ecclesiastica iuxta S. Augustini doctrinae normam, praecipue in materiis de gratia et praedestinatione sint dirigenda.* 1787. Auctor tenet, doctrinam S. Augustini pro norma sic teneri posse, si S. Thomae accedat interpretatio, quem fidelissimum fuisse S. Augustini interpretem constat.

1028. **Epporum Clusio-Pientini, Pistoriensis, et Collensis** — *animadversiones in AEppi Sennensis libellum.* 1787.

DXIX. **Epporum Arretini, S. Sepulchri, et S. Miniatis** *libellus de studiorum systemate ecclesiasticis praescribendo.* 1787. In eundem sensum se enunciant ac AEp. Sennensis.

1029. **Regiorum Theologorum** *declaratio de operibus ‚Laur. Berti.'* 1787. Cum inter libros pro scholis destinatos etiam opera *L. Berti* per Praesules proponerentur, hic autem auctor in tractatu de relatione Ecclesiae ad Civitatem iura Eccl. Potestatis adversus invasiones Status Civilis item indirectam Pontificis in temporalia potestatem praeclare tueretur: memorati Regii Theologi votum suum nequaquam addiderunt ad praescribenda opera auctoris huius pro usibus scholasticis.

DXX. **AEppi Pisani** *consultoris Lampredii libellus de doctrina ‚P. L. Berti' circa indirectam Pontificis in temporalia Regum potestatem.* 1787.

1030. **Vinc. Palmierii** *Regii Theologi animadversiones de ‚P. Berti' doctrina.* 1787.

DXXI. **AEppi Pisani** *Consultoris libellus, in quo demonstrat, quaenam sit vera S. Thomae circa* **Ordines Mendicantes** *doctrina.* 1787. Refutat ea, quae contra Ordines Mendicantes e praetensa S. Thomae doctrina in Congregatione Praesulum a nonnullis prolata fuere.

1031. **Fabii de Vecchis** *Theologi regii responsio ad libellum circa Ordines Mendicantes.* 1787.

DXXII. **Eppi Faesulani** *animadversiones in Synodi Pistoriensis libellum* **de festorum abrogatione** *tractantem* 1787.

1032. **Eppi Pistoriensis** *responsio ad animadversiones de festorum abrogatione.* 1787.

DXXIII. **Eppi Volaterrani** *observationes in festa ex integro praecepto non servanda factae.* 1787. Contra abrogationem per Pistorienses proiectatam.

1033. **Eppi Pistoriensis** *responsio ad observationes Eppi Volaterrani de festis ex praecepto non integre servandis.* 1787.

f) de Instructione pastorali Eppi Clusio-Pientini, et reliqua literatura Congregationis Epporum.

Eppus *Clusio-Pientinus* a. 1786. ut iam in Monumentis de Primatu observavimus, peculiarem edidit ad Clerum suum *Pastoralem Instructionem,* ideis ac principiis reformatoriis refertam, aliisve insuper erroribus dogmaticis turgentem, atque a Pio VI ope duplicis Brevis (in Monumentis vulgati) reprobatam. Quum idem Praesul hanc suam Instructionem una cum Brevibus Apostolicis iudicio Congregationis Epporum una considentium subiecisset, ipseque M. Dux Instructionem examinari per Eppos iussisset: factum est, ut plures libelli, censuram continentes, evulgarentur, quos hic exhibemus :

1034. **Eppi Clusio-Pientini** *libellus, per quem Pastoralem suam Intructionem de multis gravibusque religionis veritatibus editam Congregationis iudicio subiicit.* 1787.

1035. *Mandatum M. Ducis ad Commissarium Synodalem, ut Breve Apostolicum ad Eppum Clusio-Pientinum datum Congregationis examini subiiciatur.* 1787.

1036. *Alterum mandatum eiusdem Ducis, in quo Congregationi iniungitur, ut Eppi Clusio-Pientini Instructionem pastoralem examinent.* 1787.

DXXIV. **AEppi Florentini** *sententia de Eppi Clusio-Pientini epistola pastorali et de subsequis Brevibus Pontificiis.* 1787. Contra Instructionem Eppi.

DXXV. **Eppi Faesulani** *Animadversiones in Eppi Cl. Pient. epistolam pastoralem et in duo Brevia pontificia ad eundem Eppum data.* 1787. Ut prior.

DXXVI. **Epppi S. Miniatis** *iudicium de Eppi C. P. pastorali epistola et de Brevibus a Pontifice Pio VI de eadem pastorali editis.* 1787. Ut prior, nisi quod de Brevibus pontificiis existimet, ea nonnihil mitius concinnari, et Eppo speciatim indicari debuisse, qualesnam in epistola pastorali errores proposuerit.

DXXVII. **Eppi S. Sepulchri** *examen de Brevibus pontificiis ad Eppum C. P. datis, et de eiusdem Praelati instructione pastorali institutum.* 1787. Brevia Pontificia defendit, instructionem vero Eppi excusari haud posse censet.

DXXVIII. **AEppi Pisani** *votum vel sententia de Eppi*

C. P. pastorali epistola, et de Brevibus a regnante Summo Pontifice ad eundem datis. 1787. Ut prior.

DXXIX. **AEppi Sennensis** *votum.* 1787. Ut prior.

DXXX. **Eppi Rosetensis** *votum.* 1787. Ut prior.

DXXXI. **Eppi Massa-Veternensis** *animadversiones in Eppi C. P. epistolam pastoralem, et in mutuum literarum commercium inter ipsum et Summum Pontificem habitum.* 1787. Ut prior.

1037. **Eppi Suanensis** *iudicium de Brevibus pontificiis ad Eppum C. P. datis, et de eiusdem pastorali epistola.* 1787. Pro epistola pastorali Eppi C. P.

DXXXII. **Eppi Aretini** *censura et animadversiones in epistolam pastoralem Eppi C. P.* 1787. Contra epist. pastoralem.

DXXXIII. **Eppi Critoniensis** *iudicium.* 1787. Ut prior.

DXXXIV. **Eppi Montis-Alcini** *censura.* 1787. Ut prior.

DXXXV. **Eppi Montepolitiani** *iudicium.* 1787. Ut prior.

DXXXVI. **Eppi Pisciensis** *iudicium.* 1787. Contra epistolam pastoralem Eppi C. P.

DXXXVII. **Eppi Volaterrani** *iudicium.* 1787. Ut prior.

1038. **Epporum Pistoriensis, et Collensis** *iudicium.* 1787. Pro Eppi C. P. epistola, et contra Brevia pontificia.

1039. **Eppi Clusio-Pientini** *Apologia contra duas sic dictas SS. Patris Pii VI epistolas, et contra quorumdam Hetruriae Epporum censuras in suae pastoralis epistolae defensionem scripta.* 1787. Triplici dissertatione complectitur suam apologiam : in prima de aequitate naturali et de sanis Criticae regulis in diiudicanda aliorum doctrina servandis agit ; in altera instructionem suam pastoralem ex Scriptura et Traditione contra 13 Epporum censuras defendit ; in tertia examinat Brevia Summi Pontificis.

Praeter recensitos libellos prodierunt adhuc aliquot opuscula *rem matrimonialem* exclusive pertractantia, in quibus maxima pars Praesulum Hetruriae pari candore ac zelo iura Potestatis Eccles. vindicatum ibat, quem in praemissis libellis testatum reddidit : opuscula tamen haec reservamus collectioni Monumentorum de Matrimonio, post breve tempus, si Deus propitius fuerit, publica luce donandae. Hic autem subnectimus adhuc

quaepiam opuscula ad Congregationem Praesulum Hetruriae spectantia :

DXXXVIII. *Libellus supplex ab AEppis et Eppis Hetruriae Magno Duci oblatus, in quo libros et folia Pistorii periodice edita prohiberi petunt.* 1787. Libellum subscripsere : tres AEppi, et undecim Eppi. Libellos autem, quos prohiberi petunt Praesules, iam initio nostrae Literaturae Hetruscae indicavimus. Ad hanc Epporum censuram respondit Eppus Pistoriensis :

1040. **Eppi Pistoriensis** *libellus supplex ad M. Ducem una cum Apologia contra censuram XIV Epporum de aliquibus libris Pistorii editis pronunciatam.* 1787.

1041. *Eiusdem responsio ad censuram de libro, cui titulus : ‚Iesus Christus sub anathemate' Pistorii edito pronunciatam.* 1787.

DXXXIX. *Responsio ad 57 quaestionum capita a Regia Sua Celsitudine Eppo Montispolitiani transmissa.* 1787. Liber hic, anonymo auctore, mox ad initium Congregationis Epporum vulgatus fuit sub nomine ipsius *Eppi Montepolitiani,* qui tamen suam de punctis 57 sententiam suo tempore Magno Duci exhibuit, ut in Literatura adnotavimus. Ceterum anonyma epistola sive responsio apprime orthodoxa est, et pleno cum candore ac libertate monet M. Ducem, ut desistat aures praebere astutis novatoribus, Potestatis Ecclesiasticae inimicis. Contra illam prodivit :

1042. *Examen criticum Epistolae sub nomine Eppi Montepolitiani publicatae per modum responsionis ad diversa disciplinae eccl. capita a summo gubernio omnibus M. Ducatus Eppis ad illorum sententiam explorandam proposita.* 1787. Opusculi huius auctor *Eppus Pistoriensis* esse fertur : continet enim principia in operibus huius Praesulis evoluta.

---

d) Literatura reliqua de Hetruria usque finem seculi.

1043. **Curalt** *Principi genuini di tutta la Giurisprudenza sacra.* 3. vol. Prato. 1787. Iuxta principia neoterica.

1044. **Fontani** *novae eruditorum deliciae seu veterum ανεκδοτων opusculorum collectanea.* Florentiae. Tomus II. a.

1788. Tomus hic complectitur monumenta ad Synodum Basileensem post Eugenii IV ab ea recessum iam schismaticam spectantia, eoque scopo collecta, ut auctoritas Pontificia impetatur. Opus Eppo Pistoriensi dedicatum.

1045. *Istoria dell' assemblea degli Arcivescovi e Vescovi della Toscana, tenuta in Firenze l' a. 1787.* Firenze. 1788. Est officiosa editio de Congregatione quasisynodali Praesulum Hetruriae.

1046. *Concili et Sinodi tenuti in Firenze dall' a. 1055. all' a. 1787.* Firenze. 1788. Liber eo scopo conscriptus, ut persvadeat, Concilia de disciplinaribus punctis tractantia non indigere Pontificia confirmatione.

1047. *Riflessioni di un Canonista in occasione della privata Assemblea dei Vescovi di Toscana fissata in Firenze il di 23. Aprile 1787. per la convocazione del Sinodo Nazionale 1787.* Liber in Indicem relatus 31. Mart. 1788.

1048. *Confronto dei regolamenti rapporto alla polizia della Chiesa.* Firenze. 1788.

1049. *Opusculorum religionem attinentium* Volumen XIV. Pistorii. 1788. editum complectitur: *Examen, quo discutitur Breve Pii VI condemnantis librum: ‚Quid est Papa?'* Auctor articuli dolet proscriptum librum, qui non contineat nisi veterem Ecclesiae doctrinam de Hierarchia Eccles. Conciliis Constantiensi et Basileensi conformem.

1050. *Theses Pistorienses publice disputatae.* 1789. Inter theses continentur sequentes: 1. Non Petrum, sed Ecclesiam universam constituit Christus supremum atque infallibilem Iudicem controversiarum. — 4. Romanus Pontifex vi sui Primatus nulla gaudet immediata auctoritate in alienas particulares dioeceses. — 7. Eppis omnibus ius esse contendimus, suae dioeceseos Missalia ac Breviaria emendandi, cum in haec aliqua minus veritati consona vel fidei puritati contraria irrepsisse cognoverint. — 8. Presbyteri sunt iudices fidei cum Eppis et sub Eppis. — 9. Non modo licita, sed quandoque etiam necessaria esse potest appellatio a iudicio Romani Pontificis ad illud Concilii Oecumenici. — 10. Decretum Romae latum, quo alicuius libri lectio interdicitur, non afficit aliarum dioecesium fideles, antequam a proprio Eppo canonice acceptetur et promulgetur.

1051. *Acta Congregationis AEpporum et Epporum He-*

truriae Florentiae a. 1787. celebratae, ex italico in latinum translata a **Car. Schwarzel.** *7 Tomi.* Bambergae et Herbipoli. 1790. ss. Editor in monito ad lectorem multa fabulatur de necessitate reformationis Ecclesiae in Capite et in membris, hocve studio et scopo allectus evulgavit acta dictae Congregationis, ex officioso libro italico latine reddita.

1052. *Contrast zwischen den Grundsätzen des Prälatenstandes in Böhmen und jenen, der auf Veranlassung Kaisers Leopold II. als Grossherzog von Toscana im J. 1786. gehaltenen Diöcesansynode zu Pistoja.* Frankf. und Leipz. 1791. Extollit reformationes Hetruriae.

1053. *Provocatio ad pacem et unitatem, sive verus conceptus sanctae cath. rom. Ecclesiae tempore controversiarum, ad dirigendos et tranquillandos animos compositus a Presbytero Florentino.* Florentiae. 1791. Totus liber principiis liberalibus et auctoritati Summi Pontificis adversis refertus, et propterea vehementius commendatus a similis spiritus ephemeridibus Vindobonensibus: ‚Neueste Beyträge zur Religionslehre und Kirchengeschichte. III. Jahrg. 1792. p. 641.‘

DXL. **Rochus Bonola** S. I. *Lettera di A. M. A. D. I. Originarii diritti episcopali.* 1787. Auctor perstringit exorbitantes praetensiones Eppi Pistoriensis Scipionis Riccii de sic dictis originariis iuribus Praesulum. Altera operis editio facta est Fulginiae. 1794.

DXLI. Idem edidit 1788. *duas epistolas nomine cuiusdam AEppi datas Adiacii in Corsica, adversus pastorales literas Scipionis Ricci de 5. Octobr. 1787. et 17. Maii 1788.*

DXLII. *Lettera del Primicerio di Mondorbopoli a Mons. Scip. Ricci Vescovo di Pistoja.* 1788.

DXLIII. **Vinc. Bartoli** S. I. *Lettera del Sig. G. F. Parroco in Milano ad un suo amico della Citta di N. intorno a due Pastorali di Mons. Vescovo di Pistoja.* 1788.

DXLIV. Idem, *i miei dubbi, o siano 33 riflessioni intorno a due pastorali etc.* Ascoli. 1788.

DXLV. **Ioan. Marchetti** *Annotazioni pacifiche di un parroco cattolico a Mons. Vescovo di Pistoja e Prato sopra la sua lettera pastorale de 5 Oct. 1787.* Roma. 1788.

DXLVI. Idem, *observations pacifiques d' un Cure, adressees a M. l' Eveque de Pistoie et de Prato, sur la lettre pastorale du 5 Octobre 1787.* Liege. 1788. Est versio gallica prioris. Auctor examinat literas pastorales Eppi Pistoriensis, in quibus plures reformationes propria auctoritate, cum praeiudicio iurium Summi Pontificis in disciplina eccles. praesuscepit. Vulgatum est adversus auctorem praeter plures epistolas, opusculum :

1054. *Esame di un Giovane Ecclesiastico sopra il libro intitolato : Annotazioni pacifiche etc.* 1788. Sed reposuit *Marchetti :*

DXLVII. *Annotazioni pacifiche confermate dalla nuova pastorale di Mons. Vesc. di Pistoja, da due lezioni accademiche di Tamburini, e dalla lettera di M. del Mare.* 1788.

DXLVIII. **Borgo** S. I. *Lettera ad un Prelato Romano.* Hala. 1788. Contra Synodum Dioecesanam Pistoriensem.

DXLIX. *Epistola ad Praelatum quemdam Romanum data, in qua cum vivacitate, et profunda doctrina confutantur errores, quibus abundat Synodus Reverendissimi de Ricci, Eppi Pistor. Vertit ex italica in latinam Presbyter.* 1789. Prioris translatio. Auctor peculiariter impugnat sententiam de Eppis Papae aequalibus, et illam, quasi in Ecclesia haud foret monarchicum regimen.

DL. *Anmerkungen über den vom Bischofe von Pistoja und Prato an seine Geistlichkeit und das Volk am 5 Oct. 1787. erlassenen Hirtenbrief. Von einem kath. Pfarrer aus dessen Kirchsprengel. Aus dem Italienischen.* 1789. Censura stricta principiorum et agendi rationis Eppi Pistoriensis.

DLI. **Ios. Fuensalida** S. I. *Analisi del Concilio Diocesano di Pistoia celebrato nel mese di Settembre dell' anno 1786. ossia saggi di molti errori contro la fede contenuti nello stesso Concilio. Opera postuma di Giuseppe Ant. Rasier.* Assisi. 1790.

DLII. *Annotationes pacificae parochi catholici ad Eppum Pistoriensem de ipsius epistola pastorali 5. Oct. 1787. Latine reddidit ex italico Petruccius.* 1790.

DLIII. *Riflessioni sopra la Pastorale di Mons. Scipio de Ricci, nella quale risponde all' accuse dategli nelle Annotazioni pacifiche.* Assisi. 1790. Dirigitur libellus adversus censuram *Annotationum* per Eppum Pistor. factam.

DLIV. *Considerazioni sul nuovo Sinodo di Pistoia, pubblicato nel 1788. fatte da un parroco della stessa diocesi.* 1790.

DLV. *Il Dormitanzio del P. Ubaldo Brandi svegliato dal P. Stanislao Volpini.* Faensa. 1790.

DLVI. *Epistolae XII diversorum italico sermone scriptae Eppo Pistoriensi super doctrina ab eo evulgata.* 1790.

DLVII. *Risoluzione di tre questioni moderne su parrochi, su le dispense matrimoniali, et su la secolarisazione de' Regolari, indirizzata a Pistoia.* Italia. 1790.

DLVIII. **Borgo** S. I. *seconda lettera ad un Prelato Romano sull' Idea falsa scismatica erronea eretica contraddittoria ridicola della Chiesa formata dal Sinodo di Pistoia, pubblicata per Mancia agli Scrittori degli Annali Ecclesiastici di Firenze.* Hala. 1790.

DLIX. **Christoph Muzzani** S. I. *il Sinodo die Pistoia dichiarato nullo dai Teologi Gallicani.* Perugia. 1790.

DLX. *Seconda lettera del Primicerio di Mondorbopoli a Mons. Ricci, sopra le censure pubblicate contro le ‚Annotazioni pacifiche del Sign. Marchetti.'* 1791.

DLXI. **Mariano Pistofilo** *(Demetr. Sanna* S. I.*) il peccato in Religione, ed in Logica degli atti e Decreti del Concilio Diocesano di Pistoia, nel quale si confutano, e dimostrano alcuni errori, inesattezze, e contradizioni, di cui si e pieno zeppo il detto Sinodo di Pistoia.* Assisi. 1791.

DLXII. Idem, *seconda parte, osia appendice all' opera intitolata: Il peccato etc.* Pesaro. 1792. In duobus his operibus continetur solida refutatio Actorum et decretorum Synodi Pistoriensis.

DLXIII. Idem, *in insanientem Theologum Pistoriensem Elegia.* 1792.

DLXIV. **SS. D. N. Pii Papae VI** *damnatio quamplurium propositionum excerptarum ex libro, italico idiomate impresso, sub titulo: ‚Atti e decreti del Concilio diocesano di Pistoia nel a. 1786.' Cum prohibitione eiusdem libri et aliorum quorumcunque in eius defensionem tam forsan editorum quam in posterum edendorum.* Romae. 1794. Bullam hanc dogmaticam, incipientem ‚Auctorem fidei' in Monumentis nostris de Primatu exhibuimus. De eadem Bulla plura prodiere opuscula, eandem impugnantia, signanter:

1055. **Le Plat** *Lettres d' un Theologien-Canoniste a N. S. P. le Pape Pie VI au sujet de la Bulle ‚Auctorem fidei' portant condamnation d' un grand nombre de propositions tirées du Synode de Pistoje de l' an. 1786.* Bruxelles. 1796.

1056. **Le Bret** *de Caesare Pii VI Bullam damnantem dogmaticam haud admittente.* Tubingae. 1796. Pro Bullae defensione dimicarunt cumprimis opera sequentia :

DLXV. **Fr. Feller** S. I. *Notae, quas nonnullis Pistoriensis Synodi propositionibus damnatis in dogmatica constitutione Pii VI clarioris intelligentiae nomine adiiciendas censuit.* 1794. Auctor, pluribus operibus inclytus, in his Notis proposuit quaepiam, quae non possunt usquequaque probari*) quamobrem cum iis conferendum est opusculum celebris Cardinalis *Gerdilii:*

DLXVI. **Card. Gerdil** *Animadversiones in Notas, quas nonnullis etc.* Romae. 1795. Erroneae expressiones *Felleri*, quas hic perstringit Purpuratus auctor, concernunt doctrinam de Eucharistia, de adoranda humanitate Christi, et de cultu SS. Cordis Iesu.

DLXVII. Idem, *per la Bolla di Papa Pio VI ‚Auctorem fidei.'* Roma. 1795. Explicatio uberior Bullae.

DLXVIII. **Ant. Burriel** S. I. in Mss. reliquisse scribitur *dissertationem pro oppugnatione Synodi Riccianae Pistoriensis.* 1798. *(Backer* Bibl. des Ecrivains de la C. d. I. Liege. 1859. V. 111.)

---

8. Literatura de LIBERTATIBUS GALLICANIS.

Literatura de sic dictis Libertatibus Gallicanis Seculo XVIII. admodum copiosa evasit, potissimum postremo Seculi decennio, dum excitata immani revolutione, atque Ecclesiae persecutione per Dictatores eius temporis ‚nova constitutio civilis pro Clero' sancita, omniaque Ecclesiae ac Papae iura subversa sunt. Eo ipso Literatura nostra in duas abit sectiones: prima ab initio Seculi usque annum 1789, seu Revolutionis exordium; altera a dicto anno usque finem seculi.

---

*) Editores *Lovanienses* Praelectionum Theologicarum ‚Ioannis Perrone' Vol. IV. p. 428. existimabant, auctorem *Notarum* harum non fuisse *Fellerum* : sed hanc suam sententiam Vol. VIII. p. 538. correxerunt.

A) *Literatura usque annum 1789.*

a) Pro Gallicanis Libertatibus.

1057. **Edmundi Richerii** *defensio libelli de eccl. et polit. potestate.* Colon. et Paris. 1701. Nova editio famosi libri.

1058. **Dupinet** *contra Taxas Romanas.* 1702. Opus iam Sec. XVI. vulgatum, denuo recusum.

1059. **Renoult** *Histoire des variations de l' Eglise Gallicane en matiere de Religion, depuis S. Irenée jusqu' au Regue de Louis XIV, en forme de lettres a ‚M. Bossuet' Eveque de Meaux.* Amsterd. 1703. Opponit opus suum celeberrimo Bossueti libro de variationibus Ecclesiae Protestantium, et auctoritatem Papae ex ipsorum Gallorum factis oppugnare satagit.

1060. **Lud. Dubois** *Maximes du Droit canonique de France.* Paris. 1703. Auctor, eiusque continuator *Dion. Simon* in toto hoc opere (quod iam Sec. XVII. prima vice prodivit) libertates Gallicanas tuetur, Papaeque potestatem impugnat.

1061. **Petri de Marca** *de Concordia Sacerdotii et Imperii seu de libertatibus Gallicanis. Editio* **Baluzzii.** 1704.

1062. **Lud. Elias Dupin** *Traite de la Puissance ecclesiastique et temporelle.* 1707. Pro fundamento ponit declarationem anni 1682.

1063. **Petr. Zornius** *tractatus de libertatibus Ecclesiae Gall. antiquae et hodiernae, in quo agitur tum de capitibus ipsarum libertatum Ecclesiae illius, tum de Scriptoribus Gallis antiquis et recentissimis, qui vel libertates Ecclesiae suae defenderunt, vel oppugnarunt.* Rostochii. 1707.

1064. **Ioan. Rud. Cramer** Tigurinus, *oratio, qua Ecclesiam Gallicanam seu Galliarum Reges una cum populo ab initio Christianismi ad nostra usque tempora Pontificis Romani absolutae potestati, cumprimis in temporalibus, fortiter et feliciter sese numquam non opposuisse demonstratur.* Tiguri. 1707.

1065. **Petr. Courcier** *quaestio theologica: quid est columna et firmamentum veritatis? Defendit* **Ioach. Dreux.** Regia Navarra. 1707. Liber Indici illatus.

1066. **Desmarais** *histoire des demelez de la Cour de France avec la Cour de Rome.* 1707.

1067. **Casp. d' Audoul** *tractatus de iuris Regaliae ori-*

gine. Paris. 1708. Opus per Breve Clementis XI. a. 1710. damnatum.

1068. *Eclaircissemens sur l' autorité des Conciles Generaux et des Papes, ou explication du vrai sens de trois decrets des Sess. IV et V. du Conc. de Constance. Contre la dissert. de ‚M. Schelstrate.'* 1711..

1069. **Hennequin** *memoires sur les Libertes de l' Eglise Gall.* 1714.

1070. **Dupin** *Traite historique des Excommunications.* Paris. 1715.

1071. **Pierre Dupuy** *commentaire sur les libertes de l' Eglise Gall. avec des notes, de nouvelles preuves, et une Preface donnee par* **Nic. Lenglet Dufresnoy.** Paris. 1715. Nova et auctior editio.

1072. 1073. **Edm. Richerii** *collectio variorum tractatuum, in quibus praecipuae controversiae inter Romanum Pontificem et Ecclesiam Gallicanam de auctoritate Papae et Politica Potestate agitantur.* Paris. 1717. Tractatus famosi Richerii in unum collecti, addito sequenti: *De summi Pontificis auctoritate ex libro Conclusionum S. Facultatis Theol. Paris.*

1074. *Votum de confirmatione Epporum a Gubernio nominatorum.* Paris. 1718. Depromsit isthoc votum Commissio Gubernialis e Theologis et Canonistis Sorbonae: *Dupin, Petitpied, Boursier, Hennequin* coadunata, in eum sensum: quod nulla adsit necessitas confirmationis Pontificiae. Occasionem praebuit controversia Galliae cum Clemente XI. PP.

1075. **Adriani Baillet** *historia discordiarum inter Bonifacium VIII. P. R. et Philippum Pulchrum Gall. Regem coortarum. Edit. II.* Paris. 1718.

1076. **Ioannis Launoii** *Anti-Bellarminus sive defensio libertatum Eccl. Gall. contra infallibilitatem Romani Pontificis Sedisque Romanae defensores ex Launoii operibus excerpta.* Daventriae. 1720. Est idem opus, titulo duntaxat mutato, cum libro a. 1685. vulgato, et a nobis iam memorato: ‚Ioannis Launoius — testis et confessor veritatis Evangelico-Catholicae — contra Bellarminum etc.'

1077. **Burigny** *Traite de l' autorite du Pape, dans le quel ses droits sont etablis, et reduits a leur justes bornes; et les principes des libertez de l' Eglise Gallicane justifiez.* Haye.

1720. In Indicem relatus tractatus a. 1722. Auctor ius divinum Primatus controvertit.

1078. *Historia Iuris Canonici et regiminis ecclesiastici.* Paris. 1720. Auctor Parlamenti Advocatus ‚libertatis Eccl. Gallicanae propugnacula sistere, eamque ab iniuriis Summi Pontificis defendere intendit.'

1079. **Le Merre** in *Memoria Cleri Gallicani.* Tom. X. a. 1722. disserit de eo, quod in Gallia *confirmatio Pontificia Praesulum* non sit necessaria tunc, quando illam quacunque de causa Pontifex denegat.

1080. **Fauveli** Professoris in Theologia singularis erat propositio: Ecclesiam esse rempublicam, in qua Christus auctoritate totum corpus Ecclesiae instruxerit, huiusve nomine eam Papa, Eppi, et Concilia exerceant. 1723.

1081. **Fleury** *discursus in Libertates Ecclesiae Gallicanae.* 1725. Est nonus discursuum in Historiam Eccl. Decreto S. Inquis. vetitus. Gallice prodivit a. 1724.

1082. **Bossuet** *defensio Declarationis Conventus Cleri Gallicani a. 1682. de Ecclesiastica Potestate.* Luxemburgi. 1730. Auctor libri, seu Bossuetus, seu alter (nam de eo adhuc sub iudice lis est,) quamvis a nominanda Gallicana Declaratione consulto abstineat, ostendere tamen contendit, Declarationis doctrinam non esse novam, sed toti orbi notam, numquam reprehensam, imo per plura Concilia ut probatam ac certam habitam fuisse, ac ex ipsa Christianitatis origine profluere; irritas proin esse censuras in eam Declarationem latas. Observandum tamen existimamus: illis, qui ex defensione Declarationis tamquam Bossueti partu argumenta de dubia eiusdem circa Primatum sententia promunt, plurimum obesse tum ea, quae de Bossueti sententia iam in Monumentis Primatus monuimus, tum ea, quae in ipsissima hac Defensione Declarationis profert: e quibus quippe manifesto apparet, Bossuetum inter adversarios supremae auctoritatis Romani Pontificis frustra collocari. Verba Bossueti in Defensione haec sunt: ‚Quae cathedra (Romana) si concidere posset, fieretque iam cathedra non veritatis sed erroris et pestilentiae: Ecclesia ipsa Catholica non haberet societatis vinculum, iamque schismatica esset et dissoluta. Hoc enim habuit Petrus prae ceteris, ut cum esset omnium princeps, illud potestatis a Christo proxime et immediate manantis commune depositum

principali iure et ipse acciperet, et ad successores transmitteret, ut ceteros Eppos meminisse oporteat, se primum in Petro ut unitatis capite designatos, formatos, constitutos, in Petri successore colendo et observando unitatem et pacem servare debere. — *Non distingvimus a Pontificum Romanorum fide Ecclesiae Romanae fidem, quam scilicet non aliter quam a Petro et Petri successoribus Romani didicerint. — Maiestatem Pontificis in terris maximam maiorum more tanto studio tantaque religione ac fide colimus. Neque vero velimus, quod Catholici omnes Summique Pontifices merito perhorrescant, Ecclesiae tanti corporis imbecille esse caput, ipsum scilicet Pontificem Romanum: sed firmissimum, valentissimum Conciliorum auctorem, principem, executorem, custodem canonum, atque ubi res postulat, aequum interpretem et dispensatorem, providum imo etiam conditorem, fidei et traditionis toto orbe terrarum assertorem a Christo institutum — veneramur.*"

1083. **Iac. Leschasser** *de liberté de l' Eglise Gallicane.* 1731.

1084. **Pithou** *Traite des droits et libertes de l' Eglise Gall.* Paris. 1731. Nova editio.

1085. **Ioan. Launoii** *opera omnia.* Colon. 1731. Nova editio, continens iam recensitas auctoris dissertationes de Canone VI. Nicaeno, et plenario Concilio. In utraque iura Primatus summopere extenuat.

1086. **Du Boulais** *Histoire du droit public eccl. Francois.* Londres. 1737. Fusa deductio pro iuribus Regiis, et potestatem Papae fere tantum ad Romanam dioecesim restringens.

1087. **Georg. Frid. Schrocet** *de iure Epporum Franciae appellandi ad Concilium.* 1739.

1088. **Vertot** *origine de la Grandeur de la Cour de Rome, et de la Nomination aux Eveques et aux Abbaies de France.* Lausanne. 1745. Recusum a. 1759.

1089. **Leroy** *Defense de la Declaration de l' assemblee du Clerge de France de 1682. touchant la puissance eccles. par* **Bossuet**; *traduit du latin avec des notes.* Amsterdam. 1745. Versio gallica famosi operis.

1090. **Baumgarten** *Abhandlung von den Freiheiten der Kirche von Frankreich, zur Erläuterung des jetzigen Streits der Parlamente und Bischöfe.* Halle. 1752.

1091. *Tradition des faits, qui manifestent le systeme d' independance des Eveques.* 1753.

1092. *Maximes et Libertez de l' Eglise Gallicane.* Haye. 1755.

1093. **Mignot** *Memoires sur les Libertez de l' Eglise Gallicane.* Haye. 1755. Etiam *Amstelodami* eodem anno.

1094. *Le veritable usage de l' autorité seculiere dans les matieres qui concernant la Religion. Par l' Eveque D. P.* Avignon. 1743.

1095. *Discours de ‚M. Fleury' sur les Libertez Gallicanes.* Haye. 1755. Nova editio.

1096. *Exposition de la doctrine de l' Eglise Gallicane par rapport aux pretentions de la Cour de Rome.* 1757.

1097. **Huerne de la Mothe** Avocat, *Libertes de la France contre le pouvoir arbitraire de l' excommunication.* Amsterdam (Paris). 1761.

1098. **Petri de Marca** *de Concordia Sacerdotii et Imperii seu de Libertatibus Eccl. Gall.* Roboreti. 1763. Nova editio.

1099. **Brunet** *Abrege des Libertes de l' Eglise Gallicane.* 1765.

1100. **De Chiniac de la Bastide du Claux** *Discours sur les Libertes de l' Eglise Gall. par ‚Fleury', avec un Commentaire.* 1765.

1101. Idem, *Reflexions importantes et apologetiques sur les Libertes de l' Egl. Gall.* Paris. 1766.

1102. Idem, *nouveau Commentaire sur le Discours de ‚M. Fleury'.* Paris. 1767.

1103. **Fr. Peyrat** *theses de Ecclesia Christi et Libertatibus Gallicanis.* 1765. In Indicem relatae 1766.

1104. *Theses, quas de ecclesiastica potestate, Regum ac principum imperio nequaquam metuenda, cunctisque hominibus veneranda et amanda, ad normam solemnis Declarationis, quam edidit Clerus Gallicanus a. 1682, per assertiones dogmaticas, metaphysicas, historicas, apologeticas ad Sacerdotii et Imperii ius publicum spectantes inscripsere FF. Praedicatores Tolosani.* 1765. In Indicem relatae.

1105. **Cesare Chesneau** *la dottrina della Chiesa Gallicana esposta ed illustrata.* Venezia. 1766.

1106. *Doctrina Ecclesiae Gallicanae de auctoritate su-*

prema Rom. Pontificis. Avenione. 1768. Opus hoc continet defensionem famosae declarationis Gallicanae.

1107. **Durand de Maillane** *les Libertes de l' Eglise Gall. prouvees et commentees.* Lyon. 1770. 5. vol. Est auctior editio operis *Dupiniani* anni 1715.

1108. *Religionis naturalis et revelatae principia.* Paris. 1774. Auctor non negat Primatum iurisdictionis, sed hunc a consensu Epporum, in quorum collegio supremam collocat potestatem, dependentem facit, totusque in eo est, ut principia famosae Declarationis anni 1682 suo suffragio muniat.

1109. **Bossuet** *defensio Declarationis Conventus Cleri Gallicani a. 1682.* Colon. 1776. Nova editio.

1110. *De potestate ecclesiastica et temporali, sive declaratio Cleri Gallicani a. 1682.* Vindobonae. 1776. Opus *Dupinii* recusum.

1111. **De Chiniac de la Bastide du Claux** *dissertation canonique et historique sur l' Autorite du S. Siege, et les Decrets, qu' on lui attribue.* 1779.

1112. **Bailly** *Tractatus de Ecclesia Christi.* Divionc. 1780. Principia Gallicanae Declarationis anni 1682. tuetur.

1113. **Burigny** *Traite de l' autorite du Pape, dans lequel ses droits etc. Seconde edition.* Vienne. 1782. Nova editio libri a. 1720. Hagae vulgati.

1114. **Wienerische** *Kirchenzeitung über die IV Artikel des J. 1682.* 1788. p. 479. ss. Auctor diss. narrat: AEppum *Lugdunensem* ad quaestionem ex *Hetruria* positam dicto anno rescripsisse, quod articuli Declarationis in Gallia actu in pleno vigore persistant.

1115. **Petri de Marca** opera denuo edita fuere Bambergae. 1788. s.

1116. **Bossuet** *defensio Declarationis Cleri Gallicani a. 1682. etc. Editio nova.* Maguntiaci. 1788.

1117. **Dupinii** *de potestate eccl. et temporali, sive declaratio Cleri Gall. a. 1682.* Maguntiaci. 1788.

1118. *Eiusdem de antiqua Ecclesiae disciplina dissertationes historicae.* Maguntiaci. 1788.

1119. **Brancadoro** *,Bossuet' l' autorita delle due Potesta. Traduzione dal Francese.* Fuligno. 1788.

1120. **Claudius Regnier** *Tractatus de Ecclesia.* Paris. 1789. Romanum Pontificem fallibilem et Conciliis inferiorem defendit.

---

b) contra Lib. Gall.

DLXIX. **Anton. Charlas** *Primatus iurisdictionis Romano Pontifici assertus, seu responsio ad dissertationem ‚Lud. El. Dupin' de Primatu R. P. quae est quarta inter eius de antiqua Ecclesia disciplina dissertationes.* Colon. 1700. Opus posthumum. Auctor, Ecclesiae Romanae vindex integerrimus, atque a pluribus gloriosis vindiciis notus, in hoc quoque opere penitus prostravit suum adversarium.

DLXX. **Langevin** *l' Infaillibilite de l' Eglise.* Paris. 1701. Quasvis obiectiones contra infallibilitatem Romanae Ecclesiae eiusque Primatuu refellit.

DLXXI. **Ant. Bonnet** S. I. *septem Dissertationes theologicae.* Tolosae. 1701. Harum una *de iudice Controversiarum* (R. P.), altera *de Indulgentiis et Iubileo* agit, utrobique supremam auctoritatem Rom. Pontifici vindicans.

DLXXII. **Sfondrati** *Gallia vindicata, in qua testimoniis exemplisque Gallicanae praesertim Ecclesiae, quae pro Regalia ac IV Parisiensibus Propositionibus a ‚Lud. Maimburgo' aliisque producta sunt, refutantur.* Edit. II. S. Galli. 1702.

DLXXIII. Idem, *animadversiones in Tractatum singularem de Regaliis gallice editum a ‚Fr. Pinssonio.'* 1702. Insertae erant hae animadversiones ‚Tractatui generali de Regaliis' anno 1680. primum edito, dein cum aliis scriptis recuso a. 1702.

DLXXIV. **Thomassin** *Traite dogmatique et historique des edits et des autres moyens spirituels et temporels pour etablir et mantenir l' Unite de l' Eglise Cath.* Paris. 1703.

DLXXV. **Bordes** *Supplement au Traite etc.* 1703. Est appendix priori Tractatui adiecta.

DLXXVI. **Ant. Dadini Alteserra** Decani Univ. Tolosanae, *Ecclesiasticae Iurisdictionis vindiciae adversus ‚Caroli Fevreti' et aliorum tractatus de abusu.* Paris. 1707. Opus continet plura de Primatus iuribus in iudiciis eccles.

DLXXVII. **Boileau** *Critique sur l' histoire de l' Eglise de Rome par le ‚P. Maimbourg.'* 1711.

DLXXVIII. **Cordemoy** *Traite de l' infaillibilitate de l' Eglise.* Paris. 1713.

DLXXIX. **Langlet du Frenois** *Praefatio historica, quam praemisit editor commentario ‚Puteani' super Libertatibus Gallicanis.* Paris. 1715. Fuse evolvit genuinum sensum Libertatum, et iura Primatus egregie defendit, simul excusando plerosque Gallicos Scriptores, quos ad tuendas sic dictas Libertates non studium deprimendi auctoritatem pontificiam permoverit.

DLXXX. *Consultation de plusieurs docteurs en Theologia et en Droit Canonique sur l' ecrit intitule: ‚Abus des lettres apostoliques affichees a Rome le 8 Sept. 1718.'* 1718. Obiectum consultationis fuit declaratio Cleri de a. 1682. quam doctores examini subiiciunt, et una scriptum, de quo in titulo, censurant.

DLXXXI. **Ant. Charlas** *tractatus de libertatibus Ecclesiae Gallicanae.* Romae. 1720. Nova editio. Ei praefixa fuit *Vita Antonii Charlas,* quam Congr. Indicis prohibuit.

DLXXXII. **Hermannus Damen** Doctor Lovaniensis, *oratio de Cathedra Petri, ut est regula fidei secundum antiquam et continuam doctrinam Theologorum Lovaniensium, habita 11 Nov. 1721.* Dirigitur contra declarationem anni 1682. Evulgari eam fecit *Ram* in libello: ‚De laudibus, quibus veteres Lovaniensium Theologi efferri possunt. Lovanii 1848. p. 58.'

DLXXXIII. **Matthaeus Petitdidier** O. S. B. *Traite Theologique sur l' autorite et l' infaillibilite des Papes.* Luxembourg. 1724. Opportunum opus ad convincendos Gallos de erroribus famosae Declarationis.

DLXXXIV. Idem, *annotationes in Bibliothecam Ecclesiasticam ‚L. Dupinii.'* 1724. Gallicanismum Dupinii exagitat. Contra Petitdidierum scripsit:

1121. **Buddeus** *commentatio theologica de fallibili Romani Pontificis infallibilitate contra ‚Matthaeum Petitdidierium.'* Ienae. 1725.

DLXXXV. **Petitdidier** *dissertation historique et theologique sur le Concile de Constance.* Luxembourg. 1725. Duo examinat: 1. quaenam fuerit mens C. Constantiensis circa auctoritatem et infallibilitatem R. P. 2. an Summorum Pontificum in fidei quaestionibus infallibilitas Libertates Ecclesiae Gallicanae evertat? Priori dissertatione ostendit, C. Constantiense

credidisse Papae inerrantiam; posteriori vero, non derogare hanc praerogativam Primatus Libertatibus Gallicanis.

DLXXXVI. Idem, *Tractatus theologicus de auctoritate et infallibilitate Summorum Pontificum. Gallice primo conscriptus, dein iussu Benedicti XIII P. M. in lingvam italicam translatus, nunc autem in Germanorum Theologorum gratiam latinitate donatus per* **Gallum Cartier** O. S. B. Aug. Vind. 1727.

DLXXXVII. Idem, *nova editio Romana.* 1731. *Accessit dissertatio hist. et theolog., in qua examinatur sententia C. Constantiensis et primorum Theologorum, qui videntur auctoritatem Conciliorum anteponere auctoritati Pontificum Romanorum.* Romae. 1731. Contra opus hoc prodiit :

1122. **Cotta** *commentatio historico-theologica de fallibili Pontificis Romani auctoritate, ex actis C. Constantiensis maximam partem deducta, atque Matthaeo Petitdidierio opposita.* Leyden. 1732.

DLXXXVIII. *Instruction pastorale de M. l' Eveque de Marseille sur les Libertes de l' Eglise Gallicane.* Marseille. 1733.

DLXXXIX. **Raymundus Missorius** O. S. Fr. *de Canonibus vulgo Apostolicis, — et de Papae iudicio comparate ad Concilium, pro vendicando S. Augustino a tergiversationibus nuperrimi defensoris Declarationis Gallicanae dissertatio, duabus epistolis comprehensa; altera critica ‚Constantini Rotigni' monachi Cassinensis, altera apologetica ‚Missorii.'* Venet. 1734.

DXC. **Petitdidier** *duae dissertationes: una historico-theologica, in qua examinatur, quaenam mens fuerit Concilii Constantiensis circa auctoritatem et infallibilitatem Summorum Pontificum; altera, in qua examinatur, an Summorum Pontificum in fidei quaestionibus infallibilitas Libertates Ecclesiae Gall. evertat? Latine e Gallico redditae a* **Gallo Cartier.** Aug. Vind. 1738.

DXCI. **Gallus Cartier** O. S. B. *auctoritas et infallibilitas Summorum Pontificum in fidei et morum quaestionibus definiendis stabilita, et adversus ‚Benignum Bossuet' Eppum Meldensem, et ‚Honoratum Tournely' vindicata.* Aug. Vind. 1738. Auctorem defensionis Declarationis Gallicanae presso pede sequitur, omniaque eius asserta refutat.

DXCII. **Victorius Amadeus Soardi** Doctor Taurinensis, *de suprema Romani Pontificis auctoritate hodierna Ecclesiae Gallicanae doctrina.* Avenione. 1738. Eximium opus, ex ipsius Gallicanae Ecclesiae doctrina confutans defensionem Declarationis anni 1682.

DXCIII. **Ios. Augustinus Orsi** O. Praedic. *de irreformabili Romani Pontificis in definiendis fidei controversiis iudicio, adversus quartam Cleri Gallicani propositionem a ‚Bossueto' propugnatam.* Romae. 1739.

DXCIV. Idem, *dissertatio de sententia ‚Petri de Marca' circa modum conciliandi summam Rom. Pontificis auctoritatem cum libertate suffragiorum in Synodis Oecumenicis.* Romae. 1739. Castigat sententiam Petri de Marca, quasi Romani Pontificis auctoritas cum libertate suffragandi sic conciliaretur, ut plenitudo potestatis in Synodis resideat, prout apud Romanos in Republica ac Senatu; ostenditque plenitudinem potestatis Principi Apostolorum eiusve successoribus esse collatam, libertatem vero suffragiorum in eo sitam, ut Eppi Sedi Apostolicae uniti in praedicanda et asserenda veritate nullis cedant terroribus, et de erroribus ac potestatibus seculi triumphent.

DXCV. Idem, *de Romani Pontificis in Synodos Occumenicas et earum canones potestate liber. Accedit dissertatio, qua ecclesiasticae monarchiae forma explicatur.* Romae. 1740. Aeque contra Declarationem Gallicanam.

DXCVI. Idem, *ex libris ‚Orsii' de infallibilitate et auctoritate Pontificis Romani supra Concilia Oecumenica Epitome.* Romae. 1741.

DXCVII. **P. Gervaise** *l' honneur de l' Eglise et des Souverains Pontifes défendu.* Nancy. 1742.

DXCVIII. **Nic. Girardeau** *praelectiones de Ecclesia.* Paris. 1743. Pugnat pro iure Pontificis, appellationes Eppales vi Primatus ac proin iure divino, admittendi et diiudicandi.

DXCIX. **Henr. Fr. de Belsume de Castelmoron** Eppus Massiliensis, edidit 1744. *librum S. Cypriani de Unitate Ecclesiae* cum copiosis eruditis Notis pro Primatu S. Sedis, et cum peculiari attentione ad Declarationem Gallicanam, eorumve asserta, qui Gallicanae Ecclesiae heterodoxas de Primatu obiiciunt doctrinas.

DC. **Petitdidier** *tractatus theol. de auctoritate et infallibilitate Summorum Pontificum.* Tyrnaviae. 1746. Nova editio.

DCI. **Soardi** *de suprema Rom. Pontificis auctoritate hodierna Ecclesiae Gallicanae doctrina.* Avenione. 1747. Nova editio.

DCII. **Ioan. Dom. Mansi** in nova editione *Historiae Eccles.* **Alexandri Natalis.** Lucae. 1749. Notas plures adiecit, in quibus nominatim ad Diss. 13. in Sec. V. impugnat assertionem: quasi Facultas Theologica Parisiensis infallibilitatem Papae non credidisset; ostendit pluribus argumentis contrarium, cum congrua refutatione Defensionis Declarationis Gallicanae. Pariter ad Cap. X. Historiae Sec. 13 et 14. animadversiones subnectit in Sanctionem pragmaticam S. Ludovici Regis, eam inter pura commenta numerans.

DCIII. *Examen d' un libelle: ‚Tradition des faits qui manifestent l' independance que les Eveques.'* 1754. Opusculum, quod hic refutatur, occurrit in literatura a. 1753.

DCIV. **Zaccaria** S. I. *Lettre datée de Cosmopoli 28 Octobre 1757. contre les Parlements de France, qui condamnaient au feu plusieurs Moralistes comme contraires aux Libertes Gallicanes.* Epistola isthaec non videtur fuisse typo data, sed inter Mss. conservatur.

DCV. **Mich. Casalis** *vindiciae Iuris Ecclesiastici, sive animadversiones in ‚Historiam Iuris publici politici civilis ecclesiastici Gallicani' ab anonymo auctore editam.* Romae. 1759. Insignis apologia pro iuribus Rom. Pontificis.

DCVI. **Zaccaria** S. I. *Thesaurus Theologicus.* Venet. Tomus XII. Controv. II. opusc. 4.: **Ioannis Faure** S. I. *dissertatio polemica adversus Richeristas de Eccl. ac Polit. potestate.*

DCVII. *Memoire sur l' ordonnance et Instruction pastorale de M. l' Eveque de Soissons.* 1763. Cum Eppus *Suessionensis* in sua pastorali instructione articulos declarationis Gallicanae supra modum commendaret: Eppus *S. Pontii* memorato opusculo argumenta Suessionensia enervare studuit.

DCVIII. *Reflexions sur la nouvelle entreprise de M. l' Eveque de Soissons a l' egard des quattres articles.* 1763. Eiusdem cum priore argumenti.

DCIX. **Moshemius** *diss. de Gallorum appellationibus ad Concilium universae Ecclesiae, unitatem Ecclesiae spectabilem*

tollentibus. Altonae et Lubecae. 1767. Inest disquisitio haec, iam longe ante composita, Tomo I Dissertationum auctoris: et in ea propugnat, appellationes Gallorum esse contradictionem, cum inde a vetustissimo tempore Galli Romanum Pontificem pro Capite Ecclesiae unius habuerint, similisque appellatio unitatem tollat.

DCX. **Car. Plowden** S. I. *Examen du quatrieme article du Clerge de France assemblé en France en 1682.* London. 1768.

DCXI. **Orsi** *de irreformabili Romani Pont. iudicio. Ed. nova.* Romae. 1771.

DLXII. **Kilber** S. I. in *Theologia Wirceburgensi.* 1771. fusius tractat *de sensu Ecclesiae Gallicanae circa auctoritatem Summi Pontificis,* et ostendit : Ecclesiam Gallicanam antiquam stare pro superioritate et infallibilitate Summi Pontificis; hunc sensum antiquum per Declarationem anni 1682. haud fuisse immutatum ; et eundem sensum etiam post famosam declarationem retentum esse a recentiore Ecclesia Gallicana.

DCXIII. Idem, *tractatus de theologicis doctrinis fundamentalibus.* Herbipoli. 1773. Disputatione II egregie comprobat superioritatem Papae supra Concilia et Gallicis auctoribus.

DCXIV. **Feller** S. I. *Journal historique et litteraire.* Luxembourg. 1774—1788. et Liege. 1789—1794. Praeclare Ephemerides, praeteriri vel ex eo haud possunt, quod permulta contineant pro genuinis circa Primatum Rom. Pontificis notionibus ac principiis evolvendis, et firmandis, atque de moliminibus infirmandi supremam pontificiam potestatem severam contineant censuram.

DCXV. *Romani Pontificis summa auctoritas, ius et praestantia, Oecumenicorum Conciliorum atque Ecclesiae Gallicanae placitis asserta, defensa, et vindicata. Accedit diss. historica de Isidorianis Decretalibus. Elucubravit Religiosus e familia Ord. Min. Conv.* Faventiae. 1779.

DCXVI. **Fenelon** *ouvrage sur les Libertes Gallicanes.* Vulgatum fuit, cum diu in tenebris latuisset, in: ‚*Le-Bret* Magazin zum Gebrauch der Kirchen- und Staatengeschichte. VII. Frankf. u. Leipz. 1780.‘ Germanice redditum fuit insigne opusculum a Iesuita *Heintze :*

DCXVII. **Fenelon** *Abhandlung von den Freiheiten der französischen Kirche.* Linz. 1782.

DCXVIII. **Ios. Marianus Palma** S. I. *defensio Cleri Gallicani ab imposturis adscriptae Bossueto declarationis.* Ferrariae. 1785. Fusius probat inter cetera, Principes in spiritualibus potestati Sacrae subiici.

DCXIX. *Refutation succincte d' un livre intitule: ‚Traite de l' Autorite du Pape, par ‚Burigny'. Vienne. 1782.* Avignon. 1787.

DCXX. **Carminus Firmianus,** Professor Neapolitanus, *adnotationes in ‚Petri de Marca' Concordiam et opuscula, atque animadversiones in selectas ‚Böhmeri' observationes.* Bambergae. 1788.

DCXXI. **Isaac Ios. Berruyer** S. I. *Infallibilita del Papa provata coll' Esame del quarto articolo della dihiarazione del Clero di Francia radunato nel 1682.* Fermo. 1788.

DCXXII. **Aug. Barruel** S. I. *Journal ecclesiastique.* Paris. 1788. ss. Continuavit has ephemerides post *Dinovartium,* in iisque multos vulgavit articulos ad Gallicam quaestionem spectantes.

DCXXIII—DCXXVIII. **Bergier** *Dictionnaire de Theologie Dogmatique, liturgique, canonique, et disciplinaire.* Paris. 1788. ss. In vasto opere suo vulgavit sequentes articulos de Ecclesia Gallicana: 1. *Gallican.* 2. *Papaute, Pape.* 3. *S. Pierre.* 4. *Pragmatique Sanction.* 5. *Primat.* 6. *Eglise de Rome.*

DCXXIX. *Kurze Widerlegung der ‚Abhandlung des Herrn v. ‚Burigny': von der Autorität des Pabstes.' Aus dem Französischen übersetzt.* 1788.

DCXXX. *Positiones 101 de famoso illo Conventu Gallicano anni 1682, et opposito illi Conventu Ven. Cleri Hungarici.* 1789. Libellus in Hungaria editus, et per succinctas propositiones, iisdemque subnexas notas et explicationes egregie perstringens famosum illud conciliabulum.

DCXXXI. **Marchetti** *Kritik über die Geschichte und Abhandlungen des Abts ‚Fleury.'* Augsburg. 1789. Fusa recensio dicti operis, et castigatio principiorum gallicanorum de auctoritate Papae.

DCXXXII. **Frölich** *an ‚Bossuetus' vere sit auctor libri, cui titulus: ‚Defensio Gallicanae Declarationis?' Critica disquisitio. Disputante* **Ios. Sig. de Sigl,** *Can. Ratisb.* Ingolstadii.

1789. Negat, Bossuetum esse auctorem, sed verosimilius a Iansenistis subtrusum fuisse opus.

B) *Literatura ab a. 1789. usque finem Seculi.*

Literaturam sub Revolutione Gallicana sat foecundam expositurі, eum servabimus ordinem, ut primos Revolutionis annos distincte pertractemus, et tam de opusculis, quae separato prodiere, quam in specie de *Ephemeridibus,* et de sic dicta *Constitutione Civili Cleri* sonantem literaturam exhibeamus.

Annus 1789.

1123. *Epistola ad quemdam Deputatum Conventus nationalis de formula iuramenti Eppis penes consecrationem suam praescripti.* 1789. Impugnat formulam iurisiurandi, ut ait, vasallitici.

1124. *Le Pape en démence.* Paris. 1789.

1125. **Fantin-des-Odoards** olim Iesuita, dein Vicarius Gen. Ebredunensis, *Dictionnaire raisonne du gouvernement, des lois, des usages, et de la discipline de l' Eglise, conciliées avec les libertes et les franchises de l' Eglise Gallicane, lois du royaume, et iurisprudence des tribunaux de France.* Paris. 1789. Auctor conciliare intendens sanctiones canonicas cum institutionibus Gallicanis, in multos labitur errores, et sub Revolutione unus fuit eorum Ecclesiasticorum, qui multiplicibus opusculis erroneis ad historiam revolutionis spectantibus Galliam inundarunt.

1126. **Mably** (Raynal) *des droits et devoirs des Citoyens,* 1789. Praeparatorius libellus ad Revolutionem. Refutavit auctorem hunc :

DCXXXIII. *Des droits etc. dans les circonstances presentes, aves la Jugement impartial sur l' ouvrage de ‚Mably.'* 1789.

1127. *Plan de secularisation de tous les Ordres religieux. Par* **M. Mittie.** Paris. 1789.

1128. *Séance des Saints au Paradis; proces verbal de l' assemblée generale des Saints Martyrs, con fesseurs, anges cherubins, seraphins etc. qui a eu lieu en paradis les 15 et 20, Nov. 1789.* Opus admodum satyricum.

1129—1175. **Ephemerides sub Revolutione.** Anno 1789. sequentes vulgabantur:

1. **Journal** *politique, national des etats-generaux et de la Revolution de 1789.* Redactore *Rivarol.*

2. **L' Observateur.** Paris. 1789. Redactore *Feydel:*

3. **Actes des Apotres.** Par *Pelletier, Champcenetz, Lauraguais, Rivarol, Regnier* etc. Paris. 1789.

4. **Le Controleur general.** Paris. 1789.

5. **Le defenseur de la liberte,** *ouvrage patriotique. Par Moithey.* 1789.

6. **Les evenements du jour,** *par une societe de citoyennes.* Paris. 1789.

7. **La France vue dans l' avenir,** *ouvrage dedie au district des Cordeliers de Paris.* 1789.

8. **Le Furet avant-coureur,** *journal etranger, politique, critique, litteraire et commercant.* Par Didelot. Paris. 1789.

9. **Journal des Debats** *et des decrets, depuis le 5 Mai 1789.* Redactores *Barrere,* et *Louvet.*

10. **Le point du jour,** *ou Resultat de ce qui s' est passe la veille a l' assemblée nationale.* 1789. Redactor **Barrere.**

11. **Le Crieur de bon sens et patriote.** Paris. 1789.

12. **Furet Parisien.** 1789.

13. **Journal du Journal de Prudhomme,** *ou petites observations sur de grandes reflexions.* 1789.

14. **Journal National.** 1789.

15. **Gazette nationale ou le Moniteur universel.** Paris. 1789.

16. **Annales** *universelles et methodiques.* Paris. 1789.

17. **Journal d' Etat** *et du citoyen propose par souscription chez M. de Keralio.* Nyon. 1789.

18. **L' ami du peuple,** *ou le vrai Citoyen. Par Jourdain de S. Fergeux.* 1789.

